Anno igitur Domini MCCCCLV, postquam ad instantiam Philippi, ducis Burgundiae, episcopus Leodiensis, dominus Johannes de *Los*, alias de *Hensberch*, suam episcopalem dignitatem ad usum nobilis et egregii adolescentis Ludovici, filii ducis Caroli de Borbon, resignasset, cunctis populis ad talem novitatem stupentibus et attonitis, quippe tanto principe, qui tanquam alter Salomon reputabatur, mox orbandis et destituendis : facies coeli quae vero sole, id est Christo, decoratur, et luna, quae est constantissima in fide, egregia Leodiensis ecclesia, facta est repente obscura, ne dicam sanguinea, et cum ipso sole nigra, veluti saccus cilicinus, stellis, id est praelatis atque doctoribus, prae desperatione in terram fere cadentibus, Deo tamen providente, cui nihil est impossibile, qui de tenebris lumen facit splendescere, malis hominum plerumque utens in bonum, ne quodcumque scisma aut alias scissura in tunica Christi inconsutili contingeret, per gratiam Spiritus paracleti qui ipsos Christi apostolos in unitatem fidei congregavit, etiam cordibus

1455. Ludovicus Borbonius fit episcopus *Leodiensis*

[1] Hunc titulum editor adjecit.

eligentium illapsus, ad hoc inspiravit, quatenus praedictus dominus Ludovicus, ad cujus usum cessio episcopatus facta fuerat, ab omnibus concorditer in Leodiensem episcopum unanimiter postularetur. Cujus postulatione admissa, 1456. statim anno sequenti, mensis Junii septimo, quo praesentatae sunt bullae provisionis ipsius postulati in Leodiensi capitulo, instanter nimis tumultuabant una cum civitate alia oppida ipsius patriae pro mamburno deputando suo sensu. Quorum petitioni ex adverso legati ex parte novi episcopi, ne annueretur, sollicite insistebant, maxime pro eo quod jam in proximo ipse dominus praefatus disponeret se more consueto adventurum, se ipsum in propria persona praesentaturus. Hoc denique tempore, decima forsitan Junii, paparuit cometa versus Aquilonem, quasi supra portam S. Walburgis, non dubium multarum novitatum rerum praenuntius. Sed et terrae motus factus est non diu post, eodem anno in crastino, videlicet sancti Bartholomaei apostoli. Hoc anno obiit Nicolaus papa, loco cujus Calixtus eodem anno praeficitur.

Oppida patriae Leodiensis mamburnum optant.

Hoc praeterea anno LVI, mensis Julii xiij°, ipso videlicet sanctae Margaretae festo, cum inenarrabili nobilium et plebeorum gloria et pompa intronisatus est nobilis et illustris adolescens decem et octo circiter annorum, Ludovicus de *Borbon*, filius, prout supra dictum est, Caroli ducis de Borbon et Averniae, ex Agnete, filia ducis Burgundiae et comitis Flandriae, procreatus. Electus igitur et confirmatus apostolicis monumentis, secum etiam regalia comportans, intravit civitatem, anno et die quo supra, stipatus mille quingentis equitibus, rubea veste indutus, hinc inde ad dexteram et sinistram duobus episcopis, Cameracensi videlicet et Atrebatensi, decenter comitatus, concomitantibus denique comitibus de *Horn* et de *Mours* cum aliis multis baronibus et nobilibus, quorum inaestimabilis erat numerus, civibus undequaque a porta S. Leonardi usque ad gradus ecclesiae S. Lamberti pulcherrimo armorum apparatu decenter ordinatis, introïtum sui novi principis animose satis et hianter contuentibus. More igitur consueto a dominis majoris ecclesiae reverenter susceptus, post tres aut quatuor dies cum praefata sua comitiva pergens ad Huyum et deinde ad alia suae patriae oppida, passim et successive, per singula loca decenter se recipiendum exhibuit. Praeterea hoc eodem anno, mense Octobri, delphinus Franciae, nomine Ludovicus, a facie regis sui patris fugiens, ad Mechliniam venit, sub umbra ducis Philippi protegendus. Qui dux Philippus praefatus etiam hoc anno praetacto Daventriam obsedit, a quo satis inglorius recessit, concordia facta inter eum et oppidanos in

Ludovicus episcopus Leodium intrat.

Ludovici Galliae Delphini fuga.

Daventriae obsessio.

Page 6.





Swollis et Kampis. Interea venit dominus novus episcopus Leodium in vigilia sancti Severini, et constituta diaeta in die Crispini et Crispiniani, in concilio petebat sibi dominus episcopus loco subsidii dari de quolibet modio speltae unum blaffardum in duobus terminis solvendum. *Episcopus petit subsidium.*

Anno sequenti, videlicet MCCCCLVII, nuntiatus est Leodii obitus domini de Borbon, patris episcopi Leodiensis, cujus exequiae maximis cum expensis sunt celebratae in ecclesia S. Lamberti infra octavas Epiphaniae. Quibus peractis, statim ad Mechliniam dominus episcopus perrexit. His diebus dominus de *Hensberch* jam pridem episcopus, mediante salvo conductu, Leodium venit, ibique solemniter susceptus, quo etiam fere per annum integrum hospitatus est. Venerunt etiam statim post haec comes de *Blanckenborch* et episcopus Suessionensis ex Francia, ut esse possent de concilio novi episcopi. Deinde hoc tempore, post Pascha videlicet, erectum fuit in foro Leodiensi pilorinarium, gallice *le Peron*, statim postea pretiosissime cum suis pertinentiis et circumstantiis deauratum. Hoc anno, in octavis apostolorum Petri et Pauli, emit dominus abbas S. Laurentii una cum suo conventu fortalitium de *Kikenpois* cum suis appenditiis pro plurimo pretio, quare necesse erat multas vendere pensiones. Hoc anno discordia fuit vehemens inter Leodienses et Aquenses atque Trajectenses, et vexilla explosa sunt in foro Leodiensi ad invadendum fines Brabantinorum, occasione militis de Fontanis qui se rebellem dominis S. Lamberti exhibuit, et plurimae convocationes et diaetae sunt habitae inter dominum electum et civitatem Leodiensem, tam in S. Trudone quam in Trajecto. Tandem tamen tractatum est de pace. *1457. — Mors patris Ludovici Borbonii. — Pilorinarium erigitur. — Kikenpois emitur.*

Anno deinde MCCCCLVIII, magistri civium ex Leodio euntes Trajectum invitabant dominum electum ad futurum Epiphaniae festum. Qui sic vocatus Leodium venit statim circa meridiem, pulcherrima comitiva stipatus. Hoc nihilominus anno atque etiam sequenti anno, LIX videlicet, pullularunt multae differentiae ac occasiones discordiarum inter dominum electum et suam civitatem, propter libertates, quas francisias dicunt, quibus dominus contraïre videbatur. Ob quam rem dominus episcopus saepius se a Leodio absentavit, jam ad Huyum, jam Trajectum vel alia ad loca suos cives ad se vocans, plurimas diaetas hac de causa constituendo. De quibus plura dicere deberem, si iis personaliter interesse meruissem. Quippe minorennis existens, nulla memoria vigens, nimirum recenter natus in hujus anni principio, ultima videlicet Januarii, anno LIX, circa meridiem, quod utinam omine sit *1458 et 1459. — Episcopus ex Trajecto Leodium venit.*

bono! Anno LVIII, papa Calixtus obiit, loco cujus papa Paulus eligitur. Nota

Mors Johannis de Hensberch episcopi. Legationes Leodium missae.

quod hoc anno, in crastino sancti Lucae evangelistae, dominus Johannes de *Hensberch*, dudum episcopus Leodiensis, in oppido Diestensi diem clausit extremum. His diebus diversae sunt missae Leodium, ex parte ducis Burgundiae et aliorum principum, legationes, nobilibus multis ad hoc negotium commune bonum concernens satis exquisite, provideque et diligenter deputatis. Civitas autem, salvis suis privilegiis, curavit sibi in hac parte differentiali arbitramento regis Franciae se committere. Quapropter quatuor magistri civium, quatuor numero ex parte civitatis deputati, cum decenti societate ad regem Franciae sunt missi.

1460. Muri exaedificatio super gradus retro chorum sancti Lamberti. Spectacula.

Anno MCCCCLX, inceptus est murus super gradus, retro chorum ecclesiae S. Lamberti, pulcherrimo sculptili opere. Eodem anno mense Augusti, circa festum sancti Laurentii et deinceps, ambitiosa plurimum facta sunt spectacula in Leodio, per vicos vicissim, etc. Unde magistri civium necessario curaverunt prohibere hujusce modi societatum partiales petulantias. Hoc itidem

Leodii cessatur a divinis.

anno, pluries cessatum est in ecclesiis Leodii, propter laïcalem manum in clerum injectam, occasione cujusdam canonici a suo concanonico in oppido Diestensi interfecto. Propter quod executores domini episcopi capientes rectorem scholarium ecclesiae S. Sulpitii, duxerunt in Curinghem captivum, extorquentes per torturas certam summam pecuniae, qua redimere se habebat captivus praetactus. Quem cum instanter secundariae ecclesiae a domino episcopo repeterent, et ipse captivum reddere nollet, organa sua diversis vicibus suspendentes, a divinis officiis cessare curaverunt. Quae res nimirum coepit esse seminarium aliorum sequentium malorum. Ad cujus rei augmen-

Procuratorum insolentia.

tum accessit et alia exorbitatio procuratorum, praecipue eorum qui fiscales constituti erant ex parte domini episcopi, in diversis locis Leodiensis dioecesis radentes indifferenter pauperem plebem etiam pro parvis excessibus, usque ad unguem cunctam carnem in superficie ad ossa usque depascendo. In tantum quod, prout fertur, per exactissimam inquisitionem commissariorum ad hoc constitutorum veraciter compertum sit, procuratores solum in patria Lossensi, infra spatium quatuor aut quinque annorum, a pauperibus se defendere non valentibus summam centum millium florenorum aureorum, exceptis attamen compositionibus (quae septem florenos non excedebant), emulsisse seu extorsisse. Quare pertaesus cunctus per omnes fines patriae populus, ad coelum vociferantes murmurare coeperunt, omnem ecclesiasticam jurisdic-

tionem detestantes, maxime etiam pro eo quod domini majoris ecclesiae, quibus de praefatis exactionibus sufficienter insinuatum fuerat, nullum curabant apponere remedium. Et propterea accidit summum statim inconveniens propter negligentiam eorum, qui praecedentibus inconvenientiis resistere non curabant. Igitur principiis obsta, tarde medicina paratur.

Igitur anno LXI, cum eatenus pauper devoraretur in abscondito, et pro- 1461.
curatores in suis executionibus faciendis modum non haberent, certos ponendos limites procul dubio in dies excedere curantes, ex multo murmure communis populi jamdudum fatigati, occasione accepta, praecipue cum tempus malum malevolis arridere videretur, ecce passim viles et inopes personae, homines rurales atque tabernarii, quadam divina permissione, ecclesiasticam jurisdictionem temerantes viliter coeperunt conculcare et in despectum Dei et ecclesiasticae libertatis evertere. Emerserunt denique ex villulis et agris hujuscemodi homunciones temerarii, se vocitantes teutonice *dy cluppelsclayers*[1], ferentes super brachium seu pileum suum picturam, scilicet vagum in papiro depictum hominem, fustem viridem manibus ferentem, qui in diversis locis confoederati gregatim, socialiter incedentes, ecclesiam malignantium ausi sunt constituere. Nam primum circa oppidum Lossense in quodam villagio quemdam presbyterum, Hellinum nomine, laicaliter satis viventem, coeperunt invadere, domum ejus destruendo ac substantiam diripiendo, ipsumque presbyterum capite deorsum verso in foveam quamdam demergendo. Statimque alium, nomine *Beyart*[2], procuratorem aggressi, in medio vivarii gratia majoris securitatis locum habitationis sibi constituentem, domo mox ejus circumdata et violenter destructa, captivum abduxerunt, multam pecuniariam mulctam ei imponentes, tandem bene mulctatum vix abire permiserunt. Quidam etiam eorum, postquam in conventu Carthusiensium prope Diest in Seelem bene pransi satis comedissent et bibissent, prae nimia eorum petulantia, dimissa aqua ex vivario suorum alumnorum, omnes pisces destruxerunt gratiarum loco actionum. Haec vero et similia frequenter in patria Lossensi agebantur, ut ortum habere praedicti latrunculi coeperunt, praecipue circa sanctum Trudonem, in Tongri et circum circa. In oppido Lossensi, ante peronem in medio fori ex scriniis procuratoris undecumque progesta ac direpta registra, libellos, processus, instrumenta, litteras et quid-

Procuratores et ecclesiastici a vili plebecula percutiuntur.

[1] Cfr. Foullon, *Hist. Leod.* tom. II, part. I, p. 49. [2] alias *Reyart*.

quid scripturae reperire potuissent sine respectu, saepe [1] etiam alicujus contradictione, publice igne concremantes combusserunt. Simili modo in aliis locis effecerunt, maxime tamen in Tungrensi oppido, ubi malignantium caput

Derisio curiae spiritualis.

erexerunt, in ecclesia videlicet S. Nicolaï, qua abutentes derisorie, curiam officialis fingendo, ad placitandum aptum sibi locum delegerunt. Quo etiam unum ex suis, ad flagitia perpetranda potiorem, officialem constituerunt, cujus nomine et auctoritate usurpata ridiculose homines citabantur, condemnabantur et excommunicabantur, et hoc per procuratores, apparitores, syndicos fictitios, qui nominibus et cognomine procuratorum se vocari permiserunt. Nam alius vocabatur *Back,* alius *Sonck,* alius *Juncis,* alius *Gorren,* atque alii aliter et aliter juxta cognomina eorum, quorum officia usurpative exercere videbantur, quos etiam praetactos procuratores apposuerunt captivare et captis immensam mulctam imponere. Ita quod unusquisque eorum qui in manus eorum incidisset, juxta facultatem substantiae suae datis pecuniis, necessario habebat se redimere, alius pro tribus millibus, alius pro duobus, alius mille florenis, atque aliqui evaserunt pro quingentis, aliqui pro florenis ducentis, alius vero solvit sic et sic, prout componendo apud praedictos exactores gratiam potuit invenire. Sed et homines praetereuntes ad se vocabant, et per aggravationem eos excommunicatos reputabant, et quos volebant, mediante pecunia absolvebant. Haec autem et similia quotidie in derisionem ecclesiasticae jurisdictionis per tales fictitios officiales gerebantur. Et quod magis est, non erat, vel saltem raro erat aliquis, qui his monstruosis attentatis condoleret, ne dicam contradiceret. Sed potius pro ludo ista habebantur, et (sicut communiter fieri consuevit) laïcos et homines seculares novitatum avidi sibi fautores favorabiliter constituerunt. Et inde erat, quod nullus ausus fuit praefatos derisores corripere, et post consequens minus aliquis praesumpsit eis prohibendo legem imponere. Quare dominus episcopus, his sic se habentibus, per suum capitulum celeriter vocatus venit Leodium, et indicto capitulo, multae querelae a diversis partibus et deputatis

Querelae apud episcopum deponuntur contra ipsius officiales.

oppidorum coram domino episcopo exstiterunt propositae, causatumque est ibidem de dissimulatione dominorum episcopi et aliorum, ex parte ipsius officialium et commissariorum. Et quia ante aliquot annos contra fiscalium et procuratorum exorbitationes nullum appositum fuit remedium, ideo necesse

[1] Fortasse legendum *sine*.

erat, quod consequenter haec redundare inciperent in ipsum dominum, imo finaliter malo auspicio in totum communem populum. Quod heu! tandem damnabiliter vidimus impletum. Praeterea ordinatum ibidem tunc erat quod magistri cum certis deputatis, per comitatum Lossensem ac in aliis locis opportunis, debitam de praetactis inquisitionem facere deberent et inquisita diligenter referre. Sed cum causa inquirendi deputati ad Tungrim venissent, non sunt permissi inquisitionem facere, sed per Tungrenses sunt prohibiti, et sic vacui ad propria sunt reversi. Porro alii deputati, missi per alia loca comitatus Lossensis, reversi sunt feria quarta ante Pascha. Unde post octavam Paschae venerunt Leodium magistri civium singulorum oppidorum, sollicitantes quatenus coepta inquisitio sortiretur effectum. Quibus adhaesit dominus Raso de Lintris, alias de *Heers*, principalis tanquam contra procuratores executor. Praeterea dominus Leodiensis, nolens se partem facere cum procuratoribus, protestatus est se ignorasse procuratorum excessus, et omnia facta fuisse sine ipsius consensu. Quare factum est, quod ipsemet dominus episcopus una cum magistris civium et aliis consulibus et juratis in unam sententiam conveniret, quatenus omnes de curia sua officiales, videlicet sigillifer, cancellarius, officialis, notarii et quicumque alii, coram scabinis citandi vocarentur. Item et collectores archidiaconatuum cum notariis et procuratoribus sunt vocati. Qui comparentes una cum aliis praetactis omnes juxta sua demerita exstiterunt condemnati, et ad certas pecuniae summas exsolvendas sunt adstricti, quarum tertia pars debebatur domino episcopo, secunda pars oppido, ubi condemnatus moram trahere putabatur, et alia tertia pars solvebatur civitati Leodiensi, vel aliter juxta exigentiam personarum et locorum. Unde penultima Aprilis proclamatus est Nicolaus *Sonck* condemnatus in tribus millibus florenorum Rhenensium, deinde Hugo *Back* condemnatus in duobus millibus, item *Keyart*[1] in trecentis aureis, item Jacobus *Gorren* in ducentis, Johannes *Juncis* in centum quinquaginta Rhenenses. Et sic consequenter factum est cum aliis, qui omnes proclamati sunt et mulctati juxta eorum facultatem et exigentiam, privatique omnibus suis officiis et commissionibus, inhabiles effecti quibuscumque officiis habitis et habendis. Praeterea et in aliis oppidis facta inquisitione omnes simili modo fuerunt eadem poena condemnati hujuscemodi vitii rei avari exactores. Post haec

Raso de Heers.

Episcopi officiales mulctantur.

[1] Alias *Reyart*.

conabatur dominus episcopus corrigere per favorem et diffinitionem scabinorum et magistrorum forefacta et excessus cleri et ecclesiastici status, sed ad intentionem suam in hac parte non pervenit, contradictores enim habuit.

Ad Annulum palatii episcopus vocat Lossenses.

Deinde dominus episcopus multos ex patria Lossensi ad Annulum palatii studebat vocare, quae res facile malum potuisset sortiri finem, si ii qui vocabantur potuissent sibi constituere capitaneum. Interea cum haec et quamplura similia attentarentur hinc inde, quae nimis prolixa sunt mandare scriptis, con-

Episcopi in Mechliniam profectio.

tigit dominum episcopum Mechliniam pergere ob mortem regis Franciae, quia fama erat, quod dux Burgundiae Delphinum, in Brabantia exulantem [1], armata manu deberet in suum regnum deducere. Verumtamen statim postquam rex novus in suo regno receptus fuisset pacifice, nuntiatum est Leodii, quod ipse rex proponeret se de Leodiensibus vindictam sumere, pro eo sci-

Rex Franciae, Leodienses minans, placatur.

licet quod Leodienses defuncto regi ipsius patri favorabiles exstitissent, pactum seu foedus cum ipso habentes, de tradendo videlicet filium exulem ad manus patris ipsum persequentis. Cujus indignationem regis ipse dux Burgundiae, coram rege in terra prostratus, pro Leodiensibus orans, opportune curavit exstinguere. Dominus autem Leodiensis nactus opportunitatem, memor injuriarum in causa jurisdictionis suae violatae, studuit oleum adhibere camino, de injuriis sibi et suis illatis coram rege, prout ferebatur, conquestus. Nihilominus tamen per litteras ad Leodium directas visus est suadere

Leodiensium legatio in Galliam.

civibus suis, quatenus honestam legationem Leodienses ad regem indignatum destinarent, si forte iram regis rationabiliter placare possent. Quod et factum est. Nam missi sunt magistri civium una cum nonnullis aliis sapientibus et eloquentissimis viris accurate ad tale negotium explendum deputatis. Exeuntes ergo a Leodio cum quodam capitaneo a rege misso, infra octavam sancti Aegidii tandem favorabiliter coram rege sunt deducti, atque ab eo gratiose praeter spem fuerunt suscepti, non obstante insimulatione qua satis criminabiliter apud ipsum regem exstiterant accusati. Adeo enim apud regem successu temporis gratiam meruerunt, quod nonnulli eorum, qui missi fuerant, insignibus militaribus insignirentur, quorum videlicet advocatus de *Leers* unus exstitit, et alter dominus Johannes de *Saranio.* Magister vero Aegidius de *Meess* recusavit sibi tantum honorem adhiberi, pro eo scilicet

[1] Cfr. De Reiffenberg, *Mémoire sur le séjour que Louis, Dauphin de Viennois, depuis roi sous le nom de Louis XI, fit aux Pays-Bas, de l'an* 1456 à 1461. (Nouv. Mémoires de l'académie royale des sciences et belles-lettres de Brux., tom. V.)

quod terram seu dominium temporale minime haberet. Praeterea ad petitionem eorum, qui in hac parte legationem Leodiensium strenue sunt executi, sub protectione seu salvagardia Leodienses ab ipso rege jam bene pacato benigne sunt suscepti. Igitur dominus episcopus a Francia ad Bruxellam reversus, coepit valde rigorose procul dubio contra suos cives procedere, Interdictum. cuncta oppida comitatus Lossensis una cum civitate Leodiensi interdicto supponendo [1], et hoc ad instantiam procuratorum, quorum causam ob excessus contra ipsos perpetratos jam conabatur ipse dominus episcopus ordinaria auctoritate studiose defendere. Appellatum tamen nihilominus est ad metropolitanum archiepiscopum Coloniensem. Qua appellatione non obstante, partibus hinc inde variantibus, observari coepit interdictum circa finem Novembris, non sine magna commotione plebis vix mitigari volentis. Quapropter oborta est quodammodo quaedam controversia inter clerum et communem populum diversa proponentem. Porro deputati sunt quidam domini ex parte ecclesiarum, qui una cum magistris civium pergerent ad dominum episcopum Mechliniae residentem, quaestionem super praetacto interdicto relaxando quantocius habituri. Qui cum apud dominum episcopum suam legationem legaliter executi fuissent, revertentes in crastino apostoli Thomae, retulerunt ex parte domini episcopi quamdam cedulam, cujus tenori si Leodienses intendere vellent, tunc diaeta una vicesima Januarii in Trajecto habenda foret. Igitur contentis praetactae cedulae spretis, et per consequens praelibata diaeta in Trajecto habenda non admissa, multiplicari coeperunt mala in patria, quippe civibus tumultuantibus contra consiliarios et fautores episcopi, quos perpetuo a patria proscribi procurarunt, et e contra domino episcopo nimis suo consilio suoque sensu inhaerente, quibus magis rigore uti libuit quam modo, contra id poëticum : *Omnibus adde modum*, etc. Quam abusus modi toti patriae postea fuerit contrarius et nocivus, heu! in sequentibus postmodum lamentabiliter patebit.

Igitur omissis multis quae per singula recitari nimis prolixum esset, ad 1462. certam indictam diaetam, in oppido Trajectensi circa principium Januarii Diaeta in Trajecto. anni LXII celebrandam, accesserunt Trajectum una cum magistris civium praelati ecclesiarum atque alii deputati ex singulis ministeriis. Ubi cum plurima pluries per doctos viros, ex parte archiepiscopi Coloniensis missos pro

[1] Cfr. Foullon, op. cit., tom. II, part. I, p. 54, et Adrianus de Veteri Busco, apud Martene *Ampliss. collect.*, tom. IV, p. 1250.

bono pacis, pro relaxatione interdicti proponerentur et pro concordia inter partes habenda, etiam ex parte ducis Burgundiae vicem suam interponentis satis opportune sollicitaretur, tandem post plures conventiones penitus nihil factum est seu conclusum, quod relatione posset esse dignum. Porro legati ex parte ducis Burgundiae, audientes suum dominum febribus laborare, negotio infecto ad sua loca quantocius abierunt. Denique pro bono pacis non cessabant laborare boni viri, prout episcopus Tornacensis [1], cum aliis nobilibus hominibus ducis Burgundiae denuo ad Leodium destinatis, habentibus commissionem quomodo modus inveniri posset, per quem dominus episcopus in suam civitatem pacifice reduceretur, cunctorum offensis hinc inde dimissis. Quod cum facile fieri non esset possibile (quippe hinc inde partibus in suo rigore perseverantibus), nam episcopus centum millia florenorum aureorum pro suis expensis in diversis locis factis pro subsidio exigebat, atque, ut reverterentur ad civitatem proclamati ac sui occasione banniti, instanter volebat. Ex adverso vero cum praetactis episcopi Leodiensis petitionibus Leodienses cives semper populariter tumultuantes nequaquam satisfacere vellent, sed magis tanquam malos episcopi consiliarios perpetuo merito relegandos decrevissent, et denuo novo a sede apostolica interdicto impetrato, omnis tractatus cunctusque labor vices suas interponentium cassatus est, et in vanum exstitit habitus. Et sic factum est, quod in dies malis prioribus pejora mala damnabiliter succederent, et omnis spes pacis et concordiae inter dominum episcopum et suos cives fere penitus adempta esset, praecipue ideo quia cum continuo dominus Leodiensis a sua patria absens esse mallet, et omnis lex et justitia, domino episcopo sic volente, ubique dormitaret, per totam patriam injustitia suum caput erigere coepit, et hoc eo violentius et insolentius quo temeritati et improbo malignantium ausu nullus probus contradicere praesumebat. Interea vero quid de novo apostolico interdicto in mense Septembri posito fieri deberet, cum plurima contingeret haesitatio, aliis cessare volentibus, aliis appellationi inhaerendum esse putantibus, tandem appellatum est a papa minus consulto ad ipsum melius consultum. Nihi-

Episcopus exigit centum millia flor. aureorum

[1] Guilielmus de Fillatre, Burgundio, ordinis S. Benedicti monachus et abbas S. Bertini Audomaropoli, favore Philippi Boni Burgundiae ducis, cujus obsequiis pridem addictus erat, primum ad infulas Virdunenses, inde ad Tullenses, denique anno MCCCCLX ad Tornacenses nominatus fuit. Librum gallico idiomate scripsit de origine et praerogativis ordinis Aurei Velleris, cujus cancellarius a Philippo Bono fuerat constitutus. Cfr. *Biblioth. Belg.*, tom. I, p. 402.

lominus tamen magna exstitit facta consultatio inter doctores Colonienses diversimode in hac parte sentientes. Quibus non obstantibus, pro majori cautela observatum est interdictum, excepto quod aliqui ex mendicantium ordinibus propter terrorem civium divina officia ad tempus publice celebrabant. Dominus autem episcopus auctor interdicti et cessari procurans misit ad villicum Leodiensem, jubens quatenus ipse virgam deponeret et scabini sedes suas in Trajecto tenere deberent, omnemque ecclesiasticam jurisdictionem una cum officialis curia et sigillo ad oppidum Trajectense transferendo. Sed et sacros ordines post festum exaltationis sanctae Crucis per suum suffraganeum [1] in Trajecto celebrari instituit. Praeterea circa medium mensis Octobris misit civitas Leodiensis nobilem legationem tam ex ecclesiasticis quam ex secularibus sapientibus viris versus ducem Burgundiae, gratia sanum consilium habendi. Sed quid factum fuerit non facile percipiebatur, nisi quod cum mox Leodium essent reversi, statim denuo ad Bruxellam properare curabant, ubi diaeta commune bonum concernens teneri debebat. Quae tamen difficilem sortita est effectum. Interea enim dominus episcopus missis litteris ad Leodium, ipso videlicet die omnium Sanctorum, voluit quod Leodiense capitulum una cum secundariis ecclesiis se transferret ad Trajectum. Super quo magistri civium, in die Animarum, in capitulo Leodiensi coram domino decano et suis canonicis projecerunt in medio excommunicationis processus. Sed ubi decanus legendo aliquantulum materiam intelligeret, omnia a se rejecit, obtestantibus magistris quod coeptam appellationem prosequi vellent, non curando quidquid inde evenire posset. Porro in crastino S. Huberti domini de majori [2] ad capitulum sancti Petri convenerunt una cum aliis ecclesiis, et deinde ad S. Lambertum descenderunt, ubi conclusum fuit, quod certi deputati ad dominum Leodiensem mitterentur, de translationis negotio se excusaturi. Quos itaque missos dominus episcopus audire in suis commissionibus cum recusaret, diceretque se amplius nihil requirere ab ecclesiis quam quod suis antecessoribus exhibitum novisset, etc.; propter quod in crastino ecclesiae ab hac sui episcopi sententia appellaverunt. Circa haec tempora electi sunt per vicos civitatis Leodiensis capitanei, pro eo quod fama venerat qualiter civitas Maguntina per suos cives tradita exstitisset.

Trajectum transferre jubet curiam et capitulum.

Deinde decima Decembris receptus est Leodii cum summo honore et clan-

Legatus regis Franciae Leodium venit.

[1] Johannes, episcopus Liberiensis. Cfr. Ernst, *Tableau hist. et chron. des suffragans de Liége*, pag. 137.

[2] *Ecclesia.*

gore buccinarum quidam vir nobilis, unus praesidentium parlamenti regis Franciae, prout ferebatur, ex parte regis missus primum ad ducem Burgundiae, deinde ad episcopum Leodiensem et quidem ad totam communitatem civitatis Leodiensis. etc. Hunc praefatum regis commissarium magistri civium circumduxerunt per singula monasteria civitatis, exhibentes se plurimum favorabiles et gratiosos, propinantes eidem, antequam recederet a Leodio, vasa argentea pretiosa multa, ponderis videlicet xliij marcharum, cunctis etiam ipsius suorumque expensis solutis, ac insuper tota ejus familia novis vestimentis decorata, cui pro bibalibus summa quinquaginta Rhenensium dicebatur propinata. Hic praelibatus dominus toto tempore, quo in istis partibus fuit, spatio videlicet quasi quatuor mensium, valde pro pace et concordia fideliter se exhibere studuit, personaliter in diaetis diversis comparendo, quae vel Trajecti vel etiam Bruxellis seu quocumque alibi tenebantur, regis negotium strenue exequendo, et praecipue in causis, quae ad pacem Leodiensium erant, prout in commissis habuit, integrum se virum et fidum exhibuit.

1463. Sequenti vero anno, qui erat LXIII, penultima Martii, missus legatus

Apostolici legati intercessu relaxatur interdictum. apostolicus [1] venit ad urbem Aquensem, ubi auctoritate apostolica fecit vocari dominum episcopum Leodiensem et burgimagistros Leodienses, una cum aliis magistris oppidorum comitatus Lossensis: ubi cum plurima fieret altercatio inter partes, scilicet inter episcopum et suos cives, quos ligatos a se censuris teneri gloriabatur episcopus. Magistri ex parte civium nullum volebant inire tractatum, nisi prius tolleretur interdictum. Ad quod consilium episcopus consentire noluit, nisi de offensis domino episcopo prius esset satisfactum. Dominus vero legatus interponens vices suas, suadebat Leodiensibus de cautione ponenda, ad tenendum irrevocabiliter, videlicet ea quae domini de Rota judicaturi essent. Cautio vero erat centum millia Rhenensium. Magistri autem reversi ad propria, post Pascha per dominum legatum denuo sunt citati ad certum diem. Quibus comparentibus, dictus legatus multas proposuit vias ad inveniendum pacis modum, sed neque etiam hac vice voluerunt Leodienses intrare aliquem tractatum, nisi prius tolleretur interdictum. Quod legatus renuit facere, nisi reintegrata jurisdictione ecclesiastica, et caetera similia. Cives autem cum magistris importune instabant apud ecclesias de organis suis resumendis, mediante nova denuo appellatione interponenda. Quod cum

[1] Nuntius apostolicus, a Pio II missus ad interdicti causam examinandam, illudque relaxandum, erat Petrus Ferrici, decretorum doctor, electus episcopus Tyrasonensis.

ecclesia facere non auderet, petens sibi usque in crastinum dilationem deliberandi et terminum mittendi ad urbem, quidam ministeriales, mechanici prout fabri, sua officia statim voluerunt claudere contra clerum : quod tamen non est praesumptum. Deinde statim dominica die, octava Maii, cives in palatio congregati nolentes esse sine lege, petebant instanter legem debere habere cursum, volentes insuper sibi facere mamburnum, volentes desuper probare amicos et inimicos. Cum autem haec et similia saepe tentarentur, tandem cooperante domino legato, qui improbitates nostrorum nonnunquam patientissime sustinuit, litterae de cautione sufficienti praestanda primum per Leodienses, licet difficillime ad hoc inductos, sunt sigillatae; sed et non minus difficile aliorum oppidorum consensus est ad sigillandum acquisitus. Itaque litteris praetactis sigillatis, deputati civitatis et oppidorum perrexerunt ad dominum legatum in Aquisgrani commanentem, petentes interdictum relaxari debere. Qui benigne hoc se facturum respondebat, reintegrata tamen prius domini episcopi jurisdictione. Quapropter non diu postea post proclamatam in Leodio jurisdictionem episcopi ac restitutam, ipsamque debere deinceps habere cursum, et sub poenis et censuris ecclesiasticis a nemine temere infringendam, statim post missa est ad Leodium relaxatio interdicti, hora quinta post vesperas, pulsatis campanis et cantantibus *Te Deum laudamus*. Praeterea dominus Leodiensis, qui adhuc dicebatur electus, pro eo quod nondum erat in sacris constitutus, dominica post festum venerabilis sacramenti, exceptis proclamatis et a civitate bannitis episcopi fautoribus, in suam civitatem est reversus, sua electa familia stipatus. Igitur in crastino sancti Johannis Baptistae, capitulo ad hoc indicto, cum dominus episcopus peteret sibi concedi sua proposita, et civitas e converso repeteret sibi restitui prout prius omnia, et neutra pars alteri voluisset cedere, tunc ecce suspensa manserunt utriusque partis proposita universa. Dominus autem episcopus transferens se de loco ad locum, nunc videlicet ad Huyum, nunc vero ad Trajectum et ad Curinghen, se suis Leodiensibus non satis confidens, meruit commendari per litteras a duce Burgundiae ad Leodium destinatas comminante, quod nisi via juris et non de facto in faciendo inquisitionem Leodienses procederent, praesertim cum ad hoc apostolicus legatus requisitus in urbe Aquensi resideret, tunc non posset ipse neque ejus filius Carolus sui nepotis, episcopi videlicet, illatas injurias amplius dissimulando pertransire, sed assistentiam suo nepoti opportune intenderet adhibere. In crastino vero Aegidii, cum domi-

Episcopus Leodium reversus mox Trajectum commigrat.

nus episcopus Trajecti esset, missi sunt quatuor canonici majoris ecclesiae ex parte capituli, ad remandandum ipsum dominum episcopum et ad inquirendum an ipse haberet a summo pontifice ulteriorem dispensationem super videlicet sacris ordinibus non suscipiendis, quia consules et magistri civium requisierunt in capitulo, quod bona episcopatus sequestrari deberent, quia Ludovicum de Borbon non tenerent pro suo domino, nisi aliud ipse ostenderet, etc. Dominus autem episcopus ad se missis respondit deputatis, quod adhuc ipse ad minus haberet annum, infra quem se posset facere promoveri ad sacros ordines, quamvis etiam aliam dispensationem non haberet. Insuper ad tollendum scrupulum dixit se impetrasse bullam novae dispensationis, qua papa secum dispensasset, donec tricesimum suae aetatis implesset annum. Sed et ideo dicebat se non facile venire ad Leodium, quia nesciret quos secum deberet adducere, pro eo quod vix aliquis de consilio vel ejus familia suis aemulis esset gratus Leodii existentibus, quorum insidias optime foret expertus. Cumque deputati instarent, petentes copiam bullae dispensationis ipsius episcopi, respondit se non nisi judicialiter id facturum. Praeterea cum haec et plura alia fierent, quae nimis prolixa essent scriptis mandare, et cum jam dominus episcopus nonnunquam ad Leodium revocatus redire non curaret, negotia patriae interim ad deteriora disponebantur. Quae res etiam in ea parte augmentum sumpsit, quo inter quosdam magnates patriae ob privatum odium intestina bella succrescere videbantur. Nam inter dominum Rasonem de Heerscastri alias Lintris et domicellum Johannem de Hamalia capitale diu viguit bellum, in quo, persecutione durante, plurimorum se partes facientes dexteram manum seu pedem abscissos amiserunt, praeter quamplures alios occisos ac alias male tractatos. Magna denique ubique crescebat partialitas ac multorum implacabilis animositas, propter quod spes pacis seu tranquillitatis nulla erat. Dominus interea legatus videns rem patriae Leodiensis quoad concordandum partes arduam et satis difficilem, expleto debito legationis suae, in mense Octobri recedens ab Aquis, accessit versus Treverim. Hoc etiam tempore facta fuit Leodii inquisitio de iis, qui recepissent bona dudum confiscata eorum qui dicuntur Datinenses; et fuerunt inventi plures, qui levarunt praetacta bona, nullam reddentes computationem: propter quod quidam tanquam furti obnoxii se absentaverunt, unde et proclamati sunt et banniti, reputati veluti fures et perjuri. Quidam tamen se redemerunt, taxati unus pro sexcentis Rhenensibus, alius pro ducentis et alii aliter atque aliter, juxta singulorum qualitatem et facultatem.

Discordia inter Rasonem de Heers et Johannem de Hamalia.

Datinenses.

Praedicatoribus et Minoribus poenitentia imposita ob interdictum ab ipsis non servatum.

In mense Decembri, fratres Praedicatores et Minores revertentes ex urbe exhibuerunt in capitulo Leodiensi bullam continentem modum absolutionis, quo videlicet absolvi deberent a decano S. Lamberti, quem judicem elegerant, fatentes humiliter, genibus flexis, se gravissime deliquisse ob videlicet interdictum per ipsos non satis bene observatum. Quos quarta dominica adventus Domini dominus decanus Leodiensis, sedens in medio ecclesiae sub corona post processionem factam, eos coram se humiliter prostratos et culpam confitentes, emendam spondentes absolvit, injunxitque poenitentiam salutarem satisfactionis loco, quatenus scilicet ipsi sic absoluti dominos de majori ecclesia unacum aliis secundariis rogarent de una speciali missa habenda, ad quam processionaliter convenire deberent, prout moris est, omnes ecclesiae, quo etiam die ipsi tanquam rei jejunare deberent in pane et aqua, sicut et post Pascha, quo etiam bis in hebdomada in pane et aqua jejunare de injuncta poenitentia deberent usque ad Pentecostes festum.

Notandum quod hoc anno ignis casualis combussit fere dimidiam partem oppidi Busciducensis. Item similiter in Sciedam oppido Hollandiae, item in Steinberch totum combustum est infra oppidum, ecclesia et hospitali et una domo exceptis.

Hoc eodem anno, dominus dux Burgundiae manens in oppido S. Audomari cum rege Franciae, qui circa illas partes venerat, concordiam videbatur iniisse de Picardia, videlicet restitutis duci suis pecuniis exbursatis. Item dux Carolus in Hollandia aedificari fecit castrum in Gorken.

Eodem vero anno, infra octavas sancti Martini, in oppido Brugensi celebratae fuerunt solemniter nuptiae ducis Gelriae, ducentis in uxorem sororem episcopi Leodiensis domini Ludovici Borboniae.

Anno praeterea LXIV, cum crebris precibus pulsaretur dominus electus, 1464
quod in civitatem suam reverti deberet, omni rigore seposito, ipse dominus praetactus in sua semper sententia perseverans respondit se velle prosequi causam suam usque ad finem litis, quatenus patere posset, cujus causa vel bona vel mala esset.

Dux Burgundiae meditatur expeditionem contra Turcos.

Praeterea hoc anno circa finem Martii, nuntiatum est Leodii, quod dux Burgundiae, proponens expeditionem facere contra Turcos, impetrasset apostolicas bullas de recipiendo videlicet decimas omnium beneficiorum, infra limites suae patriae situatorum. Item et quod papa reservaverit sibi per triennium decimam etiam omnium bonorum et reddituum ecclesiasticorum

in usus expeditionis contra infideles. Quapropter ecclesiae mittentes ad dominum episcopum Trajecti existentem, ejus implorantes consilium et auxilium, quibus dominus episcopus, accepta dilatione respondendi, tandem dixit se non credere quod suus avunculus, videlicet dux Brabantiae, aliquid quaereret contra clerum Leodiensis patriae, neque bullam impetratam ita esse intelligendam. Atque etiam si et in quantum dux praetactus ita putaret et intelligere vellet, hoc tamen credendum esset de mente papae non esse, cum papa optime nosset clerum Leodiensis ecclesiae et statum ipsius patriae, etc. Haec autem responsio domini episcopi recitata in capitulo Leodiensi cunctis satis grata exstitit. Nihilominus tamen post recitationem apostolicarum bullarum, quae quinque dicebantur numero, sed solum tres fuerunt publice lectae in capitulo S. Petri Leodiensis, etiam praesentibus inibi quibusdam canonicis S. Lamberti, deputati sunt ex ecclesiis, etiam de consensu forensium ecclesiarum, quidam domini ecclesiastici, qui pergentes ad dominum ducem rogarent ea quae pacis sunt, impetraturi insuper quoad proposita dilationem trium aut quatuor mensium, quatenus interim ad papam mittere possent, etc.; sin autem, cum terminus brevis sit et negotium arduum, mediante appellatione interponenda, metropolitanus etiam in hac parte consulendus esset. Dictumque est consilio ducis in Insula Flandriae existentis, quod si dux in propria persona contra Turcum pergere deberet, tunc eidem gratiose subvenire vellent condescendendo, non tamen quoad decimam aliquid sibi consentiendo, prius tamen bulla cassata. Interea circa festum Pentecostes, Antonius bastardus, filius naturalis ducis Philippi, recessit a portu de Slusis contra Turcos cum multa manu armata. Praeterea dominus dux descriptionem fieri fecit generalem in Brabantia de domibus divitum et pauperum et indifferenter magnis et parvis, arrestataque sunt voeriscapia [1], etc.

Abbas S. Jacobi coram legato citatur.

His vero temporibus dominus abbas S. Jacobi Leodiensis citatus est coram legato seu oratore apostolico in Aquis adhuc residente, propter videlicet moram et minorem diligentiam factam in extrahendas copias litterarum originalium ex archivis, juxta commissionem sibi pridem factam, qua per *vidimus* dominus episcopus sua jura exhibere necesse fuit. Ne ergo abbas praetactus excommunicationem seu alias censuras incurreret, habuit in propria persona coram domino legato se exhibere, longiori termino ad injunctum negotium

[1] Vectigalia ratione juridictionis *viariae* seu *voeriae* a tenentibus praestanda. Cfr. Du Cange in *Gloss.* verb. cit.

perficiendum accepto. Igitur, testibus productis et copiis litterarum per abbatem S. Jacobi diligenter extractis et in judicio exhibitis, ad decimam Septembris citati sunt ad Treverim, per oratorem seu legatum apostolicum, dominus episcopus Leodiensis et officiales sive rectores communitatis civitatis Leodiensis, ad videndum et audiendum ferri sententiam super attentatis. Quo cum partes die et hora indicta hinc inde comparuissent, lata est sententia contra Leodienses propter attentata [1]. A qua sententia totus clerus una cum communi populo simul appellavit. Ob quam appellationem prosequendam recesserunt a Leodio versus urbem certi deputati in mense Octobri. Sententia contra Leodios lata.

Notandum quod jam hoc anno, in festo videlicet assumptionis Mariae, obierat papa Pius, cui statim papa Paulus successit. Item dominus Nicolaus de Cusa cardinalis S. Petri etiam hac obiit aestate.

Hac denique aestate, circa finem Junii, propter duos aut tres captivos ex patria Lossensi abductos, et in quodam fortissimo castro *Reyde* Gelrensis terrae detentos, pro certo tamen pretio mulctatos, tandem in pace dimissos, Leodienses animose suas vires cupientes experiri, vocatis sibi in auxilium ex singulis oppidis Leodiensis et Lossensis patriarum in certo numero viris bene armatis et ad bellum expeditis, cum multo apparatu armorum bellicorum, per fluvium Mosae sub Trajectensi ponte ad locum obsidionis devectorum, nonas Julii, obsessum praefatum castrum magnanimiter exstitit expugnatum, et tandem tractatu mediante hilariter obtentum. Expulsis ergo latrunculis cum eorum capitaneo *Jan* videlicet *Van Arendael* suisque adhaerentibus, destructum est castrum per Leodienses cum plurimis spoliis ad propria revertentes. Archiepiscopus autem Coloniensis, antequam exercitus Leodiensium ab obsidione praetacti castri abcederet, cum nobili comitiva suorum Leodienses visitare curavit, quibus datis propinis, ipsos magnifice commendando honorare studuit. Castrum de Reyde expugnatum.

In iis diebus tractabatur de pace regum Franciae et Angliae, quorum ubi cum dux Burgundiae mediator esset, venit fama, quod Leodienses post victoriam praedicti castri patriam ducis intenderent invadere. Quare rex Franciae misit mox ad Leodium quemdam nobilem virum [2], octo equitibus comitatum, hujus causae veritatem cupiens cognoscere. Quem honorifice susceptum remiserunt Leodienses, de contrario sufficienter edoctum et instructum.

[1] Cfr. Foullon, *Hist. Leod.*, tom. II, part. I, p. 65, in not.

[2] Tristandus Eremita (*Louis Tristan l'Hermite, grand prévôt de Louis XI*). Cfr. Foul., loc. cit.

Seditio Dionant. Everardus de Marcha.

Per idem vero tempus Dionantenses inter se divisi propter dominum Johannem de *Valle* militem, cujus turrim conati sunt destruere, etiam residuum domorum ipsius, omnibus inde ejectis, enormiter invaserunt. Item dominus Everardus de Marcha, collectis apud Leodium armigeris, magnam vindictam contra suos aemulos exercuit.

1465.

Anno Domini MCCCCLXV, circa initium Januarii, Leodienses impatientissime ferentes quod dominus episcopus abstulisset legem patriae, eo quod nulla fiebat coram scabinis justitia, tandem post multas instantias factas de hac re apud dominum episcopum, videntes se nihil proficere, sumpta occasione ex petulantia ministerii fabrorum, qui jam totum suum ministerium clauserant contra totam communitatem, statuerunt sibi ad monitionem advocati deinceps sibi legem fieri. Quae res ex tunc concorditer per triginta ministeria est approbata, et litteris desuper confectis sigillis sufficienter appensis roborata. Advocatus igitur sic praefectus, quotidie duodecim satrapis stipatus, tanquam villicum seu scultetum se incunctanter exhibuit in facienda justitia, villici officium strenue exequendo. In festo Mathiae apostoli, congregato palatio ad instantiam communis populi, volentis sibi fieri mamburnum, respondit Raso de *Heers* se optime posse procurare de nobili viro cunctis acceptissimo, vice et loco episcopi in mamburnum praeficiendo, dixitque Leodienses per totam Alamaniam plurimum commendatos gratiam conquisisse, propter videlicet victoriam circa castrum de *Reyde* acquisitam. Quae res cum petulantes aures multorum satis mulceret, factum est quod super hac re tota patria convocaretur, ad sciendum quid facti opus esset. Unde in die natalis sancti patris Benedicti comparuerunt in capitulo Leodiensi magistri civium una cum deputatis oppidorum, de mamburno eligendo tractaturi. Capitulum respondit non esse expediens in parte hac inconsulte seu praecipitanter agere, sed potius exspectandum, donec nova perciperentur ex urbe. Similiter et nobiles responderunt. Ad quorum responsum totus populus commotus portas civitatis claudi fecerunt, singulorum volentes scire intentionem votaque perquirentes. Porro die sequenti misit Carolus Burgundiae, tunc dux junior, ad cives Leodienses amicabiles litteras, requirens quod nihil attentaretur, neque inconsulte procederetur, quia pro pace facienda spondebat se velle laborare. Sane hoc non obstante, in crastino quo erat dominica *Laetare Jerusalem*, convocatione facta in palatio, nominatus est Marcus de *Baden*, frater archiepiscopi Trevirensis, ac frater episcopi Metensis, electusque est concorditer in

Advocati usurpatio. — Marcus Badensis, mamburnus civitatis.

mamburnum Leodiensem, atque fere ab omnibus exstitit approbatus. Quem cum Raso de *Heers* tanquam ultroneus temeriansve laudis avidus primus prae omnibus nominasset, diceretque non posse inveniri potentiorem gubernatorem, quippe cum germanus electi sororem imperatoris duxisset uxorem, mox promptulum se exhibuit, cum aliis sex militibus ad hoc deputatis, conceptum negotium celerrime exequi velle, non obstante quod quamplures de ministerialibus clamaverint domicellum Everardum de Marcha mamburnum patriae esse debere. Sed quia praevaluit majoris partis intentio, clamatum est ad Peronem in crastino annuntiationis virginis Mariae, quod nemo praesumeret contraire contra sequelam palatii sub poena bannitionis, etc. Dominus autem episcopus interea de Trajecto transtulit se ad Bruxellam, ad quem cum venissent dominus decanus Leodiensis et alii quidam deputati, rogabant ipsum instantissime, quod ad suam civitatem redire dignaretur. Sed et Huyenses, qui recusaverant mamburnum esse contra dominum suum recipiendum, eadem petebant; vel quod saltem dominus episcopus, cui praestiterant juramentum, ad Huyum veniret, ubi ipsi jurisdictionem episcopi fideliter defendere vellent. His vero auditis, dominus episcopus venit ad Huyum, feria quarta ante Pascha, circa vesperam. In crastino autem, hoc est feria quinta, consecratum est in Huyo sacrum chrisma et in sabbato sancto celebrati sunt ibidem sacri ordines, ubi et episcopus dicitur fuisse subdiaconus consecratus. Quarta vero feria post Pascha, intraverunt capitulum Leodiense ii, qui deputati cum cantore sancti Lamberti ad urbem missi fuerant, referentes secum litteras et apostolicas bullas triplicatas, unam scilicet ad dominum electum, aliam ad capitulum, tertiam ad nobiles et cives, omnes tamen unius sententiae et sensus. Quae cum ibidem recitarentur, supervenerunt magistri et consules civitatis, requirentes a capitulo quatenus, ut decet, electum mamburnum reciperent et jam nunc juxta bonam spem sibi redditam facerent, quia in proxima dominica jam ventura praetactus mamburnus Leodium venturus esset. Domini vero, accepta dilatione respondendi, feria sexta sequenti dixerunt, juxta id quod prius dixerant, scilicet quod eum, quem cives satis insulte elegerant, non essent recepturi, nec ad juramentum neque ad aliquem actum, nisi viderent provisionem ei factam aperte et manifeste, quam etiam publice haberent ostendere et exhibere. Venerant enim jam ante duos hos dies ex parte regis Franciae, quibus rex videbatur commendare comitem Nivernensem, quatenus ipse comes reciperetur in mamburnum. Nam ante aliquot dies fereba-

Episcopus venit Huyum et subdiaconus consecratur.

tur, quod praelibatus comes Nivernensis, cum armata manu descensurus in Brabantiam, intenderet capere possessionem patriae Brabantiae, tanquam proximior haeres, volens Carolum futurum ducem de invasa quasi possessione privare. Venerunt etiam supplices litterae eodem die domini episcopi humiliter petentis. Sed et Huyenses etiam venientes cum plurima instantia, etc. Sed nec ipsi sunt auditi. Parabatur enim palatium cum multimoda pompa ad obsequiose adventantem mamburnum honorifice suscipiendum.

Mamburni in civitatem ingressus.

Intravit igitur civitatem exspectatus mamburnus antiepiscopus feria secunda, qui die praecedenti, in octavis Paschae videlicet, desideranter sperabatur venturus. Cui advenienti omnis honor, prout episcopum decet, a cunctis est exhibitus. Porro cum in foro venisset noster mamburnus duobus comitibus nobiliter comitatus, una etiam cum fratre suo qui erat marchio de Baden, septingentis, prout dicebatur, homicidis, qui cum ipso intraverant, clementer indulsit, ipsosque, ut moris est, liberos fecit. Veniens autem ante gradus ecclesiae, de equo descendit. Quem reverenter susceptum Raso de *Heers* introduxit usque ante chorum, et cum vesperae essent cantatae et ideo chorus clausus, per quemdam capellanum apertus est chorus, quem ingressus facta brevi oratione deductus est per Rasonem praetactum ad palatium accuratissime festivandus. Itaque per communem populum non minus quam novus episcopus est reverenter intronisatus, sed per clerum minime est receptus. Vocatusque Marcus de *Baden* regens et gubernator ac administrator civitatis patriaeque Leodiensis, necnon ducatus de Boulhon et comitatus Lossensis, et hoc tertio die post juramenta praestita, quibus se obligavit. Sed et frater ejus marchio de *Baden* obtulit se litteras velle sigillare, et cum tota sua potestate assistentiam praebere. Postquam igitur noster mamburnus apud Dionantum, apud Tudinum et Covinum cum omni gloria et honore magnifice fuisset receptus, ad Leodium denuo est in octavis Philippi et Jacobi reversus. Quo cum esset, indictum est palatium in profesto S. Servatii, ubi tunc frater episcopi novi fecit juramentum, ponens digitos suos super imaginem Crucifixi in missali depicti, secundum litteras allegationis sibi datas. Similiter juraverunt post eum magistri civium omnes, deinde omnes nobiles qui praesentes convenerant, et post eos scabini et tunc commissarii et consequenter alii et alii. Et ad hoc spectaculum Raso de *Heers* tenebat librum, quatenus inde fieret perjurii auctor, quo ad profanum juramentum praestandum contra proprium suum dominum temerarius erat instigator. Ordinatum quo-

que fuit, quod quicumque infra tres dies fidelitatis juramentum novo domino non praestaret, extra synagogam (ut ita dixerim) fieret, pro inimico reputandus. Postea vero cum Marcus de *Baden* praefatus, in Tungri, in Los et in aliis oppidis intronisatus honorifice, fuisset ad Leodium reversus, quodam die ad hoc constituto, capitulum intravit una cum magistris et consulibus civitatis, petens responsum planum super iis quae pridem jam proposuerat, de videlicet adhaerendo cum communitate contra Ludovicum de Borbon, ad cujus depositionem procedendum esset communi consensu contra eum articulis datis, deque etiam appellatione interponenda, si forsitan opus esset. Haec autem et similia cum non solum nunc sed et aliis vicibus dominis de capitulo proponerentur, quae satis dura videbantur, respondit ex parte cleri dominus decanus, « quod scilicet bene constaret ecclesiam eatenus ultra modum ob plurimas expensas in causa partium hinc inde factas esse gravatam » et adhuc posse gravari, videlicet in mittendo et remittendo deputatos ad » urbem et ad alias diversas diaetas, etc.; et quia summus pontifex reputaret » ipsos ecclesiasticos non fideles mediatores sed laïcorum magis fautores; » quibus tamen non obstantibus, paratos se fatebantur facere assistentiam » quantum possent, honore suo et juramentis suis salvis, atque salva etiam » suarum animarum salute et obedientia sedis apostolicae, cui utique semper » obediendum necesse est, vellentque manere filii obedientes in gremio ma» tris ecclesiae. Nihilominus tamen, si adhuc opus est, et ita foret expediens, » adhuc redderent se paratos ad mittendum seu scribendum versus curiam » romanam suis expensis in causa, quae pendet indecisa inter dominum et » suos cives. Dictumque est, quod aliud ecclesia non posset salva conscientia » dare responsum, quod probare facile est per sacram scripturam et per » omnia jura. » Tradita vero sunt haec omnia in scriptis.

Capitulum mamburnum acceptare differt.

Praeterea vero in die nativitatis Johannis Baptistae, missae sunt cedulae per universas ecclesias Leodienses, de resumendo videlicet interdictum quod hactenus fuerat relaxatum. Unde factum est, quod clerus multum perplexus, cum angustiae essent undique, ab una propter timorem laïcorum, et ab alia parte ne tanquam inobedientes censuras incurrerent, et inde profani et irregulares haberentur, nesciebant inter haec quid magis eligendum esset, praecipue cum timerent, quod nulla interposita appellatio locum haberet, maxime pro eo quod papa personaliter viva voce deputatis ecclesiarum intentionem et mentem suam expressisset. Cum itaque denuo hac de causa clerus in die

Interdictum resumendum.

4

Johannis et Pauli congregatus esset, ad videlicet deliberandum quid faciendum esset, praesertim cum terminus expiraret, et quatuor menses juxta tenorem bullae appropinquarent. accepta adhuc dilatione octo dierum, interim accesserunt decani ecclesiarum cum aliis dominis coram regente seu mamburno necessitatem, qua constringebantur, expposituri, offerentes se promptos ad mittendum pro ulteriori relaxatione ad papam. Interea post quinque aut sex dies advenit nuntius jamdiu exspectatus ex urbe cum litteris comminatoriis. insinuantibus papam nullo modo amplius velle prorogare terminum. et nonnulla similia. Quare perplexi et conterriti domini de ecclesiis, malentes obedire mandatis apostolicis, furorem populi cupientes declinare, coeperunt occulte a civitate recedere et unus post alium, quo melius potuit, a futuro periculo studiose se ipsum subripere. Quo percepto, cives et ministeriales fugitivorum domus violenter invadentes, cunctam eorum substantiam conati sunt auferre, confringendo quidquid occurrere potuit. Quod videntes domini qui remanserant, non sunt ausi sua organa suspendere, maxime cum malevoli studiosissime nocte ac die, an campanae in ecclesiis pulsarentur aut cantus intermitteretur, observare curabant. Quare necesse fuit, si evadere manus persequentium debuissent viri ecclesiastici, tam in monasteriis quam in aliis ecclesiis, cum protestationibus et aliis cautelis, more consueto divina officia cum timore tanquam coacti peragerent. Verumtamen sedato populi furore, proclamatum est ad Peronem sub poena capitis, quod ablata deberent reportari ad palatium, et de contrarium facientibus debita fieret inquisitio, vel tandem potius proprium ad locum restituerentur. Siquidem non diu post ex palatio ad forum devecta spolia canonicorum publice prostituta vendebantur, nemine audente contradicere. Verum paulo ante ex parte regis Franciae quidam nobilis dominus, a Dionanto per Leodienses ductus ad civitatem, visus est Leodienses implorare in auxilium, casu quo rex Franciae contra ducem Carolum deberet assumere bellum. Praeter hanc vero legationem nonnullae aliae factae sunt ad Leodium legationes diversis vicibus, de quibus per singula difficile esset et superfluum narrare.

Clerus civitate clam exit.

Sedes absentium invaduntur.

Marchio de Baden urbem ingreditur.

Interea vero marchio de *Baden,* frater regentis, qui jam ad propria recesserat, cum multis nobilibus comitibus ac aliis dominis, comitatu videlicet quadringentorum equestrium bene armatorum et desuper rubeis vestibus circum amictorum, cum gloria in Leodium sunt reducti. Unde non diu post in vigilia assumptionis Mariae, solemni indicta processione, ubi abbas S. Jacobi

apud sanctum Lambertum celebravit summam missam, praesentibus domino regente praefato, una cum fratre suo marchione de *Baden*, quibus paratus erat locus spectandi divinum officium juxta feretrum S. Lamberti, ubi evangelium cantatur, ac deinde procedente processione in eminenti loco ante palatium, quatenus visus ab omnibus admirandus habitus laudem et favorem cunctorum se spectantium conquirere posset. Cujus talis ostentatio non sine insidiis fuit; nam statim, pro resarciendis suis expensis, instanter petiit sibi dari ab ecclesiis integrum subsidium. Quod non consentiente ecclesia, quippe admodum pauper et exhausta, pro dimidio subsidio tribuendo exstitit requisita, vel quod saltem concederet mutuo certam pecuniae summam, infra certum terminum restituendam. Ecclesia vero, meliori modo quo potuit, importunos petentis laqueos vix declinavit.

Leodiorum in bello temeritas.

Interea nuntiatum est Leodii per magistros civium oppidi Trudonensis venisse videlicet fere duo vel tria millia armatorum ad oppidum Thenense, ex parte ducis Caroli patriam invadere volentium. Quo percepto, Leodiensis populus prae furore ad arma concurrens sine ordine, absque consilio, prout ministeriales de more habent, sese ad invadendum patrias ducis praevenire curabant. In die autem decollationis Johannis Baptistae, ministerium viticolarum accepto vexillo ultra Mosam armati coeperunt procedere, non obstante capitaneorum reclamatione, praesertim cum nondum litterae diffidationis missae essent. Deinde sequebantur drapparii, scilicet pannifices, etc., consequenter alia et alia ministeria, atque tandem temerarii et male consulti omnes. Quos cum regens et ejus frater marchio nequaquam revocare potuissent, videntes homines in sua opinione obstinatos, experientesque populum ferocem et absque jugo, non dubium quin ex tunc de sua salute inceperint cogitare. Quod mox postea patuit. Nam postquam homines nostri sic, prout dictum est, sine disciplina absque ordinatione directer egressi, primum villam de Hervia spoliatam incendio tradidissent, et in crastino circum circa omnia villagia absque aliquo respectu ferociter combussissent, et non minus illi sic combusti et spoliati in ultionem contra nostros provocati similia facerent, nam transita Mosa totum suburbium S. Petri extra muros oppidi Trajectensis et quaequae erant circa Mosam Leodiensis patriae, postquam in cinerem sunt redacta, statim constituta die, Leodienses denuo conglobati, una cum suo regente seu gubernatore necnon ipsius fratre marchione saepe dicto, de Leodio bene armati et instructi armis bellicis apposuerunt denuo ad debellandum

Herviae incendium.

Falcomontis obsidio. Fugam capit mamburnus.

castrum de Falcomonte non bene consultam expeditionem facere. Qui confisi in multitudine suorum armatorum atque in multo apparatu instrumentorum bellicorum, contra praetactum castrum opportunam obsidionem disponere curaverunt. Praeterea hinc inde partibus atrociter pugnantibus, dominus noster gubernator et regens una cum suo fratre marchione, jam forsitan diu desideratam nactus opportunitatem, paulisper cum suis, quos secum adduxerat, comitibus ac ministris ab exercitu Leodiensi elongatus, fugam est meditatus. Recessit igitur hospite, prout communiter fertur, insalutato, Leodiensi populo suis in erroribus obstinato sic in praetacta obsidione dimisso. Cujus fugam cum Leodienses deprehendissent plurimum consternati, se clamantes per Baden deceptos, cum multa confusione imo non sine magno damno suorum ad propria sunt reversi. Quibus sic reversis deputati sunt per singula ministeria viri, qui aestimare et venditioni exponere deberent omnem supellectilem et substantiam, tam in vasis argenteis quam vestibus et ornamentis pretiosis, per deceptorem antiepiscopum in palatio derelictis. Non diu autem postea missis nuntiis ad Leodium omnia sua, quae adduxerat marchio una cum suo fratre regente, instanter sibi restitui petiit, et minas pro salute multiplicando irrogare curavit.

Meffiae cum prioratu combustio.

In his diebus, videlicet in vigilia nativitatis Mariae, villa de Meffia una cum prioratu exstitit combusta per dominos de Fronoymont et de Longo Campo, et quidquid erat patriae Leodiensis per circuitum ibidem et etiam in Condrosio circa Huyum vorax flamma consumpsit. Corpus sancti Severi cum feretro, continente multorum sanctorum venerabiles reliquias, primum ad Huyum deportatum ac exinde apud Leodium, salvationis gratia monasterio S. Laurentii est solemniter illatum. His diebus finis mundi quasi videbatur adesse, nam Brabantini ab illa parte invadentes terram Leodiensem quidquid offendebant, igne concremabant, et simili modo Leodienses atque Lossenses villas plurimas in confinibus Brabantiae ignibus dabant. Erat enim miserabile plurimum, quotidie novos rogos accensos videre in coelum conscendere. Siquidem Brabantini suos terminos, ne ab istis invaderentur, studiose observabant, sed et ipsi cum multa manu armata suam custodiam contra illos in villa de Montenaken valenter tenere studebant. Hoc autem tempore sol uno dierum valde tristem portendebat faciem, blavii enim coloris tota die perseverabat, et de sero pallidum sicut luna absque oculorum obtunsione visibilem se satis exhibuit. Quod an si naturaliter hoc contigerit, vel an

prodigium seu praesagium futurorum fuerit, multis vertebatur in dubium.

Pugna cum Limburgensibus.

Eodem vero die, Leodienses qui erant deputati in certo numero ad subveniendum iis qui erant in Montenako, ad sonitum campanae processerunt contra Limburgenses fugam simulantes, a quibus e contra reversis repulsi sunt, non minus centum quinquaginta de nostris interfectis. Ibidem etiam dominus Quintinus capitaneus noster est captus cum multis aliis. Quapropter facta est Leodii magna commotio in populo, quibusdam volentibus egredi contra Limburgenses, et aliis, quorum praecipuus Raso de Heers erat, cupientibus subvenire iis qui in statione de Montenaken erant, sed et aliis alia proponentibus. Verum praevaluit duarum partium opinio, nam universo populo congregato ad pulsum campanae, magnus subito factus est apparatus eorum qui obsidere debebant oppidum Limburgense. Sed et ex singulis ministeriis deputati sunt, qui in subsidium praecedere deberent eorum, qui stationem tenebant contra Brabantinos in Montenaken. Ubi cum Leodienses ex singulis fere oppidis et villulis deputati et in bellica disciplina minus experti illuc concurrerent, et contra inimicos suos, quos se inferiores aestimabant, satis insolenter se haberent, post modicam victoriam prius obtentam, quadam die circa medium Octobris contra adversarios inconsulte exeuntes et in campum longius provocati, hinc inde per suos inimicos undique circumsepti, miserabiliter absque ullo respectu sunt necati, ita quod numerus interfectorum de Leodiensi exercitu non minus mille et ducentorum aestimaretur. Proinde Leodiensibus malam fortunam expertis ad propria fugientibus, supervenerunt homines ducis superiores existentes, et totam villam de Montenaken combusserunt, et quotquot erant per circuitum villagia incendentes in favillam et cinerem redigebant. Dominus vero de Beerlo et dominus Raso, non minus contra Brabantinos furiose agentes, quidquid in confinibus Brabantiae erat, incendio crudeliter consumebant. Quotidie etenim novos rogos in coelum usque conscendere horribile spectaculum erat. Sed neque ad haec lapidea quorumdam movebantur corda, quin imo in sua pertinacia persistentes, mendaciis protecti, vana spe seducti, de seipsis viribusque suis nimium confidentes, pacis foedera longe projicientes, maximis malis periculosiora mala studuerunt accumulare. Porro Leodienses, qui jam fere tribus hebdomadis contra oppidum Limburgense in obsidione perstabant, audita confusione et prostratione suorum civium et compatriotarum in Montenaken male pugnantium, obsidione relicta et propriis castris igne accensis, quantocius Leodium sunt reversi.

Leodii succumbunt in Montenaken.

Montenaken succenditur.

Actus de pace inter episcopum et cives constituenda.

Post haec pluraque alia magistri civium, una cum ecclesiasticis viris pacem summopere desiderantibus, convenerunt in unam sententiam, de pace videlicet habenda vel de treugis saltem obtinendis, et ubi paulo ante nullus audebat Ludovicum de Borbon vivere impune confiteri, ibi jam tractabatur quod, missis deputatis ad ipsum de inveniendo modo quo esse bonum pacis posset, vel jam tarde post destructam patriam, iterum ad terram nostram redire deberet. Sane ad hoc negotium debite exequendum comes de Mours et comes de Horn ad Bruxellam legatione fungentes, pro treugis saltem habendis laboraturi sunt missi. Qui cum redissent in vigilia S. Martini Leodium, in crastino convocato consilio ac deinde palatio congregato, responderunt praefati domini comites atque etiam alii qui ex parte ecclesiarum una cum magistris versus ducem missi fuerant, quod videlicet de pace et treugis habendis tractando cum duce satis egerant, sed responsum est ipsis quod, priusquam darentur treugae, Leodienses primum deberent suum proprium dominum cum sua propria ecclesia cognoscere atque ad ejus obedientiam venire, etc. Comitatus Lossensis instanter petebat, quod Leodienses paci intendere dignarentur. Idem volebant Dionantenses. Trudonenses se velle tractare dicebant, atque ad idem responderunt Huyenses, qui cupiebant esse neutrales. Tongrenses rebelles erant. Leodienses vero jam tanquam stupidi effecti, non facile se ad novos rumores more consueto movebant. Attamen infra octavam Martini dum statio, quae in Ymael erat, se valenter defenderet contra Trajectenses infestissimos, ad sonitum campanae Raso de Heers accepto vexillo magistrorum exivit in auxilium eorum, qui contra Trajectenses fortiter pugnabant; ministerium enim fabrorum ac deinde omnia officia secundum ordinem sequentia ducem Rasonem, paruerunt ei tanquam capitaneo. Interea factae sunt treugae, datis insuper induciis et salvo conductu decem dierum ad comparendum in Bruxellis, ubi tractandum erat de pace. Quo cum venissent magistri civium, una cum comitibus praenominatis ac aliis deputatis, prolongatis induciis, demandatus est etiam ibidem dominus Leodiensis. Qui cum vocatus comparuisset, vix ullam vel saltem difficillimam suis ecclesiasticis dignatus est praebere audientiam. Causabatur ei plurimum de eorum inobedientia, et quod propter eorum dissimulationem protelationemque negotiorum et specialiter in causa interdicti minus bene servati omnia mala sensim in patriam irrepsissent. Tandem vero, ut breviter dixerim, non sine magna difficultate, per interpositas personas ad hoc specialiter electas, nonnullis etiam

conditionibus mediantibus, vix in gratiam domini sui episcopi sunt admissi. Et ita factum est, quod domini in suis ecclesiis residere nec etiam in ipso die natalis Domini ausi fuerint divina publice peragere, quod tamen alias licere putatur, juxta tenorem capituli in sexto, videlicet : *Alma Mater, etc.*, timentes procul dubio offendere ut puta suo episcopo nondum bene reconciliato. Caeterum cum tota patria nunc jam juxta multorum votum speraretur venire ad foedera pacis, praesertim cum illam nonnulla oppida acceptatam suis sigillis firmiter roborassent, opposita sunt quippe per viros Belial infinita obstacula optatam diu pacem impedientia. Nam electum de Baden mentiebantur quidam a summo pontifice jam confirmatum, alii aiebant in domino de Borbon nullam ponendam esse fidem, atque alii et alii mille artes inveniebant pro pace impedienda. Sed et, quod pessimum erat, ipsum hiraldum ex parte ducis ad Leodium missum, ad factam pacem sigillandam opportune satis populum ad exhortandum promptissimum, omnis homo foedus habens cum morte pactumque cum inferno, trahentes et pugnis invadentes, nisi per magistratus prohibiti essent, absque dubio pacem afferentem facile crudeliter occidissent. Nihilominus tamen vocato palatio concordes fuerunt cives una cum aliis fere cunctis ministeriis, quatenus pax sigillari deberet, ad quam rem faciendam, licet plurimi essent difficiles et impatientes, Tungrenses tamen aliis cunctis erant magis impatientes et difficiliores.

Anno vero sequenti videlicet MCCCCLXVI, postquam apud S. Trudonem pax fuisset conclusa[1] et jam per plura oppida convenienter sigillata, dominus de Ravesteyn et dominus de Paruwes, cum pulchra comitiva gentis armorum venientis ex S. Trudone, suam stationem fecerunt in Lossensi oppido. Dux autem Carolus suum exercitum multorum millium, quem secum ex Francia adduxerat, misit contra Tungrenses pacem impugnantes et contra pacis bonum rebelles. Ipse vero cum majori copia bellatorum, circumseptus bellicorum instrumentis, hospitatus stetit prope Heis, in villa quae dicitur Vechtmael. Ad quem cum venissent ex Leodio cum magistris certi ex singulis ministeriis electi duo viri, et ad submittendum se ex parte civitatis deputati, ab ipso duce Carolo exstiterunt gratiose et pacifice suscepti. Quibus ostendit suam armaturam et in armis bene expeditam, cunctam pompam et bellicum apparatum, dicens se paratum ad obsequendum Leodiensibus, si 1466

[1] Cfr. De Gerlache, *Révolutions de Liége sous Louis de Bourbon*, p. 51.

aliquando se suisque indigere contigerit, dummodo tamen causa Leodiensium fuerit bona et justa, deditque insuper nostris litteras sigillandas, formam pacis continentes, spondens quoque facturum se apud suum patrem ducem Philippum, quod daret et ipse quitantiam, etc. Igitur deputati Leodienses, regratiantes duci, cum laetitia reversi sunt ad civitatem, et convocato palatio exposuerunt benevolentiam ducis et humanitatem sibi factam. Unde gaudium fuit magnum in populo. Haec autem contigerunt in principio Januarii anni praetacti, quo videlicet tempore dominus de Ravesteyn, in oppido Lossensi hospitatus, crebro fecit insultus cum suis armigeris contra rusticam manum in villagio de Wellen conglobatam. Verum in die Marcelli papae, cum villani incaute contra inimicos fuissent egressi circa capellam de Otersloe, ubi cum quidam valde nobilis ex Burgundia miles cum aliis decem a villanis esset interfectus, occisi sunt etiam ipsis ex rusticis non minus numero centum quinquaginta. Hoc vero in loco expensis ducis fabricabatur ad honorem Mariae virginis una capella, quam egomet vidi noviter inceptam hoc eodem anno, ad quam confluebat undequaque populus peregrinationis gratia. Item tunc temporis castrum de Heers, propter rebellionem Rasonis pacem impedire volentis, expugnatum est et obtentum tandemque combustum. Praeterea mox ut exercitus ducis extra patriam se retraxerat, coeperunt undique malevoli sua cornua erigere, tanquam superiores jam effecti, maxime ex villulis rustici, qui suas custodias et stationes, puta in Vliermal, in Wellen seu alibi, diligenter se gloriabantur custodisse, veneruntque primum ad oppidum Lossense pene inermes et pannosi, lineis quidem eorum terinstris[1] vestiti, incutientes non parvum timorem bonis civibus pacem cupientibus, et ex tunc audaciores effecti ad majora facinora perpetranda facile sunt prolapsi. Nam domus eorum, qui jam dudum protectionis gratia ad Brabantiam confugerant, crudeliter invadentes, direptis omnibus quae auferri poterant confringendo male tractabant. Quorum praesumptio ubique jam per patriam, in ultionem eorum qui pacem cupiebant, acriter serpere coepit. In tantum vero numerus eorum mox cepit augmentum, quod vix nullum in tota patria esset oppidum seu etiam grossum villagium, in quo non esset societas nova viginti, triginta, quadraginta aut plurium sociorum numero, juxta exigentiam locorum, qui primum se de *viridi tentorio* nuncupari faciebant, et postea voca-

Castri de Heers incendium.

Colubetuarii.

[1] *Theristrum* vel *teristrum* genus est pallii muliebris, de quo cfr. Du Cange in *Gloss.* verb. cit. Hoc autem loco vox *terinstrum* vel *teristrum* intelligenda est de sagulo seu de ventrali plebei hominis.

bantur *colubrissarii*[1], pro eo quod omnes fundabularii[2] erant, metallinis vulgo colubrissis utentes, instar sagittariorum, quibus arcus sunt pro bellico instrumento; feceruntque sibi liberaturas[3], noviter se vestientes ex bipartito colore, quo videlicet alii ab aliis distinguebantur, semper tamen medietas tunicae de viridi erat colore ac alia medietas coloris erat albi aut blavii aut alterius, prout sibi quaelibet societas elegerat, quatenus sic distincti cognoscerentur facile cujus oppidi aut villagii essent socii. Horum quippe terrore cunctus per circuitum commovebatur populus, non enim ante tantus erat usus colubrissarum, quae ut plurimum apud Leodium tunc temporis praeparabantur. Caeterum ex tunc maxima per totam patriam cura erat et studium mechanicis circa instrumentorum bellicorum et armorum fabricaturam. Ubique enim vigebat opus, et novarum rerum inveniendarum, quae ad pugnandum essent aptae, valde fervebat communis populi instantia a majori viro usque ad minorem; indifferenter pene omnis aetas, sexus etiam et hominum conditio (nescio qua sorte constellationis, non necessitate, sed potius inclinatione, imo quod verius est, humanis demeritis et culpis exigentibus) de armaturis, de defensionibus, de muniendis et fortificandis opportuna loca prout plurimum meditabantur. Ut enim de viris et aetate adultis leviter pertranseam, testis sum ego qui haec ad memoriam ad cautelam pro posteris revocare procuro, si non ego ingenuae indolis puer, aetatis puta septem aut octo annorum, toto studio hujusce modi rebus, una cum contemporaneis consimilibusque meis, totis conatibus puerorum industriam viresque excedens, fuero summopere deditus et intentus. Surrexit enim una pars puerorum contra Puerorum insolentia. aliam, nunc laïcus contra clericum, scholasticus contra mechanicum, unus vicus contra alium ad invicem confligentes, bella quoque altrinsecus conficientes. Quae omnia mala praesagia exstiterunt in proximo contingentium futurorum. At quia puerilia loquor, recitando gesta puerorum eorum certamina concernentia pessima, postea mala praesignantia, procul dubio praestabatur, et mihi sicut aliis, qua nescio, qua prout dixi superiori forsitan naturali influentia animus et animosus appetitus nunc petras et lapides ad jactandum

[1] Seditiosi et facinorosi isti homines, qui honestiorum appellationem a *viridi tentorio* sumpserant, *colubrissarii* seu *colubrini* dicebantur a *colubrissa* seu *colubrina*, quod bellicum tormentum gallice vocatur *coulevrine*.

[2] *Fundabularii* seu *fundibularii*, qui utuntur machina oppugnatoria qua jactantur lapides.

[3] De *liberata* seu *liberatura panni*, cf. Du Cange in Glossario.

congerere et comportare, nunc fundas ad projiciendum lapides carpentare, nunc arcus manuales, nunc balistas puerorum more, et nunc tela et sagittas sine numero conficere et componere. Sed et ex arborum corticibus, absque tamen scitu et notitia nostrorum parentum, qui studiose satis haec prohibebant, toraces, loricas, caeteraque talia armorum speciem praeferentia, industriose fabricare; colubrissas ex animalium quoque ossibus confectas etiam exstitit maxima cura componere, quibus igne apposito jaculandum foret, bombardorum vicem per quamdam similitudinem imitando. Haec vero et similia si pueri permissi sunt facere pueriliter more suo, quid putas tunc faciebant majores et adulti viri in virtute sua, non infantiliter sed seriose studiosissima omnia armorum et instrumentorum genera conficientes. Hinc opponebantur in vicis et in plateis contra adversarios repagula, hinc levabantur in altum fossata industriose lignis compacta, hinc multimodum genus machinarum opportunis locis disponebatur, atque inde etiam quidquid ad loca fortificanda necessarium putabatur operose fuit persecutum et adhibitum. Vix etiam ulla hominum aetas seu memoria recordabatur se vidisse tempora tam implacabilia et ad pacem adeo indisposita. Sed quia rursum nimium est de singulis singula retexere, omissis iis quae vires ad narrandum excedunt,
1466. dignum duxi non silentio praetereundum ea quae hoc anno, videlicet sexagesimo sexto, propriis meis oculis nonnunquam conspexi in civitate Leodiensi, ubi tunc temporis octo mensibus moratus sum cum parentibus meis, qui timore colubrissariorum et propter metum pestilentiae, quae vehementissime in oppido Lossensi grassabatur, ad Leodium evadendi gratia confugerant. Septimum etenim tunc ego agebam annum, et ecce totum fere mundum in nostro climate constitutum ad pessimos errores vidi dispositum et in potestate maligni traditum. Quod facile perpendere potui. In Leodiensi civitate videlicet, ubi lex, ubi justitia, ubi ratio, ubi ordo locum habere debebant, ibi
Belli praesagium. perverso modo ordine praepostero, permittentibus civibus, neque contradicentibus parentibus et majoribus, in tantum ipsi pueri et impuberi adolescentes contra et adversus pacificos homines excreverant et insolenter exuberarant, quod turmatim conglobati incedentes, puerorum prout supradixi more, gladiis ligneis, arcubus et sagittis, lanceis et hastis occurrentes, quoscumque voluissent, invadere praesumebant. Eos nimirum, qui ad instantiam eorum *vivat Baden* dicere renuissent, trahebant et vexabant, percutientesque dehonestare curabant. Vidi certe et ego exercitum puerorum domos pacificorum

invadere, januas irrumpere, fenestras suis lanceis confringere, prout in multis locis jam fecerant, tam extra quam infra civitatem audacter prorumpentes, nemine contradicente, imo multis ad talia spectacula attonitis ob rei novitatem et stupefactis. Usque ad Visetum extendere ausi sunt suas crudelissimas insolentias, violenter domus eorum invadentes, quos de parte de Borbon esse credebant. Singulae siquidem plateae singulas sibi fecerunt societates, sub capitaneo tanquam militantes, et suo sub signo expediti procedentes. Nam proprium vexillum erat unicuique societati, ita quod videbantur, prout et ego saepissime vidi, super majorem pontem et alias ultra Mosam tanquam ad bellum procedere, sub decem aut duodecim vexillis, maximam puerorum turbam, turmatim incedere, quibus et nonnullis majoris aetatis se sociabant, arma de Baden deferentes. In ecclesia S. Lamberti praesumpserunt ad pilaria seu parietes arma domini de Borbon decerpendo vituperabiliter auferre, et eorum loco de Baden arma honorifice collocare. Item ante januas palatii et ad singulas portas civitatis ponebantur insignia seu arma de Baden, et quocumque cives illa ad suarum domorum superliminaria seu januarum postes non habebant, illi suspicionis notam facile incurrebant. In tantum erat miserabilis Leodiensis populus post Baden infatuatus et contra suum proprium dominum inflammatus, quod tanquam sacrilegus haberetur, qui nomen de Borbon detestabile non arderet et nomen de Baden (qui reverti putabatur) excellenter non magnificaret. Verum tamen quod audacia et praesumptio, quae valde invaluit, puerorum refrenaretur, in concilio civitatis aliquando fuit propositum, sed propter incuriam magistrantium, nihil inde fuit secutum. Praeterea vero et colubrissarii per totam patriam invalescentes infinitas perpetraverunt violentias, occasione accepta propter pacem, quae jam per aliquos sigillata vel etiam jam sigillanda esset. Quorum praesumptionem quia civitas Leodiensis saepius super hoc requisita corrigere non curavit, nobiles patriae, sed et boni cives, aliique pacifici et honesti viri, quibus titulus de habenda pace imponebatur, una cum maxima parte dominorum ecclesiastici status, proprias suas domus et possessiones relinquentes, ad partes Brabantiae aut alias quolibet se transtulerunt. Igitur absentium domus, possessiones, mobilia et immobilia bona confiscata in locis, villis et oppidis, publice venditioni exponebantur. Similiter fiebat de omnibus iis qui litteras allegationum observandas jurare non curabant. Ob quam rem plurimi homines timorati perjurium praecaventes perpetuis temporibus una cum aliis jam dudum relegatis

et bannitis inhumaniter sunt proscripti. Qui autem detenti fuerant pessime exstiterunt vexati et tractati, in tantum quod ad decapitationem multorum procederetur, prout factum est Leodii de magistro Aegidio de Mess, qui ob communem profectum patriae laboriose pacem requirens saepe in publicum, super forum eductus ex vinculis et per scabinos ad manus advocati tradendus

Decollatio Aegidii de Mess, advocati de Graus et Johannis Carpentier.

et ad mortem judicandus, tandem miserabiliter et immisericorditer una cum quodam alio est decollatus. Ita et factum est de advocato de Graus, qui vix in sua causa auditus absque audientia, ad hoc impellentibus Rasone, magistro Bare, Wilhelmo de Violet, una cum multis clamatoribus, filiis nequitiae, etiam et ipse crudelem accepit decapitationis sententiam. Sic etiam de aliis atque aliis, bonum commune et patriae honorem quaerentibus, factum est, prout de magistro Johanne Carpentier Dionantensi magistro, sapientissimo viro. Sic et in Tungri de hospite Clavi, cujus, ut verum fatear, post capitis detruncationem in quatuor partes divisa membra per oppidum Lossense ad diversa loca in altis furcis exaltanda, lictore in equo deferente, vidi, et non sine horrore conspexi ea inhumaniter deferri, proh! crudele spectaculum. At quia nimium est singula, quae per singula loca contigerunt, describere calamo, pertranseundum censui necessario.

Pax proclamata.

Verumtamen sciendum est, quod mox post decapitationem magistri Aegidii de Mess praetacti, qui ubique ab omnibus principibus coram quibus sapienter ac eleganter suam consuevit expedire legationem, ac perinde in honore habitus et admirabilis reputatus, atque nunc ob indignam mortem, quam probrose sustinuit, lamentabiliter deploratus, voce praeconia ad sonitum buccinae pax diu dilata repente proclamata est. Dominus autem episcopus hac tempestate prout plurimum stabat in Huyensi oppido. Cui cum reconciliati essent Dionantenses, ordinata fuit una diaeta, ad quam undecumque ex patria deputati convenire deberent. Quae diaeta praelibata cum in Huyo tenenda esset indicta, ad eam Hassellenses accedere recusarunt, aliis dicentibus quod potius in campi medio ipsa diaeta celebraretur, atque aliis alia et alia dicentibus. Unde, quia tot hominum exstiterunt opiniones, multiplicabantur interim mala super terram, pro eo quod prout communiter quilibet tunc temporis non ratione sed sua utebatur sensualitate. Praeterea domino in Huyo existente, Leodiensis ecclesia saepe accessit ad eum pro impetranda venia et ad gratiam obtinendam. Tandem deputati ex urbe venientes cum magistro Johanne Soreth, ordinis carmelitarum provinciali, excellentissimo doctore, responsum

accepit ecclesia, quod papa compatiens ecclesiae hactenus nihil permisit expedire contra eam, sed quod pacem facerent cum domino suo episcopo, et missis duobus aut tribus praelatis ad Romanam curiam, ipse daturus esset eis absolutionem pro omnibus ad cautelam. Porro pro expensis, quas episcopus in suis procurationibus fecerat, cum pauper et exul esset, octo millia florenorum saepissime ab ecclesiis petierat. Quod cum depauperata ecclesia facere nonnunquam renuisset, et timore laïcorum id prohibentium jamdiu distulisset, contigit saltem jam nunc singulis ecclesiis pro sublevamine indigentis episcopi certam imponi taxam. Quod magistri civium audientes nitebantur, quantum in se fuit, impedire, ne videlicet id fieret, quod clerus episcopo suo promiserat.

Colubrissariorum improbitas. Adversarii pacis.

His praeterea diebus in patria Lossensi propter improbitatem colubrissariorum omnis bonus homo omnisque pacificus pacem habere desiderans, in summa angustia erat constitutus, tota quoque patria in maximam servitutem est redacta. In oppidis de Tungri, de Maeseyck, in Belesia ac nonnullis aliis locis non est permissum quod pax proclamaretur. Verum spoliabantur, taxabantur, domus comburebantur, eorum videlicet qui de pace habenda aliquid meditari putabantur. Unde contigit hac tempestate in foro Lossensi sex vel octo domos penitus comburi, in profesto videlicet annuntiationis Mariae, et hoc per colubrissarios qui ex villulis illuc convenerant, de quibusdam sibi exosis vindictam sumere volentes. Notandum vero quod ex tunc in eodem oppido per totam sequentem aestatem tantum inhorruit pestilentiae tabes, quod, nisi quis fugae consuluisset, vix debacchantem mortem declinare valuisset. Mors etenim ipsa per pestiferum morbum fere totum oppidum hominibus exhausit feraliter magnos parvosque depascendo consumens. Praeterea in mense Aprilis fuerunt in foro Leodienses, commoventes quamdam seditionem occasione cujusdam de ministerio Scissorum, qui cum confugisset ad quamdam domum in foro sitam et a colubrissariis undique obsessam, accurrentibus iis qui de Scissorum ministerio erant, sedata est seditio et obsessus liberatus.

Pestis.

Legatio Leod. ad summum pont. et ad Philippum Burgundiae ducem.

Hoc denique tempore ecclesia Leodiensis certos deputatos, sex vel septem numero, viros utique venerabiles et dignos, procuratores constitutos misit ad curiam Romanam pro absolutione impetranda. Quibus data fuit commissio propinandi, si opus esset, cardinali Avenionensi jocale pretio centum ducatorum, et si necesse esset ad obligandum ecclesias ad summam mille ducatorum pro absolutione impetranda, quam tamen summam excedere non

deberent nisi de ecclesiarum concensu, etc. Deinde in crastino Philippi et Jacobi missa est ex Leodio versus Bruxellam valde honorabilis legatio tam ecclesiasticorum quam laïcarum personarum, in qua legatione fuerunt abbas S. Jacobi cum vicedecano S. Lamberti et multis aliis, tam ex eadem ecclesia canonicis, quam ex aliis secundariis ecclesiis. Sed et magistri civium, videlicet dominus Johannes Le Ruyt miles, cum socio ejus Henrico, etc., et de singulis ministeriis sex deputati, qui simul ex parte civitatis et totius patriae coram duce Philippo pro debita satisfactione humiliter et obedienter se deberent prosternere, condignam emendam injungendam et pro offensis duci et ejus filio Carolo illatis cautionem praestaturi. Quorum petitio, mediante tamen satisfactione condigna, cum per ducem Philippum clementer acceptata fuisset, dimissi sunt in pace abire, semper tamen Dionantensibus de pace exclusis propter blasphemam injuriam per quosdam Dionantensium filio ducis Carolo videlicet illatam. Itaque in octavis Philippi et Jacobi, ex Bruxellis Leodium reversi, vix data est praelibatis deputatis copia referendi ea, quae in curia ducis eis fuerant proposita atque in commissis data. Nam ex maligni spiritus, prout creditur, instigatione, sicut et saepe aliis vicibus actum est, contra initam pacem obstaculum fuerat objectum, quo videlicet, eodem die reversionis praedictorum, allegationum litterae jam factae ab cunctis jurandae exstiterunt exhibitae, ad quod negotium perficiendum valde instabat dominus Raso, una cum diaboli ministris, qui non permittebant, quod aliquis juramentum praestaret sub conditione aut alias cum protestatione, sed quod quilibet simpliciter absque cavillatione juxta tenorem diabolicarum litterarum, in praejudicium domini episcopi, ipsius quoque adhaerentium seu fautorum insidiose confectarum, juramentum praestare deberet, non obstante juramento per hoc irritando, quod jam pridem singuli domino patriae, episcopo scilicet suo, praestiterant, vix aliqui evadere poterant qui vel compulsi non jurarent vel inviti.

His itaque diebus episcopus Leodiensis in Huyo existens vocari fecit ad se in Huyo eos quotquot juramentum fidelitatis ei praestiterant, quia jam factus diaconus, et statim post, decima tertia Julii, in presbyterum esset consecrandus, et ut consecrationi ejus interesse possent admonuit. Cessavit itaque hoc tempore navis, quod mercatorum dicitur, inter Leodium et Huyum, atque etiam inter Leodium et Trajectum per aliquod temporis spatium suum bene observando sabbatum.

Praeterea certe tunc temporis, ut caecus populus, qui in tenebris ambu-

labat, sui erroris amplius probaretur, factum est Leodii quiddam ridiculosum, sed opus stultum, potius ob seductam plebem lamentandum. Ad vocem namque buccinae de mane congregati sunt, de quibus saepe dictum est, cum suis vexillis pueri. Qui ordinate procedentes et civitate exeuntes occurrere honorifice curaverunt domino de Baden jam nunc, prout dicebatur, confirmato episcopo et non jam mamburno neque regenti. Qui revertentes post prandium quosdam sibi occurrentes, scilicet quemdam Johannem vocatum in nomine Domini, et Johannem Beasen, Johannem Brahic, cum nonnullis aliis et cum multis ex Leodio illis concomitantibus, introduxerunt fallaciter seducti, putantes hunc, quem venerabantur, suum confirmatum fore pontificem. Hic fictitius episcopus tamen, ut putatur, ex parte dominorum de Baden legatione fungens, stetit Leodii in hospitio diebus quindecim. Nunquam permissus est publice in palatio suam legationem exponere. Pro cujus expensis in hospitio factis solverunt Leodienses LX florenos. Nec tamen dictum est publice ad quid venisset, aut quid fecerit.

Adveniente igitur festo sancti Jacobi, quo magistri civium eligi consueverunt, et jam die praecedente dominus Johannes Le Ruyt, una cum socio suo Johanne Riga, more consueto se a magistratu cum gratiarum actione absolvisset, coepit tumultuare dominus Raso de novis magistris praeficiendis, sollicitus ne forte de favore domini de Borbon esse possent. Atque inter caetera vociferatus est ipsum dominum Johannem Le Ruyt esse magnum traditorem, carnificemve aut christianae carnis venditorem. Et hoc ideo quia in pace facta nuper apud sanctum Trudonem, propter quam magister Aegidius, de quo supra memini, sententiam decapitationis acceperat, conditionatum habebatur, praeter pecuniam solvendam duci, de expensis videlicet factis, etc., quod duodecim factiosi viri traderentur ad voluntatem ducis Burgundiae, quatenus per supplicium paucorum satisfieret debitum multorum noxiorum. Haec tamen conditio, quia difficilis videbatur, sapienter exstincta erat, alias per absentiam interficiendorum commutata, quod videlicet patriam exire deberent qui ad voluntatem ducis dandi essent. Quod tamen malevoli et pacis inimici in bonam partem capere non poterant. Interea tamen colligebatur pecunia in Leodio et per totam patriam Leodiensem et Lossensem in pacis contractu pro emenda nuper duci promissa. Condemnati siquidem erant Leodienses et Lossenses, caeterique eis adhaerentes, in summa quingentorum millium florenorum et amplius in certis terminis solvendorum, ob scilicet

Ducenta millia flor. a Leodiis duci Burgundiae solvenda.

offensam et injuriam et damna duci Burgundiae et ejus filio Carolo injuste illata per Leodienses Quia cum Leodienses in honore essent, non intellexerunt, prae nimia ipsorum petulantia insolentissime se habentes, bonum pacis ignorantes et iniquitatem quam dudum contra suum episcopum exercuerant ocius prolongantes, admisso jam regente et gubernatore domino videlicet de Baden, quem pro suo episcopo venerabantur, sicut longe supra me digessisse credo; ipsum ducem Philippum tunc temporis inter omnes christianos principes fortissimum ac nominatissimum, una cum duce Carolo qui jam in regno Francorum victoriose multa bella confecerat, absque aliqua rationabili causa duntaxat diffidare praesumpserant cum omnibus illi adhaerentibus. Quod quam stultum incautumve, imo quam furiosum fuerit rei finis seu exitus probavit; nam suarum patriarum et terrarum combustiones et incendia, suorum subjectorum caedes, suorum hominum depopulationes indignas [1]. Dux praetactus, in iram provocatus, non tam intercedentium prece quam offendentium pretio placari voluit. Colligebant igitur Leodienses licet impatientissime in quibus erant condemnati, vel ut ita dicam, in quibus se taxari permittebant, ducenta videlicet millia florenorum aut eo amplius, pro quota ipsorum infra festum Johannis Baptistae pro majori parte exhibenda, praeter alia trecenta millia quae Lossensis patria et aliae terrae solvere debebant. Sed cum termini expirarent et Leodienses a suis promissis resilirent, et quod pejus est conditiones pacis initae contemnentes, mille cavillationes et diverticula multa perquirerent, atque denuo ad rebellandum se armantes disponerent, et cum etiam jam dux Burgundiae in ultionem injuriarum filio suo illatarum Dionantense oppidum potenter obsedisset, circa finem mensis Augusti nuntiatum est Leodii, quomodo et qualiter oppidum obsessum jam esset captum. Ad quem rumorem omnes tanquam exanimes prae furore in forum armati accurrentes et se ipsos de sua tardatione accusantes (debebant enim ante biduum aut triduum exivisse ad bellum expediti gratia obsidionem solvendi), totum malum et causam tarditatis suae in ipsos suos magistros studebant refundere, traditores illos vociferantes et clamitantes. Porro magistri furorem populi, quilibet prout potuit, declinare per occultam fugam satagebant. Unde magistrum dominum Le Ruyt per aquam evadendo consultius erat evasisse. Magister vero Bare sicut potuit delituit. Raso vero, auctor multorum malo-

Dionantum expugnatum.

[1] Supplendum : *perpessi sunt.*

rum, etiam hac vice, forte nondum satis maturus, fuga sibi consuluit. Verum Wilhelmus de Violet, dudum et ipse magister, pacis inimicus, dum per medium fori ad domum magistri Bare, quatenus se salvaret, curreret sicut canis rabidus, sicut meruit, ignobiliter ab ignominiosis exstitit interfectus et mortuus inhoneste exspoliatus. Quod licet merito, tamen non impune, nam posteaquam magistri Dionantenses fugiendo Leodium venissent, et totam seriem captionis oppidi sui veraciter prout erat enarrassent, dixissentque melius fore quod Leodienses adversus potentiores se bellare parati de sua civitate non exierint, hocque providentia divina factum, placati sunt cives indignati, et facta inquisitione de iis qui magistrum Wilhelmum occiderant, reperti sunt tandem tres principales quorum unus, ad preces cujusdam puellae, ne decollaretur, est demissus. Alius vocatus *ly Saftir*, atque tertius *ly Gardir* qui clamaverat ad traditores, dignam poenam sustinentes exstiterunt decapitati. Hic enim dictus *ly Gardir* ribaldus erat, puerorum dux et capitaneus, ad quaeque facinora perpetranda adolescentulorum pedagogus.

Igitur dux Carolus (postquam ad instantiam ducis patris ejus oppidum Dionantense, salvis tamen corporibus eorum qui intus inclusi insistere conabantur, redditum esset atque exinde solotenus combustum) ad Leodium curavit destinare hyraldum, in comitatu forte triginta habens equos. Qui tamen non sine salvo conductu civitatem est ingressus, et in crastino decollationis Johannis Baptistae, datis litteris ex parte ducis destinatis, suam legationem fideliter est executus. Indicto ergo palatio, absente tamen hyraldo praetacto, et ad palatium non admisso, ex tenore litterarum ex parte ducis allatarum visus est conqueri dux de pacis conditionibus minime servatis, cum tamen ipse potius pacem quam bellum expeteret, et nonnulla forefacta patienter dissimularet, defectumque solutionis pecuniarum in constitutis terminis non exhibitarum, sibi et patri suo ex pacis contractu jure competentium, libenter licet non sustineret colubrissariorumque insolentiam suae patriae damna inferentium quamvis eatenus toleraret et per dissimulationem pertransisset. Nihilominus tamen dummodo paci nuper apud sanctum Trudonem factae dignanter intendere vellent, et suum episcopum pro suo domino recognoscerent, summoque pontifici reconciliandi deinceps obedientes essent, tunc ipse placatus suum exercitum, antequam patriae nocere possit, longe extra patriam educendum opportune decrevisset. His ergo auditis, missi sunt deputati comes de Mours et magister dominus Johannes Le Ruyt, quatenus ducem Carolum su-

Fecialis a duce Carolo ad Leodienses missus.

per propositis ad singula convenienter respondere deberent. Sed et de quolibet ministerio viri viginti missi sunt ex Leodio, pro custodia oppidi Trudonensis, quia timebatur ipsum oppidum etiam obsideri debere, quia dux Carolus de Dionanto descendens per duos hiraldos ad Sanctum Trudonem missos petiit sibi portas aperiri, clavesque oppidi ocius dari. Quapropter Leodienses, ad pulsum campanae armati, omnes in unum convenientes civitate exierunt, quotquot arma ferre possent, et in Rutthis atque in Othey comitatum Lossensem expectantes ad Jecoram usque processerunt. Volebant denique praevenire, impedimentum afferendo exercitui ducis, ne ita facile obsidionem dux contra Sanctum Trudonem collocare posset. Porro dux cum suo exercitu descendens per calciatam, venit in villam dictam Olee ac ad alias villulas super Jecoram sitas. Cui cum eminus bene instructi et ad congrediendum e contra starent Leodienses, curribus suis propriis circumsepti, et opportunis in locis bombardis collocatis, venerunt missi nuntii ex parte ducis treugas datas nuntiantes, dixeruntque ducem Carolum pacem factam velle tenere, dummodo conditiones initae pacis observentur. Itaque designati sunt quinquaginta viri obsides, qui tamdiu deberent apud Bruxellam manere ad hospitium, donec pecunia promissa et necdum ad integrum exhibita solveretur. His igitur atque aliis conditionibus mediantibus, quae longum esset enarrare, dux cum suo exercitu in suam patriam recessit, et Leodienses ad propria sunt reversi, pace tamen proclamata in loco exercitus, ipso die nativitatis Mariae Virginis, antequam ab invicem utrique exercitus solverentur. Inde vero in crastino super Palatium protonotarius[1] ex parte ducis ad Leodium missus proposuit, quod non obstante quod Leodienses nonnunquam conditiones pacis fregissent, pace nihilominus tamen revalidata, de novo provisum esset, quod ipse dux Carolus patriae Leodiensis advocatus et defensor esse deberet, essetque praesens ex parte ducis vir nobilis et insignis, dominus videlicet de Aymycour[2], ad suscipiendam investituram ipsius advocatiae et ad faciendum nomine ducis juramenta ad tale negotium pertinentia, etc. Item et alia puncta per praedictum exstiterunt ibidem proposita, sed sufficit dixisse de pluribus pauca. Interea homines ducis aliquantulum Leodii exspectantes visitaverunt omnes ecclesias civitatis, et tandem bono et votivo responso accepto, versus Huyum perrexe-

Adversi exercitus de pace locuturi conveniunt.

[1] Guilielmus de Cligny, protonotarius apostolicus. Cfr. Adrianus de Veteri Busco, apud Martene *Ampliss. collect.* Tom. IV, p. 1297.

[2] *Guy de Brimeu, seigneur de Humbercourt.*

runt. Jamque adveniente termino quo pecunia colligenda destinanda esset ad Brabantiam, in dicto Palatio proponebatur ibidem, quod civitas Leodiensis cum Tungrensi oppido et tota Hasbania tertiam partem deberet solvere, comitatus vero Lossensis cum Trudonensibus, una cum officio seu districtu de Montenaken, aliam tertiam partem, sed et castelria de Franchimont cum partibus superioribus atque cum tota Leodiensi ecclesia aliam tertiam. Quod cum nuntiaretur in crastino ecclesiis per certos deputatos, dicebat clerus se nimium depauperatum, neque esse se comprehensum seu inclusum in pacis tractatu, etc. Cumque in crastino dicti deputati comminando pro bono responso instarent dicentes, quod ipsi ecclesiasticos erga ducem redderent in contributione defectuosos, ac nonnulla comminarentur, responderunt ecclesiae, « propter differentias et rebellionem seu inobedientiam laïcorum se irretitos et illaqueatos, ecclesiasticis etiam censuris facile addictos atque in suis bonis temporalibus, quibus utrumque sustentare deberent, plurimum damnificatos, et ideo eis non esse consultum sine suis confratribus, qui absentes sunt, dare responsum. » Sciendum quod summa solvendorum, infra quatuor annos proxime venturos in Lovaniensi oppido exhibenda, erat trecentorum millium et quadraginta millium florenorum Rhenensium, in certis terminis solvendorum, absque sex millibus ad usum unius capellae construendae, et ad ista servanda obligant ipsi cives cum patria reliqua omnia bona sua et submittunt se coercioni summi pontificis, imperatoris, regum, principum, etc., et ad interdictum post quindecim dies elapsos ponendum et observandum, etc.

Centum et nonaginta millia flor. a Leodiensibus duci Burgundiae solvenda.

Articuli vero pacis, quos brevitatis causa pertranseundos censeo, sunt viginti tres. Item in pace Caroli ducis conditionatum habetur, quod tota patria Leodiensis et Lossensis, Dionantensibus exceptis, solvere deberet infra certos terminos centum et nonaginta millia florenorum Rhenensium, scilicet pro primo termino, qui est in Johannis Baptistae nativitate anni LXVI, sexaginta millia, in nativitate Christi LX millia, et iterum anno sequenti, videlicet sexagesimo septimo, pro termino Johannis Baptistae XXXV millia, et in nativitate Domini subsequenti XXXV millia, sub poena decem nobilium quotidie solvendorum post decimum quintum diem monitionis factae, praeter expensas quindecim obsidum et totidem famulorum cum singulis equis in hostagiis comedentium. Igitur quarta Octobris pecunia jam praecinctu exhibenda, quae per certos deputatos apud fratres Minores residentes collecta fuerat, ad Lovanium ducebatur. Reversi tamen ii quibus dicta pecunia exhibenda fuerat

commissa, dicebant in Palatio ad responsum audiendum specialiter indicto, defecisse videlicet de tota summa illius termini quinquaginta septem millia florenorum Rhenensium, etc. Dominus vero episcopus, qui iis diebus ad Bruxellam ex Huyo accesserat, denuo ad Huyum reversus, convocari fecit capitulum suum ibidem, ad quem miserunt secundariae ecclesiae suos deputatos pro generali unione facienda.

Deinde circa festum sancti Martini in Palatio tractatum est de mittendo videlicet ad dominum episcopum, ut dignaretur redire in civitatem suam, quatenus ipso reverso cuncta fierent placabiliora, ac per hoc redderentur ei

Novorum motuum initia

ablata loca sua. Sed cum pluribus vicibus apud episcopum per deputatos de revertendo, de pace observanda, de ignoscendis offensis atque de nonnullis aliis diligenter tractaretur, et dominus episcopus facile se petentibus placabilem exhiberet, ecce mox Sathan more suo pacis inimicus ex adverso stabat, procul dubio animos communis populi sua pericula minus intelligentis ex impulsu quorumdam majorum filiorum Belial vanam securitatem promittentium, et in baculum arundineum, regem videlicet Franciae, inutiliter confidentium, facile a bono proposito retraxit. Unde mendaciis deceptus pro libertatibus et patriae privilegiis certare est visus, aestimans se in hoc Deo posse praestare obsequium, si ea quae incaute per litteras allegationum contra dominum episcopum et sibi adhaerentes confectas et juramento firmatas pertinaciter per fas seu per nefas perpetuo servandas tenerent. Inde quoque factum est, quod iterum de novo per vicos Leodii coeperunt cives ad parvum facile strepitum vigilare, novas custodias instruere, ad arma facile concurrere novaque bella praemeditari, nocturno etiam tempore unus vicus contra alium vicum in armis pompose se demonstrare. Denique missi sunt de quolibet ministerio quidam ad Sanctum Trudonem ad roborandum partem eorum, qui credebantur esse pacis impugnatores. Circa medium mensis Decembris ob novum rumorem, occasione oppidi Trudonensis in superioribus patriae Leodiensis, cujus portae et muri erant destructi et ob hoc quidam in Leodio detenti, venerunt armati illi de ultra Mosam volentes fieri justitiam. Unde factum est, quod

Decollatio Piron Steen.

campana pulsata decapitatus est Piron Steen, magister de Belconst, qui innocenter se subire mortem protestabatur. Occisus est etiam quidam alius diu jam in vinculis detentus. Hinc enim coeperunt quidam fugere et caute furorem populi declinare, ferentes secum quidquid commode asportare poterant. Ob quam rem exploratores et viarum insidiatores nacti sunt capiendi deprae-

dandique optatam opportunitatem, praedam quamplurimam committentes, sed et nonnunquam fugitivos reducentes, eos ludibriis et injuriis afficiendo vel etiam vinculis mancipando.

Deinde anno MCCCCLXVII, circa principium ipsius anni, coepit dominus Raso de Heers quaedam conficta sua mysteria revelare, et suis necessariis seu familiaribus amicis, nunc clam nunc publice, de rege Franciae optata et bona nova praenuntiare. Quibus auditis seductus populus coepit denuo ad inobedientiam per prona in suos proprios nonnunquam concives tanquam in adversarios recrudescere. Tungrenses vero contra dominum proprium et contra pacis bonum obstinati quemdam ex suis concivibus, ob unam missivam sibi ex Lovanio a quodam Tongrensi canonico ibidem exulante inadvertenter receptam, ignominiose morti affecerunt, nam prout supra memini, decapitatum et in partes divisum membratim per diversa loca ad sublimes stipites affigendum destinarunt. Item in principio Martii post decapitationem cujusdam ante gradus ecclesiae S. Lamberti, decollatus est etiam quidam magistrorum oppidi Tudinensis, ac deinde in quatuor partes divisus, propter quaedam forsitan verba, quae inadvertenter fatebatur dixisse. Item eodem fere tempore, comprehensus est magister Johannes Carpentarii, civium magister Dionantensium, et ridiculose inter duos magistros civium Leodiensium medius positus, in civitatem introductus, clangentibus tubis, eodem fere scemate quo dux Carolus honorifice in oppidum Dionantense fuerat receptus. Hic sapiens et vir bonus post multa tormenta eidem crudeliter illata, tandem ad petitionem ministeriorum Leodiensis civitatis, instantibus Dionantensibus, qui eum sibi tradi volebant ad crudeliter occidendum, saevissimam patienter decapitationis sententiam sustinuit, et prout supra dictum in frusta concisus in diversis locis per quatuor sui corporis particulas ignobiliter est suspensus. Cujus tamen membra, vix anno revoluto, prout postea dicetur, honorificam acceperunt sepulturam. Hi vero, qui captivum hunc Leodiensibus tradiderant vinculatum, de consilio communi pro sua mercede receperunt singuli centum coronas, cum tamen eorum in numero essent duodecim.

1467

Decollatio Johannis Carpentarii.

Cum autem haec et similia agerentur, et obsides nostri in Brabantia detenti, ob defectum solutionis pecuniarum in certis terminis exhibendarum, ab invicem ad diversa loca missi separabantur : propter quam rem saepe ex parte illorum factae sunt querelae justissimae. Quare accidit in Leodio diversas fieri murmurationes, aliis dicentibus, licet clam et non manifeste, quod talis

Leodiensium obsides in Brabantia detenti.

condemnatio contigerit patriae propter illos, qui sine consensu trium statuum diffidare ducem Burgundiae pacem nobiscum habere volentem praesumpsissent; aliis quoque dicentibus, et hoc publice, quia malevolis audientia concedebatur, in talem damnationem venisse Leodienses propter eos videlicet, quos traditores et carnifices clamitabant, quos pacificos scilicet notaverant. Et in prima pace post caedem de Montenako in Sancto Trudone facta, et item in secunda pace anno videlicet revoluto post exustionem oppidi Dionantensis, cum duce Carolo super Jecoram in Olee tractata, foedera pacis ob majora pericula vitanda sapienter iniisse credebantur. Contra quos in consilio Leodiensi visa est dari sententia, quod auctores pacis pro redemptione obsidum nostrorum vel pecunias de suis darent, vel si hoc non vellent, tunc patriae publici hostes pro traditoribus haberentur. Quapropter multi se a patria coeperunt absentare mortis periculum metuentes, quorum bona confiscata publicae venditioni exstiterunt exposita. Dominus vero episcopus videns in dies mala in terra multiplicari, missis occultis per nuntios litteris, hortabatur clerum, quod se quantocius cum omnibus iis, quae ad ecclesiasticum statum pertinent, deberet transferre; ob quam rem plures, prout poterant, vel fugiendo vel latitando se salvare studebant.

Adventus episcopi de Trecis ad Leodium.

Non vero diu ante hanc tempestatem, ex parte regis Franciae missus ad Leodium venit episcopus de Trecis, exhibens litteras credentiae ipsius regis [1]. Hic curiose investigare coepit causas differentiarum hactenus habitarum inter episcopum Leodiensem et civitatem patriamque totam; dicebatque se habere in commissis de unione facienda inter partes dissidentes, plurimum bonum pacis extollendo. Commendavitque statum regis ejusque nobilitatem atque optimas ejus conditiones, persuasitque civibus de aliquo bono medio quod ad pacem esset inveniendo. Cujus proposita non bene sapiebant iis, qui gustum pacis quam bona foret percipere non poterant. Malebant enim de gente armorum et bellicis rebus factam fuisse collationem. Gaudebant nihilominus se honoratos esse a rege, per hoc videlicet quod rex per tam magnificum virum, puta praefatum episcopum, amicitiae foedera cum Leodiensibus servare vellet, ipsosque suos amicos cognosceret. Non diu vero post recessum praenominati episcopi facta est fama Leodii pro seductione communis

[1] Episcopus ille Trecassensis, quem Ludovicus XI cum aliis, ut Leodienses ad rebellionem incitarent, miserat, erat Ludovicus Raguier.

populi, quod videlicet dictus episcopus una cum quodam nuntio civitatis Romanae profectus ad impetrandum contra dominum Leodiensem mandatum propter excessus ipsius, quod secum detulisse mentiebantur, etc. Venerunt etiam deputati civitatis in capitulo Leodiensi, regratiantes iis dominis qui secum remanserant, volentes insuper quod revocare deberent suos confratres, qui ad episcopum confugerant, dicebantque se habere certa nova ex urbe, quod dominus papa nullo modo voluisset consentire petitioni domini de Bourbon, requirentis instanter sedem episcopalem alibi transferendam, etc. Dicebant quoque etiam se libenter velle dare salvum conductum revertentibus. Quod et statim proclamatum est publice ad Peronem, ne videlicet quis praesumeret nocere revertentibus, dummodo infra decem dies redirent, et si quis quemlibet redeuntem noceret, indignationem civitatis incurreret. Deinde ultima Aprilis deputati sunt per ecclesias quidam, qui deberent ire ad urbem una cum decano S. Martini Leodiensis. Sed religiosi S. Jacobi nolebant abbatem suum deputatum illuc pergere. Sed et magistri civitatis prohibuerunt, ne ad urbem quis destinaretur. Tunc temporis omnes cives, qui videbantur esse pacifici, juxta facultates eorum erant ad contribuendum taxati, pro videlicet redemptione obsidum in Brabantia miserabiliter detentorum. Johannes videlicet de Burses[1] taxatus est ad duo millia florenorum; item Wilhelmus de Lonchin ad totidem; Johannes Wilhelmus Renardus[2] ad totidem; item Pyron Tonnar[3] tantum; hospes in Stella tantum; item Petrus de Kineph[4] ad mille florenos; Gerardus ad ducentos Rhenenses; Goffinus mercator ad mille quingentos, et sic de aliis de singulis ministeriis.

Taxatio civium pro obsidibus liberandis

His diebus Raso de Heers conquisivit sibi multos complices et ad rebellandum promptissimos, quibus dedit rubeas tunicas, forsitan praesagium de multorum sanguinis effusione, cujus ipse exstitit auctor. Porro in manicis tunicarum scriptum habebatur: *Vive Ligois*. Hi novo et exquisito modo plumbeis clavis armabantur. His quippe sic rubicantibus animose stipatus, processit nunc ad convivia suorum in scelere amicorum, laudem et favorem stultorum hominum sibi vindicando.

Scelerum pactiones et societates a Rasone conflantur.

In vigilia sacramenti intravit Leodium ambaciata ducis Caroli, qui jam

Caroli ducis Burg. ad Leodienses legatio

[1] Alias *de Bierset* vel *de Berses*. Hic vero et alii qui sequuntur, undecim florenorum rhenensium millibus mulctati dicuntur apud Adrianum de Veteri Busco. Cf. op. cit. Tom. IV, p. 1303.

[2] Alias *Johannes Vilhare et Renardus*.

[3] Alias *Petrus Thonnar*.

[4] Alias *de Kemexhe*.

mortuo patre suo Philippo, hac eadem aestate successit in omnia dominia patris sui Philippi. Hujus utique ambaciati praetacti, qui cum triginta equitibus advenerat, non erat Leodiensibus grata legatio, sed nec ad proponendam suam commissionem propter murmurantium improbitatem facile fuit admissus.

Notandum quod circa ista tempora pulsabatur nonnunquam [1] apud S. Paulum in Insula propter miracula, quae beata Virgo per quamdam imaginem super januam vestibuli ecclesiae praedictae ostendere dignata est. Sed et e contrario saepe pulsabatur campana banni apud S. Lambertum propter sanguinem innocentem effusum vindictam in coelum clamantem, quo forum Leodiense imo tota civitas replebatur ad instar Jherusalem, de qua psalmista : « Effuderunt sanguinem ipsorum in circuitu Jherusalem, tanquam aquam, et non erat qui sepeliret. » Itaque pulsata die sabbato campana banni propter aliqua verba, quae ad favorem domini Leodiensis quidam vir viticola pauper et annosus dixisse videbatur, et ideo in Mosam est projectus. Item non diu post etiam in sabbato absque pulsatione quidam alius senex frater domini Johannis de Rocourt etiam in Mosam projectus submersus est. Sed et nonnulli alii diversis vicibus sententiam submersionis innocenter sunt perpessi. Praeterea etiam duo alii ad sonum campanae ex captivitate in forum sunt producti, viri ambo satis juvenes, quibus plurimi satis sunt compassi, sed tamen propter incautum sermonem ab aemulis eorum male interpretatum, decollati sunt, non tamen obstante quod juvencula quaedam, saepe ante pedes Rasonis humiliter prostrata, unum ex iis duobus petierit sibi dari maritum, quae tamen non gratiam sed magis meruit a tyranno repulsam. Hic Raso dux erroris et seducti populi patronus [2], auditis litteris quas supradictus ducis Caroli legatus publice exhibuerat legendas, ait et vociferando suo more dixit : « O ventus dulcoratus, habeamus nos caute, neque faciamus nos servos erga Carolum Burgundiae amplius quam sumus, nec subjiciamus nos plus quam subjecti sumus. Sed teneamus libertates nostras, sicut hactenus fecimus. Haec duo vos moneo, quatenus fortiter teneamus. » Hic Raso, velut alter Cayphas, licet alio modo, suis praeconiis populo visus est velle prodesse, qui tamen non intelligens quid dixerit, plurimum prout postea patuit, no-

Cives nonnulli morte mactati.

[1] Omissa vox *campana*.

[2] In margine MS. legitur : *Raso iste, quis fuerit, si sensu polleo, pestifer homo fuit.*

cuisse probatur. Interim vero duo alii adhuc super chafardum ante gradus sancti Lamberti paratum exstiterunt producti; ibidem sunt etiam et ipsi decapitati propter sermonem quemlibet, sicut et alii. Horum unus vocabatur Wilhelmus *Rouchi* et alius Johannes *Mychy*. Item, sabbato post festum nativitatis Johannis Baptistae quatuor sunt ad decollandum super chafardum adducti, sed tribus dimissis, unus eorum, scilicet Hugo *de Sech* exstitit decollatus. His autem diebus quamplures matronae, venientes coram concilio Leodiensi, repetentes maritos suos obsides, non sunt exauditae, sed magis sustinuerunt cum indignatione repulsam. Item et nonnullae aliae mulieres et matronae honestae, prosternentes se coram domino Rasone, pro viris suis facili de causa extra patriam propulsis humili prece pro eorum innocentia demonstranda, non gratiam sed indignum meruerunt sibi comportare responsum. Haec autem quae in hac parte calamo pingo non tantum ex auditu quantum ex visu contestando scribere libet; nam testis sum et ego, qui cum hac tempestate puer essem, aetatis annorum octo, advectus curru ad Leodium, una cum matre dolore repleta, circum se praeter ancillulam habente sex pueros parvulos et de septimo gravida, primum coram domina de Hers, tanquam coram altera Jésabel, et secundo post longam moram coram Rasone, tanquam altero Achab, flebiliter se prosternere curavit, suum maritum (qui, jam timore generalis edicti, quo mortis deberent esse obnoxii, quotquot ad sigillandam pacem deputati fuerant, ad oppidum Diestense salutis gratia confugerat), ipsum instantissime repetendo ipsiusque innocentiam rationabiliter demonstrare exorta est. Cui vix petitione completa una sententia uterque respondit satis indigne : « *Melius enim*, ut eorum utar sermone, *esse*, inquiunt, *quam tu et tui mendicitati sint obnoxii et pereant, quam nos nostrique, vobis procurantibus, extra patriam profugati mendicemus prae egestate et pereamus inhonest.* » Quo tristi accepto responso in crastino, nostro curru quo adveneramus juncto, quo natale erat solum, ad oppidum Lossense reversis, clausa est janua nobis pulsantibus. Magistri autem et consules oppidi, prout tunc communiter de aliis factum est, suas violentas manus ad innocentium bona tam mobilia quam immobilia injustissime apponentes, quantocius confiscata cuncta publice vendere, reddere et alienare studiossissime procurabant. Quare contigit matrem nostram una nobiscum omnibus destitutam bonis, sub amicorum alas confugiendo, aliena tecta seu domorum tegumenta peregrinorum instar subintrare. Porro brevi intervallo interjecto, undecumque ab amicis

Auctor hujus historiae Leodium adductus

Quid Raso matri ipsius pro marito supplicanti responderit.

mutuo accepto pretio aliqua sibi necessariora, quibus carere non poterat, mater nostra praelibata anxie satis redimere procuravit. Insuper et inferiorem suae domus partem per amicorum suas interponentium vices pro certo pretio sibi et suis prolibus conducere studuit. Superior vero ipsius domus pars, cum opportune faciendis, quippe in medio fori sita, satis apta esset, Lossensibus Colubrissariis cedere permissa fuit, quatenus inibi post comessationes et ebrietates, ad sonum fistulantis tubicinae seu tympanisantis desuper ad fenestras sedentis, ante januam choreis aliisve jocis et spectaculis vacare possent. Hoc praeterea de infinitis exorbitationibus in patria Leodiensi seu Lossensi sub hac tempestate inhumaniter commissis, unum et proximo volui ostendere exemplum, quo per istud saltem unum facile saltem cognoscantur omnes [1]; omnes inquam in genere pacificorum illatas injurias, quorum per singula impossibile foret retexere gesta.

De Colubrissariis Hasseleti supplicium sumitur.

His diebus Colubrissarii ubique per patriam modum excedentes et insolentiores debito effecti, in oppido Hasselensi propter eorum excessus et seditionem inceptam, clausis oppidi portis, sunt comprehensi. Quorum duo principaliores exstiterunt decapitati et alii quidam ex eis, quindecim numero, extra patriam sunt proclamati. Quo audito Leodii, dominus Raso, cum magistris illuc pergentes, infra portas non sunt admissi, dicentibus oppidanis, qui suas portas contra adventantes clauserant, quod non esset necesse, quod Leodiensis civitas se interponeret, cum juxta privilegia et libertates oppidi sui, id quod judicatum erat fecissent. Sed non diu postea iterum, circa festum Jacobi in Julio, denuo ibidem factus est tumultus, causantibus Colubrissariis, quare videlicet socii eorum essent occisi, etc. Unde ad sonum campanae Hassellenses mox armati contra Colubrissarios facti superiores praevaluerunt. Quare ii qui fuerant ex oppido proscripti ad Leodium, tanquam ad suam matrem concurrerunt, gravissimas contra cives Hassellenses fecerunt querelas. Propter quod demandati Hassellenses magistri ad Leodium venerunt, dicentes se sua privilegia velle tenere, quidquid etiam inde contingeret. Sed cum dominus Raso sententiaret eos esse corrigendos, qui colubrissarios intra portas detentos corrigere praesumpsissent, per magistrum Bare, tandem sopita est inter partes altercatio, ipso dicente quod non esset hujus temporis negotium inter oppida fieri dissensionem. Civitas igitur Leodiensis quae debuit esse locus

Leodium refugium malis et facinorosis hominibus.

[1] In margine adscriptum est : « Juxta illud Virgilii : *Ex uno disce omnes.* »

justitiae et arx honoris, et, ut de Jherusalem in Threnis dictum habetur, *domina gentium facta est sub tributo*[1], jam nunc fiebat criminosorum refugium et mater omnis erroris, prout patet et adhuc infra melius patebit. Nempe ut deceptum populum efficacius tenerent erroribus irretitum, nonnullas novitates diversis vicibus, de assistentia sibi de rege Franciae affutura, blandiendo confingebant et mentiebantur. Quorum unum de multis mihi subjungere libet. Nam hoc eodem tempore fama erat Leodii venisse videlicet legatos ex Francia, cupientes capere possessionem quorumdam dominiorum circa Leodium situatorum, ad quorum petitionem fuerunt quidam nobiles ex Leodio deputati, Amelius videlicet *de Velleru*[2] et Johannes *Beasen*, quinquaginta equis comitati, ducentes secum notarios et testes, coram quibus ii, qui ex Francia aut alias dicebantur destinati, capiebant ex parte comitis Nivernensis possessionem super unam terram seu montem non longe a Leodio, Lotharingiam dictam, et similiter in Bollon et in Herstalio.

Obsidum in Brabantia detentorum querelae.

Praeterea obsides in Brabantia detenti nonnullas querulosas miserunt ad Leodium litteras, quibus monebant Leodienses quatenus memores esse deberent foederis et tractatuum factorum inter ducem ex ejus patrem in diversis locis, et nihil eorum credendum esse, quae de affutura assistentia regis Franciae mentiebantur; dicebantque se dolere de minore honore ambaciatis ducis impenso, propter quod ipsi hanc injuriam luentes amplius angustiis afficerentur. Sed nihil valuerunt querelae neque sermones obsidum, quia communi populo exhiberi non permittebantur.

His diebus cum fama venisset, quod scilicet Cennacum expugnaretur a Brabantinis, vel quod forte jam obtentum esset, Leodienses commoti apposuerunt captivum tenere quemdam venerabilem virum, legatione fungentem ex parte ducis, ad Leodium destinatum. Qui tamen, mutato consilio et veritate percepta, tandem liber est dimissus. Postea tamen post plurima indecenter hinc inde perpetrata, et cum nullus modus pro tenenda pace opportune in medium produci posset, partibus in suo rigore pertinaciter perseverantibus, et armigeri qui in Huyo apud dominum episcopum erant frequentes, in Hasbaniam excurrendo praedas facerent, captivosque abducerent, nonnullos etiam mactantes morti dedissent, Leodienses ex hoc commoti, vocata sibi in auxilium patria Lossensi sibi in hoc consentiente, satis bene expediti, cum

Huyum a Leodiensibus expugnatum.

[1] Lamentat. Jeremiae, cap. I, 1.

[2] Alias *Vellerux*.

multo instrumentorum bellicorum apparatu, obsidionem apposuerunt ponere et studiose collocare ante Huyense oppidum. Ubi cum nonnunquam altrinsecus acriter bellatum esset, tandem Leodienses superiores effecti, Deo permittente, quia ante ruinam exaltabitur cor per novum oppidum jam potenter obtentum, irrumpere studuerunt etiam et majus oppidum, cui dominus Everardus de Marcha praefuit, qui tamen totis suis conatibus in effringendo pontem, in convocando populum, nihil efficere potuit. Sed fugientibus illis qui ex parte ducis ibidem erant pro custodia positi, fugiente etiam domino Leodiensi una cum suis trecentis equis, Leodienses oppido ad votum sunt potiti, in quo nihil erat quod diripientium manus evaderet. Nam vidi et ego ex comitatu Lossensi ovanter revertentes spoliis onustos, tentoria, bombardos sibi et vexilla cum innumerabili praeda in sortem deputata, ad propria deducentes. Sed proh dolor! inaniter gavisi; non diu post, cum haec circa festum sanctissimi Lamberti agerentur, non solum haec male conquisita, quibus vel ad horam poterant abutendo perfrui, sed et sua propria cuncta mox postea necessario impendere coacti fuerunt. Nam dux Carolus, his auditis, festinavit ponere obsidionem ante oppidum Trudonense. Quam obsidionem jam positam cum Leodienses, una cum Tungrensibus et quibusdam aliis villulis et oppidis patriae Lossensis, magnanimiter ad bellandum instructis removere curavissent, ipso die apostolorum Symonis et Judae, commisso praelio ante villam de Brustem, cum Leodienses, festini et inordinate, prout de more habent, se discrimini committerent facile, sunt per adversarios, conantes nostros concludere, passim quampluribus interfectis, per campos dispersi ac deinde vituperabiliter depulsi, instrumentisque suis bellicis, quorum multus exstitit apparatus, amissis, tandem cuncti omnes profugientes gratia salutis fugae operam dabant. Et inde factum est, quod victoria haec duci Carolo sit adscripta. Cui Trudonenses statim postea sub certis conditionibus sese dedentes, portis patefactis, ipsum in suum oppidum una cum domino Leodiensi intromiserunt. Verum Leodienses qui animose speraverant se posse contra ducem agere, confusibiliter, omnibus suis bellicis instrumentis amissis, non sine magna strage suorum ad propria unus post unum vix tandem sunt reversi.

Trudonopolis obsessa.

Pugna ante Brustem.

Succumbunt Leodienses.

Videntes igitur suam ignominiosam confusionem, et non esse sicut heri aut nudius tertius, vel ut correctius loquar, sicut erat in expugnatione oppidi Huyensis, suam animositatem deponentes coeperunt de foedere pacis iniendae habere consilium et opportune tractare. Verum domicellus Wilhelmus de

De pace ineunda Leodiensium consilium.

Marcha, vel alias de Arenberch, cui fuerat commissa custodia castri Huyensis, jam in oppido Hassellensi existens, inter ducem Carolum et patriam Lossensem treugas impetravit, et tandem pace facta conditionibus mediantibus, etiam et Tungrenses cunctis aliis magis rebelles in pacis contractu consentientes, mariscalcum Burgundiae in suum oppidum pacifice intromiserunt. Quod videntes Leodienses, habito consilio cum domino Leodiensi, ad pacem suscipiendam sunt et ipsi necessario facile inducti. Exercitus vero ducis per Hasbaniam veniens versus Leodium tendebat. Quo audito, quidam temerarii, accepto vexillo, in occursum adventantium curabant procedere. Qui cum aliquid contra adversarios moliti essent, interfectis adversariorum nonnullis, compulsi sunt refugere ad civitatem, incipientes suam fugam a villa de Lanthinis usque ad Leodium, inter quorum spatium per planitiem campi latissimi multi ex Leodio egressi crudeliter exstiterunt interfecti.

Interea deputati sunt ex Leodio, qui obviam duci procedentes in lineis indumentis pro satisfactione veniam deberent accipere. Vocato igitur palatio, ipso die sancti Martini, in campo extra portam sanctae Walburgis, ubi civitas se praeparaverat ad obediendum et humiliter pro pace impetranda diu adventum ducis exspectavisset, contigit, hoc die inutiliter exacto, in crastinum in campis de Bollsay ducem advenisse, quo in loco humiliter, in signum poenitentiae prostratos ad terram, dux clementer poenitentes Leodienses sibi reconciliatos ad pacis foedera suscepit. Siquidem conditiones pacis multae exstiterunt, scilicet de abrenuntiatione privilegiorum, de non ministrando justitiam per plures judices sicut eatenus, de projectione armorum, de destruendo portas et muros solotenus, de dando duodecim viros ad voluntatem ducis, de solvendis magnis pecuniarum summis in certis terminis, de satisfaciendo domino episcopo plurimum offenso et ejusdem expensis in causa patriae pro sui tuitione et prosecutione sui juris contra Leodienses, etc., refundendis; atque de compluribus aliis observandis, quorum plurimus est numerus, quae omnia brevitatis causa hic praetermittimus. Quadraginta enim et septem sunt articuli, quibus articulis pax ipsa jam amplius necessaria concludi debebat [1]. Dum autem haec agerentur in exercitu ducis, cujus statio erat in Bollsey et circum circa usque in Lanthinis, visum est duci, pro conclusione dictorum

Condonationem admissorum contra Carolum petunt Leodienses.

Conditiones pacis Leodiensibus propositae.

[1] Puncta pacis vide apud Adrianum de Veteri Busco (Martene, *Ampliss. collect.*, t. IV, p. 1319, not. C). Cf. de Gerlache, *Révolutions de Liége sous Louis de Bourbon*, pag. 101 et seqq.

quae ad pacem pertinere videbantur, Leodium versus accedere. Venit ergo prima facie usque ad sanctum Ægidium, et deinde ad sanctum Laurentium. Ubi cum opportune de pacis foedere ac nonnullis aliis negotiis patriae ac commodis inter partes tractaretur, et Leodienses se ad omnem voluntatem ducis libenter dedissent; dux tamen ipsis se non credidit, quin potius de nocte ad suum exercitum in Bollsey reversus, monasterio praefato, quo in die utebatur, derelicto, saluti suae consulere studiose compulsus fuit. Interea tamen cum dux ad civitatem usque veniret, et iterum ad suum exercitum rediret, et legatus papae episcopus Mediolanensis suum hospitium apud sanctum Jacobum in insula suscepisset, et jam Leodienses suos muros deponere coepissent, dux armatus a monasterio sancti Laurentii in campum progrediens, collectum suum exercitum in civitatem ab hora nona ante prandium usque ad horam fere quartam post meridium cum magna pompa et gloria introduxit, et cum taedis et faculis ardentibus clero obviam procedente, velut alter Holophernus, per portam sanctae Margaretae a civibus honorifice est susceptus, et per infinita luminaria dextra laevaque stipatus in signum obedientiae Leodiensium, futurus advocatus et tutor a cunctis ex tunc necessario est commendatus. Praeterea quotquot ex civibus timore contriti profugerant, voce praeconia revocati infra triduum sub poena corporis et bonorum amissione reverti sunt compulsi.

Caroli adventus ad S. Laurentium.

Leodium intrat Carolus.

Exules et profugi ad urbem revocantur.

Interea etiam omnia villagia per totam Hasbaniam et undecumque etiam alibi, sub salva gardia ducis se esse postulantes, se et sua opportune datis pecuniis redimere necesse fuit. Ad septuplum vero amplius quam praeterito anno, prout ferebatur, per impositas cives taxabantur mulctas. Praeterea etiam ecclesiae necessario habebant portare sua jocalia seu clenodia ob defectum pecuniarum ad sanctum Petrum, ex quibus duo millia florenorum contracti solvebantur domino Leodiensi loco propinarum, quas dominus episcopus dederat iis, qui pro pace obtinenda suas vices interposuerant. Non diu vero post dominus episcopus, vocatis ecclesiis, requisivit ab eis, quod dignarentur se obligare pro pecunia duci solvenda, quatenus manerent fidejussores pro civibus, qui ultra modum videbantur esse gravati. Quae res ecclesiis visa est dura atque molesta. Nihilominus tamen cum multa fieret instantia super hac re, tandem de consilio domini episcopi et majoris ecclesiae, deque communi consensu cleri et populi non obstante aliquorum contradictione, cum populus non haberet unde solveret, missa legatione ad Bruxellam, ubi tunc temporis

Pecuniae Carolo duci solvendae.

dux a Leodio reversus moram trahebat, requisitus est dux, quid de tali obligatione erga se facienda ipse sentiret. Ipse autem dux erga se noluit ecclesias quoad talem obligationem fieri obnoxias seu obligatas. Et vocato ad se episcopo, multum invective fertur fuisse locutus contra ejus consilium et fautores. His tamen non obstantibus, factum est juxta propositum domini Leodiensis et ejus consilii malignam practicam, prout statim postea patebit.

Praeterea dum Carolus dux adhuc Leodii esset, et articuli pacis, prout in praecedenti anno admissi essent, Perone jam deposito, sed et muris et portis civitatis solotenus dirutis et destructis, de duodecim viris ad voluntatem ducis traditis decapitati sunt novem, tribus dimissis et perpetuo extra patrias et ducis et Leodiensem bannitis. Et ex tunc populus ducis caepit a patria recedere. Dux vero, numero acceptis obsidibus in magno, circa festum Andreae profectus est a Leodio versus Huyum. Quem statim secutus est dominus Leodiensis pro obsidibus interpellaturus. Reversus autem ad Leodium episcopus, ipso die sancti Andreae, post processionem factam cum taedis et luminaribus, a porta sancti Leonardi deductus usque in ecclesiam sancti Lamberti, humiliter prostratis ante se praelatis et dominis ecclesiarum una cum magistris civium pro venia petentibus, offensam sibi illatam licet non tam cito tamen, tandem libenter indulgendo remisit. Cujus remissionis modum, formam et cerimonias in hoc negotio exhibitas hic brevitatis gratia omitto.

Novem civium decollatio.

Reditus episcopi in urbem.

Anno vero sequenti, qui erat sexagesimus octavus, circa festum Valentini, dominus Leodiensis in praesentia domini de Humbercourt, qui vice domini ducis apud Leodium remanserat, coram ecclesiis convocatis proposuit quaedam, quae quasi impossibilia videbantur, allegans se suas vices interposuisse apud ducem Carolum pro civitatis salvatione et idcirco necesse fore quatenus ecclesiae pro residuo solutionis fidejussores fierent, sua bona ubicumque situata erga pensionarios obligarent. Quam siquidem rem cum nonnulli ecclesiastici de favore episcopi existentes sollicite procurarent, et communis ecclesiasticus status id saepius acceptare recusaret, tandem petentium instantia tam ecclesiasticorum praelati et praepositi ac decani quam etiam capitula, quippe cum corpore membra, facile rationibus victi consensum praebere quodam modo sunt coacti. Ad quem actum cum dominus Leodiensis ad suum palatium in quodam sabbato convocari fecisset cives et civitatis populum, et pauci satis propter sabbatum et justitiam, quae fiebat in foro, ante prandium convenisssent, tandem facto prandio in copiosa multitudine denuo deman- 1468

Ecclesiae fidejussores pro pecunia duci solvenda.

dati ad episcopalem domum unanimiter confluxerunt. Quo existentes audita relatione domini episcopi ac etiam domini audientiarii, stipulatione securitatis erga dominos ecclesiasticos facta, se suaque corpora cum tota ipsorum substantia supra tenorem litterarum desuper factarum promptissime obligaverunt. Pensionarii vero in Lovanio existentes. per sufficientes rationes Lovaniensis universitatis instructi, absque apostolico consensu noluerunt ecclesiasticas personas fidejussores esse, neque etiam ecclesiarum bona erga se obligata esse debere. Attamen tandem inventus est modus, cum res ipsa urgeret, quod videlicet infra spatium quinque aut sex annorum expensis ecclesiarum summi pontificis consensus adhibendus esset. Fertur procul dubio, quod dominus papa hujusmodi dispensationes postulantibus maledictiones quodam modo imprecando plurimum vituperaverit et reprehensibiles esse censuit. Nihilominus tamen ob instantium improbitatem, in malum totius ecclesiae, quae se fidejussorem erga ingratos laïcos constituit, fidem fidejussoris sui post tergum rejicientes, papa tandem postulanti ecclesiae consensum adhibuit. De qua re cum plura dicenda forent, brevitatis tamen causa libenter pertranseo, opportune de adventu apostolici legati dicturus.

Apostolicus legatus Leodium venit.

Leodiensis igitur ecclesia miserabiliter eatenus spirituali vinculo ligata quippe formidabili interdicto supposita pro sui absolutione impetravit a summo pontifice sibi destinari cum apostolica potestate legatum. Cui cum deputati ecclesiae Leodiensis apud Coloniam venienti occurrissent, per eosdem deductus est per Trajectum, ac deinde navigio ipso die translationis sancti Lamberti descendens per Joppiliam venit, primum cum maxima obviantium ex Leodio pompa ad Carthusiensium prope Leodium conventum. Ad quem cum in crastino dominus episcopus personaliter accessisset, sed et quidam deputati ecclesiarum ad videndum commissiones ipsius legati etiam ibidem convenissent, et multis de difficilibus rebus diversi fierent quaestiones et tractatus, tandem die et hora ad hoc constitutis venit dominus legatus usque ad pontem Aurati Cordis, quo in loco constitutus, ecclesiis cunctis processionaliter obviam euntibus, ad humiles ipsarum et totius populi preces ad certum diem durandum relaxavit interdictum. Quo facto cum magna exultatione cleri et communis populi, maximaque campanarum vociferantium strepitu atque tumultu, ductus est per dominum Leodiensem usque ad gradus ecclesiae sancti Lamberti. Quo cum descendisset, accepta aqua benedicta, ecclesiam intrans una cum episcopo Leodiensi ipsam in signum reconciliationis totam devote conspersit.

Et per clerum *Te Deum* solemniter cantato, ductus est legatus ad summum altare, ubi, facta oratione et benedictione data, ad sanctum Jacobum ductus est ad hospitium. Igitur in crastino, prima videlicet Maii, dominus Leodiensis suam primam solemniter cantavit missam cum summa gloria et pompa ecclesiasticorum atque nobilium, qui ad hanc solemnitatem convocati fuerant, atque, ut caetera quae ad tantum officium spectabant et decentissime adimpleta exstiterunt pertranseam, post *Ite missa est,* dominus episcopus vertit se versus legatum stantem in formis, ubi dominus episcopus stare consuevit, et deposita mitra domini episcopi, prostravit se episcopus una cum cunctis aliis praelatis ad genua, humiliter benedictionem petentibus. Super quos humiliter prostratos dominus legatus, dicto *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.,* extensa manu dedit ultimam benedictionem. Quo facto, dominus Leodiensis portans venerabile sacramentum processit reverenter, prout de more est, post clerum praecedentem ad processionem. Qua autem completa, itum est ad prandium, quo omnes praelati fuerant convocati, in episcopali palatio magnifice praeparatum. Postea vero in octavis apostolorum Philippi et Jacobi post prandium hora secunda, ad humilem petitionem praelatorum, decanorum, plebanorum, matriculariorum ac totius cleri et conventuum tam mendicantium quam caeterorum, et communis populi ibidem in ecclesia sancti Lamberti convocatorum, dominus legatus una cum episcopo Leodiensi in medio templi adveniens, finaliter interdictum relaxavit, mediante tamen submissione qua praedicti se apostolicae sententiae devote submittere curabunt. Post haec autem ad diem Penthecostes omnibus praelatis et toto clero ad ecclesiam sancti Lamberti vocatis, dominus legatus solemniter ibidem de Spiritu Sancto cantavit summam missam. Modum vero et formam tantae solemnitatis, sicut et plurima alia, causa brevitatis omitto. Quarta autem feria post Penthecostes legatus a Leodio recessit; sed feria quinta, ad instantiam domini episcopi, in ecclesia sancti Lamberti exequiae ducis Philippi exstiterunt cum magna gloria luminarium decenter celebratae. Et diebus sequentibus, feria scilicet sexta et sabbato, eodem ritu factae sunt solemnes exequiae pro fratre domini Leodiensis atque etiam pro ejusdem sorore. Notandum quod in die venerabilis sacramenti atque etiam postea in processionibus generalibus, quae in mense Julio fieri consueverunt, dimisso ordine ministerialium, processerunt seculares et laïci juxta ordinem suarum parochiarum et hoc satis decenter et devote. In principio mensis Julii dominus episcopus reconciliavit complures

Interdicti relaxatio.

Exequiae Philippi ducis Burg.

ecclesias et cimiteria in Leodio. Unde tunc accidit, quod corpus Wilhelmi de Violetta extractum de cimiterio, ignominiose per plateas tractum, juxta ejus meritum in Mosam est projectum.

Carolus Margaretam, sororem regis Angliae, in uxorem accipit.

Tunc temporis, in crastino videlicet Visitationis, dux Carolus, qui superiori anno suam uxorem amiserat, secundam[1] duxit uxorem, filiam videlicet ducis Eboracensis, sororem autem regis Angliae, Margaretam nomine.

Colubrissarii.

Circa haec tempora sunt vexati plurimum homines in patria Lossensi per Colubrissarios, qui occulte nocturno tempore studuerunt improvisis supervenire et taxas imponere, combustiones domorum comminari. Quorum tamen nonnulli deprehensi exstiterunt interfecti, aut alias capti tormentis et rotis seu patibulis addicti vel adjudicati. Deinde circa initium Septembris, multa fama spargebatur apud Leodium de videlicet adventu Colubrissariorum et aliorum profugorum ex patria relegatorum. Contra quos Leodienses segniter se opponere studuerunt. Verumtamen in crastino Nativitatis beatae virginis Mariae, cum ad famam praedictorum (nescio quo Dei judicio) populus durus esset ad credendum, praefati profugi ex Francia venientes apud Genappiam, Mosam transeuntes et versus Leodium satis animose tendentes circa meridiem, nullo resistente, quippe per dirutas portas incunctanter civitatem intraverunt, quoslibet obviam improvise venientes interficiendo, reliquis fugientibus vel in suis domibus se occultantibus. Ii autem qui sic audacter civitatem satis populosam intraverant, cum pauci essent numero et inferiores domino Leodiensi et civibus licet inarmibus se esse perpenderent, ad pacem se admitti suppliciter flagitabant, suam causam domino legato committentes. Qui dominus legatus cum suas vices strenue inter dominum Leodiensem ac ejus adversarios profugos videlicet praefatos exerceret, et dominus Leodiensis ad hoc se plurimum difficilem redderet, et nonnullas excursiones contra civitatem faceret, desperati Leodienses coeperunt dirutas suas portas et muros eversos instantissime reparare et resarcire et ad resistendum cujuscumque potestati paratos se ostendere. In dies enim augebatur numerus eorum ex Teuthonica patria ad Leodium confluentium, quorum capitaneus erat Johannes Lobost. Capitaneus vero eorum qui ex Francia venientes Leodium irruperant, erat Johannes *der Wilde*[2], et cum eo quidam vocatus Rocha, vir strenuus, atque nonnulli

Fugitivi Leodium reduces novas turbas excitant.

[1] Immo *tertiam*.

[2] Alias *Del Ville* seu *De Ville*. Cf. Barante, *Hist. des ducs de Bourgogne, avec des remarques*, par le baron de Reiffenberg, tom. VII, pag. 60, Bruxelles, 1836.

alii. Sed et uxor Rasonis etiam et ipsa ex Francia veniens Leodium intravit, et suam propriam domum in hospitium elegit. Interea cum numerus malignantium valde in Leodio accresceret et spes pacis nulla esset, praesertim cum pro parte domini Leodiensis nobiles patriae viriliter armati se fideliter exhiberent, et ex parte ducis Burgundiae ad dominum episcopum in oppido Tungrensi existentem plurimi armati confluerent; dominus vero Gwido de *Humbercourt* ex Huyo veniens, etiam et ipse cum armigerorum manu potenter ad favorem domini episcopi in Tungrim advenisset; contigit in festo sancti Dionysii circiter quingentos per diversas portas civitatem latenter egressos mediam post noctem oppidum Tungrense portis et muris destitutum animose introïsse, et oppidum multum populosum magnanimiter invasum spoliasse, occisis nonnullis et inde evadentibus quamplurimis. Quorum equis et armis ditati et spoliis, reversi sunt ad Leodium triumphatores, habentes secum praeter alios nobiles et plebeos captivos, ipsum dominum legatum ac etiam dominum episcopum una cum domino de *Humbercourt*, utique viros insignes, captivitatem incomparabilem et pro sui redemptione capturam sufficientem. Qui praelibati domini cum sic in laqueum captivitatis ex insperato ignominiose incidissent, facile persuasi sunt ad hoc videlicet ut inimicos pacis, pacem jam petentibus, ad bonum pacis reconciliarent. Ad petitionem igitur eorum, qui dudum pacem videbantur sprevisse, flexi sunt facile praetacti insignes captivi, quatenus suas vices interponere deberent: ita quod de praetactis offensis dux Burgundiae placatus, nullam vindictam sumeret, et quod pluris est, civitatem Leodiensem cum iis, qui ad eam confluxerant, absque ulla punitione pacificam dimitteret.

Haec et similia cum videbantur stulto populo et leviter decepto omnino fieri debere, et ad haec dominus Leodiensis una cum domino cardinali, cui res ipsa satis cordi erat, plurimum laboraret, ecce dux Carolus maxime ad praedictas novitates attonitus et commotus contractum suum exercitum et bene armatum et expeditum ante Leodium expugnandi gratia misit quantocius. Quem ipse personaliter secutus una cum rege Franciae, in quo jamdudum Leodienses frustra speraverant, obsidionis aptum locum in vico ante portam sanctae Walburgis satis studiose elegit. Sed antequam illuc populus ducis advenisset, plurimi Leodiensium temerarii et leviter persuasi, venientibus obviam se objicientes apud Lanthinis, et ex tunc usque ad suburbia civitatis a Burgundionibus ferociter sunt trucidati atque percussi. Cum igitur ducis exercitus pro magna

Carolus Leodium obsidet.

parte circa portam sancti Leonardi, expugnandi gratia, sese opportune collocasset, et dux cum alia parte sui exercitus se apud sanctam Walburgem in suo tentorio contineret, ecce egressi ex Leodio per portam sanctae Margaritae non minus trecenti viri, ut leones animosi media nocte per valles et terrarum devia pervenerunt usque ad tentorium ducis Burgundiae, ubi, occiso cubiculario ducis et nonnullis aliis, facile erat etiam et ipsum ducem vel occidi vel saltem comprehendi. Sed quia ejus hora nondum venerat, et ipse ultionum Dominus flagellum contra civitatem peccatricem paraverat, facile temerariorum et praesumptuosorum ex vociferantium clamore impeditum est propositum. Porro ex tentoriis ducis prope locatum per praedictos Leodienses igne apposito, funditus exstitit concrematum. Verum dominus Leodiensis, paucis diebus hinc ante, una cum domino legato obtenta licentia a civitate, cujus negotium videbatur agere, obviam se gessit usque ad rivum Jecoram, tanquam placaturus armigeros, qui ex parte ducis Hasbaniam fuerant ingressi. Sed quia videbat rem nimis difficilem, desperato negotio, consideraretque ducem una cum rege Franciae multa cum indignatione adesse commotum, adventareque in proximo, minime ad civitatem est reversus.

Tentorii ducis incendium.

Praeterea dominica, quae penultima erat Novembris, cum populus Leodiensis divinis officiis in suis parochiis devote interesset, et capitanei nostri viriliter invadentibus muros civitatis se opponendo resisterent, ecce subito nostri facti inferiores inimicis coeperunt cedere et facta irruptione ad portam de Vivengis et ad sanctum Leonardum, tumultuose plurimum fugientibus nostris, civitatem Burgundiones sunt ingressi, caedentes occidentesque quoslibet, quos comprehendere poterant, inter quos etiam Johannes *der Wilde,* vir utique plurimum animosus, nostrorum capitaneus, occubuit. Reliqui vero Leodienses et qui ad Leodium salutis gratia convenerant, per portas alias et murorum aperturas profugientes, fugae consulendo nemora sylvasque petebant, ubi in summa egestate victusque penuria inter montium valles, valliumque concavitates cum feris communem delegentes habitationis locum, valde nivibus et brumali algore afflicti, pene sunt consumpti. Qui cum aliquantulo temporis spatio miserabiliter affligerentur per interpositas personas, quarum abbas Vallis-sancti-Lamberti praecipuus erat, dolose ad misericordiam sunt recepti. Venientes igitur ex sylvis et terrarum concavitatibus exque vallibus nemorosis fere exsangues vana spe decepti per fidefragos facile comprehensi, in magno numero cordis et restibus ad invicem ligati, de ponte Archarum per multas vices

Leodium capitur.

projectorum in Mosam, crudelissimum in dies conspiciebatur spectaculum. Sed et navigio ducebantur ad Trajectum, qui ibidem similem sustinere habebant animadversionem. Inhumanissime vero pauperes Leodienses, modicum ante homines ferocissimi, nemini cedere volentes, crudeliter aquis suffocabantur aut ad arbores publice ante portas per vias laqueo suspendebantur. Idem fiebat in Huyo, nec non et in aliis nonnullis locis, ita quod dici verisimile posset, de Leodiensibus punitionem Dei judicio fuisse sumptam, qualem Titus et Vespasianus de perfidis Judaeis sumpsisse olim describuntur. Itaque sic Deus nonnunquam superbos humiliat, ut interea illis punitis pauperes humiles exaltare possit. Quod ex praedicta tragoedia facile deprehenditur, ubi Leodiensium insolentia, injustitia ac arrogantia coelum ipsum pulsasse videtur. Ad quorum petulantiam ipse bonus Deus patientissime eorum emendationem exspectans, tandem in iram provocatus cum nocentibus etiam innocentes et cum malis bonos in reprobationem dedisse visus est sensim, et projecisse in dirum mortis exitium.

Praeterea dux Carolus jam votive potitus civitate, et totam Leodiensem patriam sibi habens subjectam, in superbiam elatus omnia extremo exterminio addixit, nulli parcens aetati, conditioni aut sexui. Nam sacerdotes et clerici fere indifferenter ut laïci captivi tenebantur, sanctorum templa profanabantur, altaria spoliabantur, sacra loca ubi sanctorum reliquiae conditae erant, violenter latrunculi ingressi quidquid diripientium manibus patuit, absque respectu asportare curabant, sed nec venerabilis sacramenti cibariis parcebant, immo plerumque ipso venerabili sacramento irreverenter projecto ipsas capsas in massam conflatas sibi in profanos usus convertebant. In multis etiam ecclesiis civitatis atque etiam in aliis oppidis et villulis, campanae ex turribus eripiebantur ad usum tormentorum seu bombardorum conficiendorum, crudelem sententiam sortientes. Multa oratoria, capellae et ecclesiae in Hasbania et diversis locis patriae fuerunt combustae. Sed et villagium quodlibet per Hasbaniam vix erat, quod combustionis sententiam evaderet. Totam nihilominus civitatem una cum ejus amplis suburbiis igne jussit concremari. Ecclesiasticorum vero domus vix ab incendio exstiterunt exemptae. Redimebantur pro certa tamen summa pecuniaria erga dominum de *Witthem,* qui auctor combustionis exstitit. Verum antequam domus comburendae igni darentur, venerunt latrunculi ex Trajecto atque ex aliis locis, auferentes quidquid plumbi erat in tectis, videlicet sumptuosos qui hoc tempore in frequenti usu erant canales, et quidquid ferramentorum erat circa domus ditissimas, in maxima scilicet copia,

Carolus nulli parcit.

Sacra profanantur.

Incendia.

Trajectenses civitatis Leod. spoliatores.

cancellas ferreas et caetera similia, quibus spoliis facile pauperes spoliatores ditescere videbantur. Miserunt insuper Trajectenses, antiquo odio contra Leodienses excitati, quosdam profanos lathomos, qui studiose satis praesumpserunt cassare majorem pontem, qui dicitur Archarum, cujus duos potiores confregerunt arcus, nonnullaque alia in contumeliam civitatis praesumentes.

Trajectenses pontem Archarum demoliuntur.

Dominus vero *de Humbercourt*, vicarius ducis, insulam ipsam, postea quam combusta fuerat, in emphitheosim accipere curabat, et super pontem Avoroti confractam portam novam esse constituit; similiter etiam super alium pontem versus civitatem, qui pons insulae dicitur. Etiam contra civitatem aliam portam fabricari praecepit, ibique in insula, quae Brabantia dicebatur, Brabantinorum more legem suam vigere volebat, et secundum suam voluntatem judicandum fore praecepit.

Praeterea etiam dux praefatus postquam a Leodio ad Trajectum venisset, nescio diabolicum quid meditatus, perniciosissimo usus consilio, ad Leodium misit quosdam honoratos una cum quodam episcopo, qui ultimam debebat in ecclesia sancti Lamberti solemniter celebrare missam, qua celebrata, translato corpore sancti Lamberti et cum caeteris reliquiis ablatis, etiam ipsius cathedralis sedis alias transferendae fieret translatio. Quod quia homo ita faciendum proposuit, Deus licet ad modicum temporis iratus, denuo populo suo misertus, mox clementer aliter disposuit. Nam profanos praefatae praesumptionis executores, post missam praelibatam ab dicto episcopo decantatam, ita ad sacras reliquias ascendentes profanas manus ausos apponere, ita divinitus territos, adeo confusos mente prostravit, ita quod corporis gressu vix haerentes omni velocitate, qua poterant, divinam ultionem formidantes recedere a sacratis locis quantocius oportune sunt compulsi. Quo audito dux miraculo sententiam de transferendis ecclesiis in melius commutavit. Unde accidit, quod statim circa festum apostoli Thomae per suffraganeum episcopum ecclesia major, sancti videlicet Lamberti, reconciliata exstiterit. Et deinde aliae ecclesiae, prout sancti Petri, sanctae Crucis, et consequenter reliquae ecclesiae profanatae munus reconciliationis percipere meruerunt, ad divina officia celebranda rehabilitatae.

Brabantis corpus Sancti Lamberti non potuerunt transferre.

Ecclesia S. Lamberti reconciliatur

Fredericus de Witthem.

Dominus vero Fredericus de *Witthem*, qui ex commissione ducis jam civitatem totam combusserat, petiit ab ecclesiis mille ducentas coronas pro redemptione domorum claustralium, ne combustioni exponerentur. Sed obtulerunt eidem ecclesiastici quingentas coronas. Unde et dominus Leodiensis

mediator esse debebat, suas vices interpositurus. Praeterea profugi Leodienses, negotio parumper pacificato, passim ad propria convertentes, una cum dominis ecclesiasticis cohabitantes, coeperunt successu temporis casas, domunculas super furcas et stipites erigere, et super lapidum materias ex stramine et luto tecta componere, atque in caveis et penorum cavernis habitationis locum erigere, donec ex mandato ducis daretur licentia habentibus aedificandi potestatem novas aedificandi domus, mediante solutione per singulos annos unius aurei leonis. Quae tamen domus noviter aedificatae, si exsolutionem praetacti canonis debuissent evadere, non nisi usque ad prima laquearia inferioris solarii poterant exsurgere.

Dux aureum leonem exigit pro domorum restauratione.

1469.

Carolus Gandavum sibi subjicit.

Anno millesimo quadringentesimo nono, dux Carolus post victoriam acquisitam in patria Leodiensi, in superbiam elatus, Gandavenses tanquam sibi rebelles coepit ad obedientiam arctare. Ad quos cum in alto et elevato solio sedens concionaretur, combustis vexillis et cassatis laceratisque eorum privilegiis, sigillisque demolitis, in praesentia domini Ludovici de Bourbon ac aliorum nobilium, locutus est ad Gandavensem plebem : *Populus hic labiis me honorat, sed cor eorum longe est a me*, etc. Eodem anno, in profesto venerabilis Sacramenti, receptus est dux Carolus jam placatus apud Gandavum et honorifice introductus, et (prout ferebatur) cum taedis, faculis ac aliis luminaribus non minus quinquaginta millibus.

Uxor ducis Gelriae soror Ludovici Borbonii moritur.

Legatus apostolicus expensa recipit.

Item hoc anno obiit ducissa, uxor ducis Gelriae, soror domini nostri episcopi. Item in monasterio Sancti Trudonis receptus est novus abbas benedicendus in dominica *Oculi*. Praeterea hoc etiam tempore apostolicus legatus saepedictus volens ad urbem recedere, quodam modo minans petiit sibi de laboribus factis satisfieri : unde tractatu facto cum eodem singuli canonici solverunt ei decem renenses et capellani pro tribus vel duobus, abbates vero pro se ipsis, suis conventibus praetermissis. Inde etiam multa consilia et convocationes factae sunt apud ecclesias propter debita et pensiones et caetera, propter quod jocalia vendebantur.

Ecclesia monasterii Vallis S. Lamberti combusta. Curia Leod. Trudonopolim translata.

Die vero vicesima prima Aprilis, combusta exstitit ecclesia monasterii Vallis-Sancti-Lamberti ex fulmine circa horam quartam post meridiem. Septima Maii posita est curia Officialis in oppido Trudonensi.

Donarium ab Humbercurtio in ecclesia S. Lamberti factum.

Item septima Julii dominus *de Humbercourt* una cum uxore sua per Namurcum venit Leodium, et intravit ecclesiam Sancti Lamberti, et oratione facta ante feretrum corporis Sancti Lamberti, in praesentia domini decani ac

aliorum dominorum obtulit pro emendatione et offensa, quibus se deliquisse confessus est, xxx marchas argenti, et sic salutata Virgine Maria in claustro, impransus recessit navigio versus Trajectum.

In Septembri tres malefactores capti in Eggermont fuerunt decapitati in Insula ex opposito ecclesiae Sancti Pauli. In festo Sancti Lamberti propter rumores praecedente nocte factos, ubi videlicet ad arma clamatum fuerat, domini ecclesiarum occasione accepta coeperunt claustra sua firmare vectibus et seris aliisque opportunis repagulis et portis. Hoc denique tempore dominus de *Witthem*, civitatis Leodiensis combustor, in suo castro per ducem Juliacensem obsessus fuit, sed per ducem Burgundiae obsidio ipsa soluta exstitit.

Castrum Frederici de Witthem obsessum.

Pax Leodii proclamata.

In profesto Cosmae et Damiani pax proclamata fuit Leodii et nundinae consuetae, quae vulgo forum dicuntur, celebratae sunt in vico Sancti Johannis Baptistae, incipiendo ab ecclesia Sancti Bartholomaei usque ad forum Sancti Lamberti.

Bona ecclesiarum arrestantur in Brabantia.

His diebus ecclesiae plurimum gravabantur in bonis suis per arrestationes pensionariorum in Brabantia, propter quod ex gabellis jam nuper impositis ordinatum fuit, quod cuilibet in subsidium refusionis damni illati in tribus terminis per singulos annos solverentur mille floreni, quod et factum est. Ordinatum insuper est, quod praelati, propter improbitatem quorumdam novitates introducentium et violentiam facientium, tenere possent duos vel tres apud se armigeros, et quod, quotquot essent de parte principis vel etiam domini episcopi, arma ferre possent.

Hoc tempore veniens ex urbe nuntius, ferens secum litteras commendatitias et unum breve insinuans, quod summus pontifex plurimum condoleret oppressioni Leodiensis ecclesiae, cupiens quod mitterentur deputati ex parte ecclesiarum, etc.

1470. Ludovicus Borbonius Leodium redit.

Anno septuagesimo in octavis Johannis Evangelistae [1] dominus Leodiensis navigio ex Huyo venit Leodium, ubi honorifice cum taedis et faculis tam a clero quam a populo susceptus. Post orationem factam in ecclesia Sancti Lamberti ad coenam ductus est apud cancellarium. In crastino vero, post propinationem eidem factam, rogatus est ab ecclesiis, quod ipse dignaretur locum habitationis suae in Leodio firmare et quod Officialis curiam ad Leodium vellet revocare. Quibus dominus episcopus respondit, haec se libentissime facturum, dummodo temporis malitia id fieri permitteret.

[1] Die tertia mensis Januarii.

Episcopus Trajectum petit. — *Carolus civitati minatur, nisi promissa solvantur.*

Eodem die, prandio facto, dominus episcopus, cum frigus esset, pedes ivit per plateas combustae civitatis, lamentabile exustionis conspiciens spectaculum. Deinde in profesto epiphaniae navigio Trajectum petiit, equitibus ejus juxta ripam Mosae procedentibus. Postea statim per quosdam pessimos executores, quorum unus prothonotharius et alius Benedictus, vulgo *Benotton* dictus, dux Carolus destinavit litteras comminatorias ecclesiis, continentes quod vellet esse solutus, alioquin scirent se positurum ipsas ecclesias in tali statu, quod infra annos quadraginta recuperare se non valerent: sed et civibus majora minabantur. Quare plures cives dimissa civitate, non habentes unde solverent, fugae necessario consulere habuerunt.

Commissarii a Carolo Leodium missi ad destruendos muros civitatis. — *Juxta Sanct. Martinum muri manent illaesi.*

Deinde in festo sancti Servatii intraverunt Leodium ex parte domini de *Humbercourt* missi dominus de *Paiage* et Wilhelmus *Martinez* [1], tanquam commissarii ipsius domini de *Humbercourt*, ostendentes per patentes litteras se habere commissionem destruendi muros et portas circa sancti Lamberti claustrum anno priore factas, atque residuum murorum quod fuerat derelictum apud sanctam Walburgem seu in aliis locis circa Leodium; etiam specialiter muros de Viseto oppido potestatem habebant destruendi. Indictum igitur est per praefatos commissarios quatenus et in Tungri et ubicumque alibi muri ex integro non erant eversi, quantocius demoliri deberent. Igitur in Sancto Martino cum ad instantiam praedictorum commissariorum muri deponi deberent, restiterunt domini dictae ecclesiae, mittentes suos deputatos ad ducem Carolum, a quo impetrarunt gratiam qua suos muros, cum ad custodiam sui claustri spectarent, deponi aut demoliri non deberent. Praeterea multi cives redemerunt se erga praefatos commissarios, habentes potestatem propellendi omnes cives civitatis, centum et quatuor (prout fertur) civibus exceptis. Recessit tamen Wilhelmus de *Martinez* a Leodio, cupiens intrare castrum Huyum, ad quod non erat admissus, qua injuria commotus accessit ad Tudinum et Covinum, quatenus ibidem muros deponere faceret.

Talliae civibus impositae.

Praeterea in principio Julii venerunt commissarii ducis ad Leodium imposituri talhiam super patriam xxxiiii^{m} florenorum rhenensium. Sed ubi comprehendere praesumebant ad dictas talhias in parte solvendas per ecclesiasticos et monasteriales, convocatione facta, restitit unanimiter clerus, protestans de injusta impositione.

[1] Alias *Martineaz.*

Latrunculis exulibus resistitur.

Hoc tempore praeconia voce clamatum exstitit in foro, quod ad pulsum campanae omnes cives se praepararent ad resistendum latrunculis exulibus extra patriam proscriptis, qui denuo in confinibus patriae conglobati latrocinia et praedas curabant exercere.

Hisce vero temporibus dux Carolus de Sancto-Audomaro transtulit se in Hesdin. Comes autem de Verwic cum potentia magna intravit in Angliam, obtinens ibidem superioritatem, propter quod novus rex fugiens venit in Hagam Hollandiae, quo et aliquot dierum spatio se continuit.

1471.

Circa initium anni septuagesimi primi, Leodienses qui fuerant profugi ex patria extra civitatem Mettensem famabantur esse proclamati, qui in unum collecti non minus ducenti ad patriam Leodiensem coeperunt revertentes accedere. Quorum timore Leodienses perplexi coeperunt vigilias indicere et custodias observare, magnosque rogos in plateis struere.

Donaria a Carolo ecclesiae Sancti Lamberti facta.

Postea mensis Februarii die decima quarta, dux Carolus, forsitan aliqualiter super violentiis Sancto Lamberto illatis compunctus, per honestam legationem misit ecclesiae Sancti Lamberti certa pretiosa clenodia, videlicet duas argenteas imagines nobiliter deauratas, sancti videlicet Georgii martyris et ipsius ducis ante pedes inclinati. Ac insuper obtulit tres rubeas cappas deauratas ac subtili textura pretiose figuratas, quibus nihilominus in processione in crastino indicta post specialem missam usi sunt ad ipsam missam officiantes seu ministrantes.

Ex tunc indicta fuit ad instantiam domini episcopi specialis missa singulis feriis sextis celebranda pro pace et pro domino duce, qui tunc temporis sustinuit suam patriam invadi per gentem regis Francorum. Nam usque ad Hannoniam extenderunt se Franci, stantes in terris Morialmez, descendentes usque in Fossis, Branio, Florinis, Walcourt, atque usque ad Floreffiam, praedas et rapinas captivitatesque hominum exercentes. Praeterea etiam dux Carolus demandavit dominum de *Payege* ad Hannoniam mittendum, quem paulo ante ad Leodium miserat cum ducentis armigeris, quatenus dominium insulae in Leodio obtineret ex parte sui, et post dominum Leodiensem patriam custodiret. Quo revocato gaudium factum est in Leodio, libenter volentes carere cives hujusmodi superfluo dominio. Statim vero post hunc censor pestilens, de quo supra dictum est, una cum prothonotario ultra modum coepit vexare Leodienses ecclesias, exigens ex parte ducis, virtute commissionis suae, de qualibet ecclesia de taxatione singulis ecclesiis imposita ducentos rhenenses. Quos cum ecclesiae non voluissent solvere, generaliter et concorditer protes-

De Payege ex Leodio in Hannoniam vocatus.

Ducenti rhenenses ab ecclesiis exiguntur.



tantes, iniqui executores ipsius Benedicti, vulgo *Benotton* vocati, via facti violentas manus imposuerunt primum in computatorem ecclesiae sancti Lamberti, et clavibus ab eo violenter acceptis, granaria aperuerunt, nihil tamen asportantes. In crastino vero cum ecclesiae instanter peterent dilationem, donec ad ducem mitteretur, nulla data dilatione, absque mora, effrangi fecit granarium ecclesiae sancti Dionysii, et deinde granarium ecclesiae sancti Pauli, ex quibus ablatis in maxima quantitate frumento aliisque granis, et navibus impositis, ad Trajectum studebat transmittere. Item deinde ad Sanctum Petrum et ad Sanctam Crucem similia tentata sunt, sed dum ad Sanctum Martinum ventum est, convocatis confratribus, vix obtinere potuerunt reliquae ecclesiae terminum qualemcumque, nisi postea cautione et mediante fidejussione ponenda in cambio Lovanii vel Trajecti, quod videlicet infra decem dies juxta praefatam petitionem satisfaciendum esset. Hic vero exactor ultra modum instabat, vix ulla dilatione concessa, in tantum quod postea veniens apud Cruciferos, Praedicatores ac alios Minorum ordinis conventus, violentas exercuit executiones. Hic violentus praedator juxta meritum suum apud Trajectum fuit decapitatus, cum tamen regnante duce Carolo scabinatus ad tempus ibidem functus fuerit officio.

Moritur Paulus II. It. Abbas S. Jacobi, et episc. suffraganeus.

Postea praeterea eodem tempore, in mense Julio contigit papam Paulum, in urbe existentem, satis improvise mori. Cujus in locum successit papa Sixtus, ipso die sancti martyris Sixti, procurante cardinali graeco facile electus. Item circa idem fere tempus, apud Trajectum obiit dominus Rutgherus, abbas sancti Jacobi Leodiensis; cui successit dominus Conrardus de Molendino, paulo ante factus prior sancti Jacobi. Item non diu postea dominus suffraganeus, dominus videlicet Johannes, episcopus Liberiensis, diem clausit extremum [1].

Imp. Fredericus III in Turcos bellum moturus, decimas petit.

Dominus vero Libertus, episcopus Bericensis [2] suffraganus, in die sancti Lamberti, ex parte episcopi coram toto clero et populo proposuit causam Frederici imperatoris, qui apud Ratisponas dicebatur convocationem principum fecisse, contra Thurcum expeditionem facturus. Ob cujus occasionem de praecepto papae decimam intendebat petere per universam terram. Sed ut hanc petitionem ecclesia Leodiensis et dioecesis plurimum depauperata opportune praeveniret, persuasum est, quod per quosdam deputandos

[1] Cfr. supra pag. 15, et Adrianum de Veteri Busco apud Martene, *op. cit.*, tom. IV, pag. 1354.

[2] Seu potius *Berytensis*. Cfr. Ernst, *Tableau hist. des Suffragants de Liége*, pag. 141.

et ad urbem mittendos, dominus papa Leodiensem ecclesiam dignaretur facere exemptam. Quae res antequam expediretur, satis difficilem videbatur habere progressum.

1472. Anno igitur millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, dominus Leodiensis episcopus, in octavis Innocentium, pransus est apud monasterium sancti Jacobi in refectorio, una cum novo abbate [1], qui eodem die munus

Cometes. consecrationis per suffraganeum fuerat consecutus. Porro in octavis Epiphaniae, coepit in aëre apparere cometes longam ducens caudam, qui tamen magis videndum universaliter se exhibuit circa festum sancti Anthonii, et movebatur ab Oriente ad Occidentem versus. Quo disparente circa festum sanctae Agnetis, ostendit se alius cometes versus Septentrionem, et videbatur volvi circulariter, habens caudam dubiam, de quibus cometis astronomi plurima indicabant.

Deinde tertia Martii venit dominus *de Humbercourt* denuo de Trajecto una cum uxore sua navigio ad Leodium; cum eo venit etiam praesidens Brabantiae, comitatus multis nobilibus viris, quibus ducatum praebebat una navis

Novum ab Humbercurtio ecclesiae S. Lamberti donerium oblatum. onusta viris armatis Trajectensibus videlicet sagittariis. Quorum etiam numerum Namurcenses auxerunt, obviam ruentes ad portam sancti Leonardi, quorum capitanei erant villicus et ballivus Namurcenses, stipati octuaginta sagittariis bene armatis. Quibus hinc inde armigeris bene munitus, dominus Guido praenominatus, curavit visitare ecclesiam sancti Lamberti. At ubi orationem devote complevisset, ductus est ad hospitium clangentibus buccinis apud Praedicatores in Insula, quo etiam nocte praecedente fuerat hospitatus. In crastino vero ad ipsius instantiam celebrata fuit missa ad summum altare ecclesiae sancti Lamberti, qua dicta permissus est ascendere ad feretrum corporis sancti Lamberti, cujus caput cum osculatus esset devote, obtulit, prout pridem jam fecerat, summam triginta marcharum argenti, instanter requirens quatenus caput ipsius sancti nobiliter argento includi deberet. Et ipsum dominum Leodiensem praesentem monuit, quod totidem argenti ad praefatum usum dare deberet, atque quod etiam quilibet canonicorum majoris ecclesiae saltem unam dignaretur exhibere liberaliter argenti marcham, insuper promittens quod dominum ducem ad deaurandum dictum argenteum caput, postquam perfectum esset, facile inducere posset. Deinde accessit

[1] Conradus de Molendino, anno 1474 in profesto exaltationis S. Crucis morte praematura raptus.

praelibatus dominus *de Humbercourt* ad ecclesiam sancti Petri, ubi similiter in summo altari celebrata missa, circumsteterunt ei domini de eadem ecclesia, regratiantes ei de assistentia eisdem facta in arduis negotiis contra eorum oppressores et infestissimos exactores : quibus concessit illico mandatum, dicens de mente principis non esse, quod executores sui sic ecclesiis imminere deberent. Postea factum est, quod deputati ecclesiarum patriae Namurcensis describere facerent bona omnium ecclesiarum Leodiensium in comitatu Namurcensi situata, ad contribuendum cum ipsis in gratia domino duci concessa. Quibus cum clerus Leodiensis constanter resisteret, coeperunt illi via facti contra ecclesias procedere spoliantes colonos ecclesiarum in patria sua existentes. Quo percepto, ecclesia Leodiensis citari fecit clerum patriae Namurcensis ad certos diem et horam apud sanctum Petrum in Leodio, ad videndum se resecari a societate secundariarum ecclesiarum. Qui tamen non comparuerunt et prolongatus est terminus, quatenus interea quaereretur in archivis, quomodo videlicet hujusmodi resecatio fieri deberet.

Prima vero Augusti, dominus Leodiensis publice legi fecit litteras sibi a domino duce Burgundiae directas, continentes fratrem regis Franciae, per venenum interfectum. Deinde secunda Augusti, dominus Leodiensis collectis armigeris suis, quos habere potuit in sua patria, recessit versus Huyum. Cui sociabant se Namurcenses deputati viri armati, quorum adventum audientes latrunculi superiores, patriarum terras plurimum devastantes, quantocius fugerunt. Nostri vero, locis eorum opportunis combustis, in quibus illi se recipere consueverant, ad Leodium sunt reversi circa octavas sancti Laurentii, superiores de inimicis effecti. His denique diebus dominus Fredericus *de Withem* valde molestabat Leodienses ecclesias, ob videlicet denarios sibi promissos, prout supra tactum est. Propter quam necessitatem ecclesiae multum angustiatae plurimos ad invicem habuerunt tractatus.

Anno septuagesimo tertio, post multas difficultates de praetacta materia 1473.
inter praelatos et aliarum ecclesiarum capitula, aliis consentientibus in contributione dictorum ducentorum florenorum, per omnia forte capitula, aliis vero non consentientibus, tandem in Aprilis mense in hoc convenerunt, licet satis difficile, quod videlicet praelati solverent lx renenses, et aliae ecclesiae xl, facientes simul centum renenses, expensis postmodum in communi recipiendis: de quibus admodum dubia facta fuit conclusio, procul dubio infecto manente negotio.

Carolus dux Gelriam invadit.

Hoc denique tempore positis treugis inter regem Franciae et ducem Burgundiae, dux ipse transiens per Leodiensem patriam cum infinito armorum apparatu maximaque armatorum manu, patriam Gelrensem coepit invadere; et posita obsidione ante oppidum de Venlo, ipsum ad deditionem compulit. Similiter etiam Novimagium obsessum tandem in sui servitutem redegit. Rurimundenses vero cum duce Burgundiae, in Mosae Trajecto residente, mediante tractatu ad concordiam venerunt. Et ita factum est, quod totus Gelrensis ducatus duci Carolo praetacto facile ad votum cessit. Praeterea dux voti sui compos et in superbiam elatus colloquium imperatoris expetiit. Quem cum diu exspectaret dux in Aquisgrani, et ibidem non veniret, tandem occurrit ipse imperatori ad civitatem Treverensem advenienti. Cum magna solemnitate susceptus est ibidem uterque. Qui ad invicem quaedam secreta tractabant, nesciebatur tamen qualia essent, nisi quod per certas conjecturas praesumebatur ipsum ducem ab imperatore petiisse se posse fieri regem Burgundiae, atque in regem debere coronari [1]. Igitur dux reversus ab imperatore per Coloniam venit in Aquisgrani, ac deinde ad Coloniam regressus foedera magna amicitiae studuit facere cum Coloniensi archiepiscopo. Notandum quod hic praescriptus annus totus exstitit pestilentialis, et hoc quasi universaliter in dioecesi Leodiensi, ubi plurimi obierunt ex fluxu sanguinis, qui morbus disenteria seu lienteria vocitari poterit. Maximus siquidem aestus et ardoris erat fervor, qui infirmitatem praetactam auxerunt, sed maximam copiam optimi vini nihilominus hic annus calidus (prout communiter vulgo appellatur) ubique cunctis terrae cultoribus votive peperit.

Congressus Caroli ducis et imperatoris.

Pestilentia.

Mors abbatis S. Laurentii.

Apud monasterium sancti Laurentii Leodiensis, hoc eodem anno venerabilis pater abbas Arnoldus Loon, alias *de Kunph* [2], ex senio confractus, diem clausit extremum mensis Julii die xxviii. Qui paulo ante per resignationem providerat domino Bartholomaeo, suo successori de abbatiati dignitate [3].

1474.

Anno vero sequenti, videlicet septuagesimo quarto post diaetam tentam in oppido Boviniensi, dux Carolus mutato consilio exercitum suum, quo invadere proposuerat regnum Franciae, factis treugis, duxit denuo ultra Mosam

Carolus Nuciam frustra obsidet.

[1] Cfr. Barante, *op. cit.*, tom. VII, pag. 359 et seqq.

[2] Alibi legitur *Loen de Kemexhe*, et etiam *de Tremech*, prout in ipsius epitaphio, quod refertur in *Historia monasterii S. Laurentii*, apud Martene, *op. cit.*, tom. IV, pag. 1181.

[3] Arnoldus Loen abbatialem dignitatem mala fraude obtinuerat, quam rogantibus monachis abdicare tandem debuit. Ipsius successor susceptam provinciam pie et fideliter administravit.

fluvium, contra oppidum Nuciae studiose collocans obsidionem, archiepiscopum Coloniensem una cum nonnullis aliis principibus vocans in adjutorium. At ubi cum multo tempore cum plurima suorum jactura pugnatum esset inutiliter, post undecim mensium spatium, dimissa obsidione, consuluit fugae satis confusibiliter.

Ante haec tempora dominus Wilhelmus de *Arenberch,* alias de Marcha, vir audax et bellicosus, cunctis terribilis, prolixam barbam gestans, statura procerus, vendito dominio suo de *Lumen* in patria Lossensi [1], coepit fortificare castrum suum de *Egremont* prope Mosam situatum. Hic datis liberaturis multis per Hasbaniam ac etiam per totam patriam, cunctos conabatur attrahere in favorem sui, blandimentis alliciendo seu quolibet alio ingenio. Quod factum non parvam quibusdam ingeneravit suspicionem non satis bonam. Praeterea non diu post, tertia videlicet Augusti, eodem imperante, vulneratus fuit quidam prope Fexhe decimator, qui ipso die sancti Laurentii obiit. Quo etiam eodem die praefatus dominus Wilhelmus in sancto Trudone existens obvium sibi magistrum Rycardum, vicarium domini Leodiensis, crudeliter occidit; quo interfecto statim in Franciam aufugit, repente fugitivorum capitaneus effectus. Igitur penultima Augusti, facta fama in Leodio quod dominus Wilhelmus, collecta sibi fugitivorum armata manu, associando etiam sibi viros quoslibet audaces de *Franchimont* atque etiam ex Francia, ad invadendam Leodiensem patriam descendendo properaret, Leodienses inermes fugam coeperunt meditari. Qui coherciti per dominum Leodiensem atque ejus ballivum, compulsi sunt sistere pedem, et collecto exercitu virorum per Hasbaniam et circum circa, coëgit eos qui erant in castro de *Eggermont* ad deditionem, castro accepto Aegidii in crastino. Propter quod dominus Wilhelmus commotus, litteras diffidationis misit consilio domini episcopi Leodiensis et consilio ducis Burgundiae, nominando expresse episcopum Libertum suffraganeum. Quem in sancto Trudone captum ac duci Burgundiae praesentatum dux apud oppidum de Gravia diu in carcere teneri fecit captivatum.

Wilhelmus de Arenberch.

Ricardum vicarium episcopi occidit.

Hoc anno, abbas sancti Jacobi Leodiensis dominus videlicet Conrardus, postquam vix tribus annis praefuisset, defunctus est. In cujus locum successit dominus Arnoldus *Diest*.

Arnoldus Diest abbas S. Jacobi.

Sequenti anno, qui erat septuagesimus quintus, dominica *Invocavit,* exstitit 1475.

[1] Terram de Lumay seu *Lummen* vendidit domino Delle Voere.

Nicolaus Dene abbas S. Huberti.

consecratus in abbatem sancti Huberti in Ardenna, dominus Nycholaus Dene. Deinde xvi Junii turris ecclesiae sancti Huberti in Ardenna ex fulmine totaliter fuit combusta.

Induciae inter regem Franciae et ducem Carolum.

In Leodio magna facta est compulsatio campanarum propter gaudium acceptum de treugis novem annorum inter regem Franciae et ducem Carolum. Et mox postea coeperunt paulatim nonnulli fugitivorum ad patriam redire, salvo conductu mediante. Dominus vero Leodiensis, qui ex parte ducis cum multa suorum armata manu apud ipsum ducem Nuciam obsidentem fuerat demandatus, quatenus sibi foret praesidio, post dimissam obsidionem rediit Leodium xii^{a} Septembris, susceptus magno cum gaudio. Porro dux Carolus, non diu postquam in patriam fuit reversus, habito colloquio cum rege Angliae, cui obviam processerat, totam suam armaturam secum ducere curavit, transitum faciens per Namurcensem patriam. Itaque terram ducis Lotaringiae incipiens invadere, et tandem oppidum de *Nansy* obsidere, prosperum satis habendo principium, foedum ac infelicem tandem consecutus est ibidem finem (prout in consequentibus patebit), dignam suae temeritatis mercedem.

Carolus Nanceium obsidet.

Notandum quod circa finem hujus anni, paululum ante festum apostoli Thomae, comes sancti Pauli de traditione convictus, Parisiis decapitatus est, sed et in bello filii ejus captivi sunt detenti, ac terra seu dominium ipsius per confiscationem regiae dispositioni cessit. Verumtamen Balduinus, de quo supra, veniam, quam forte non meruit, invenit.

Comes S. Pauli capite plectitur.

1476.

Carolus succumbit.

Igitur anno septuagesimo sexto, dux Burgundiae valde lassatus a Swittensibus, magnam partem populi sui amisit, et insuper in medio mensis Martii perdidit apparatum suum, quem tam in thesauro quam in bellicis instrumentis secum adduxerat copiosum. Quare pertaesus et pene desperatus, missis executoribus ultra modum, patrias et terras suas per talhias et impositiones irrationabiliter vexabat. In patria vero Leodiensi, praeter satellites electos et in auxilium ipsius missos, multam impositam et exactam requirebat pecuniam. Quam cum non facile impetrare potuit, arma, enses, hastas et quidquid ad bellandum idoneum per dominum de *Humbercourt* ejus vicarium auferri fecit. Insuper et fossata repleri et muros derelictos aut reparatos in Leodio, in Tungri, in Hasselt atque in aliis locis demoliri fecit. Quae cuncta sic crudeliter imperata, futura apud non nullos viros eruditos conjiciebantur aut pronosticari videbantur ipsius infelicis ducis mortis praeambula seu occisionis indicia. Quod et mox statim patuit.

Ergo septuagesimo septimo anno cum dux artatus in crastino Epiphaniae cum suis inimicis bellum habiturus esset, et comes quidam capitaneus Longobardorum (quorum copiosa societas duci pro stipendiis servire curaverat) ob non solutionem stipendiorum ab ducis exercitu defecisset, dux indignatus indictum bellandi diem non exspectans, in profesto Epiphaniae, praetermisso ordine, se et suos contra suos adversarios inconsulte cum magna ferocitate objecit, cupiens in conflictu esse primus. Qui mox suae temeritatis luit poenam, nam disperso ejus exercitu ceciderunt ex parte ipsius plurimi, et sunt captivati multi, sed et paucis evadentibus occisus est et ipse. Nam, ut fertur, cum ipse in sola fuga suam extremam poneret salutem, undique constrictus et coangustatus devenit ad quemdam rivum, quem cum equus suus, cui insidebat (nescio quid praesagiendo), pertransire dubitaret, a molendinario invasus miserabiliter occubuit. Igitur requisitus dux et inter mortuos non inventus quarta vel, ut alii dicunt, sexta feria post Epiphaniam, quae tunc in dominica erat, ejus corpus ad terram congelatum juxta praefatum molendinum dicitur fuisse repertum. Quod putatur sine divino judicio non accidisse, ut scilicet qui multa inhumanitate erga occisos catenus fuerat usus, cadavera occisorum sepeliri non permittens, etiam et ipse sic digne promeruit asini sepulturam sortire, procul dubio eamdem mensuram consecutus, qua ipse aliis mensurare consuetus exstiterat. 1477.

Igitur cum haec ad terras ducis Caroli nuntiata essent, et ad hujus modi novitates cuncti essent attoniti, visum fuit Gandavensibus mittere ad regem Franciae honestam legationem, meditantibus satis fore utile, si filia ducis Burgundiae matrimonialiter filio regis jungeretur. Cui legationi cum interessent magnus cancellarius Brabantiae et dominus de *Humbercourt* ducis vicarius, ob longius colloquium cum rege communicato seorsum, per delatores accusati sunt apud Gandavenses, et crescente suspicione una cum multis aliis nobilibus gubernationem patriae habentibus comprehensi in captivitatem sunt detenti et deinde unus post alium coram furente populo decapitati. Dominus vero de *Humbercourt* et magnus cancellarius et quidam alius nobilior totius Flandriae grandaevus, feria quinta in coena Domini ante Pascha coram toto populo in publico producti fuerunt decapitati, quorum primus hora nona ante meridiem, scilicet praefatus nobilis vir senex, et post prandium hora quarta cancellarius. Et mox post hunc sedens in cathedra dominus Guido de *Humbercourt* miserabile spectaculum praebens exstitit decollatus. Praeterea fere in

Guido de Humbercourt et Wilhelmus Hugonetus capite plectuntur.

cunctis oppidis Brabantiae contra magistratus et rectores eorumdem similia judicia per furorem populi etiam satis insulte exercebantur [1].

Caroli decreta Leodii rescinduntur.

Porro in terra Leodiensi ubique nimirum plurimum erat tripudium et gaudium. Confiscata civium bona compellebantur suis proprietariis restitui, prohibebantur consuetae exactiones, gabella super rebus venalibus imposita deposita est, quatuor aut quinque gabellis exceptis, resumpta sunt arma, et loca opportuna instanter statim exstiterunt fortificata. Porro lex, statuta et ordinationes, quas dux Carolus in Leodio et in cunctis patriae oppidis exercendas praeceperat, facile sunt revocatae et annihilatae sive cassatae. Insuper et domino episcopo Leodiensi procurante tam per se quam suos legatos ad hoc idoneos, civitatis et totius patriae oppidorum privilegia per ducissam Mariam, ducis Burgundiae filiam, exstiterunt restituta. Dominus vero Leodiensis personaliter ad Gandavum, pulchra nobilique comitiva instructus, confiscari et arrestari fecit omnia bona, quae dominus de *Humbercourt* in Leodiensi patria sub titulo ducis, cujus vicarius erat, videbatur tenere confiscata. Sed et ea quae per eum ferebantur in thesauria sancti Servatii Trajectensis ecclesiae fuisse deposita, non sine maximo damno dominorum ejusdem ecclesiae, cuncta reposcendo sibi reddenda aestimavit. Item et bombardos tormentave atque alia quaecumque instrumenta bellica, ad dominum de *Humbercourt* pertinentia, dominus Leodiensis de Trajecto jussit perduci ad civitatem suam Leodiensem.

Humbercurtii bona confiscata.

Muri civitatis reparantur.

Porro Leodienses, jussu domini episcopi, diligenter coeperunt renovare sua fossata, reparare muros et dirutas in altum erigere portas : denique in singulis patriae oppidis hujuscemodi instanter viguit opus.

Officiatorum restitutio.

Igitur in mense Maii ubique locorum terrae Leodiensis constituebantur burgimagistri seu magistri civium, officiales, clientes, sculteti, scabini, et more consueto ministeria ordinabantur, peregrina lege abolita et patria lege denuo introinducta. Revertebantur nihilominus exules, de patria dudum relegati seu extra terras Leodienses et Brabantiae dudum proclamati ac proscripti. Inter quos dominus Raso de *Heers,* cum quibusdam aliis aliquid violenter circa patriam molire cupientibus, per reconciliationem reverti ad propria est admissus. Hic posteaquam reversus vix quatuor aut quinque mensibus supervixit.

Raso ab exilio redit.

[1] De Humbercurtii et Hugoneti supplicio disquisitio admodum seria habita fuit inter regiae academiae Bruxellensis socios, Vir. Cl. Dumortier, De Smet, St-Genois et Gachard. Cfr. *Bulletins de l'Académie,* tom. VI, part. 2, pag. 89, 199, 219 et 299.

Sciendum tamen quod antequam praefati proscripti exules in patriam pacifice sunt recepti, dominus Leodiensis, collectis undique de sua patria armigeris, opportune contra suos adversarios se viriliter objecit, cum multa pompa ministerialium explosis quae recenter confecerant novis vexillis, ordine satis apto. Dominus vero Wilhelmus, domino Leodiensi reconciliatus et jam major Leodiensis scultetus factus, cum multa comitiva dominum Leodiensem usque ad Huyum praecesserat. Sed licet hac vice nihil dignum relatu factum fuerit, non diu tamen post de licentia domini episcopi ad propria sunt redire permissi eorum plurimi. Quorum nonnulli ingrati effecti et gratiam sibi factam non reputantes, mox ut venerant, domino episcopo insidias tendentes, occultam quamdam traditionem conflare curaverunt, Quo dolo deprehenso, dominus Leodiensis quosdam per suam justitiam decapitari fecit, corporibus eorum membratim divisis et capitibus hinc inde in lanceis super portas erectis, quorum caput Aegidii villici de Montigu positum fuit super portam Sancti Leonardi. Caput vero cujusdam alterius ad oppidum Lossense deportatum. Sed et alii tres aut quatuor, quorum nomina hic inserere non est necesse, prout merebantur, capite truncati male perierunt, reliquis conspiratoribus et de traditione consciis clam fugientibus. Haec autem in principio mensis Octobris contigerunt, quo in Leodio nundinae, quod forum dicitur, celebrabantur. Item non diu post quidam clericus qui innocenter, prout fertur, ob litteras traditorias incaute receptas et exhibitas, ante palatium episcopi publice degradatus, justitiae seculari traditus, ante gradus ecclesiae Sancti Lamberti exstitit decollatus. Notandum vero quod Tilmannus *Waldorey* [1], post dominum Wilhelmum de *Arenberch*, domino Leodiensi, prout dictum est, reconciliatum et jam in majorem scultetum praefectum, subvillicus fuerat constitutus.

Wilhelmus de Marcha factus scultetus major.

Poena traditorum episcopi.

Clerici degradatio et decollatio.

Tilmannus Waldorey subvillicus.

Sed et quidam, nescio quo merito, *Ghiis Van Kan* miles effectus, parum nobilis, corporis persona exilis, sed animo magnus, patriae Lossensi senescallus est constitutus.

Ghiis de Kan Lossensis patriae senescallus.

Magistri civium tunc in Leodio primi, domicellus Wilhelmus de *Waroux* et Wilhelmus *d'Emptines* [2], more pridem consueto, exstiterunt deputati. Quibus praesidentibus et gubernantibus, domino Ludovico de Bourbon, Leodiensi episcopo, cujus occasione Leodium forte in extremam devenerat calamitatem, magnanimiter procurante, coepit reflorere, crescere, in aedificiis

Primi magistri civium post urbis excidium.

Reflorescit civitas.

[1] Alias *Waldoreal*.

[2] Alias *Damptins*.

augmentum sumere et amissam famam per totum mundum vilipensam recuperare, et per totum circuitum dominorum et principum gratiam et favorem ad se recolligere.

Porro dominus Leodiensis invitatus ad nuptias dominae Mariae, ducissae Brabantiae, neptis suae, apud quam infinitam meruit gratiam, misit obviam

Maximiliano imperatori nubit Maria Caroli filia.

domino Maximiliano sponso, Frederici imperatoris filio, per Trajectum, multis comitato principibus, ad Brabantiam tendenti, dominum Wilhelmum de *Arenberch,* praefatum Leodiensis civitatis scultetum, speciosa comitiva circumfultum, et inde praelibato Maximiliano satis gratum et acceptum. Qua de re dominus Leodiensis sibi et suae patriae non parvam conquisivit gloriam et honorem. Igitur ut multa brevibus concludam (cum satis multa sit materia de hoc tempore scribenda) quae audientium posset mulcere auditum, brevitatis tamen gratia, plurima transiliens, dico prophetico quodam modo sermone utendo, quod ex quo dux Carolus, prout dictum est, in bello occisus dormivit, et ex tunc cessaverit tributum et quieverit exactor, nova lux, prout in *Esther* habetur, nostro seculo exoriri visa est, non solum autem hoc in nostra Leodiensi patria sed et per totam Brabantiam et Flandriam, in quorum oppidis et municipiis novus dux Maximilianus cum sua dilecta sponsa Maria, per magnificam, ut decuit, intronisationem solemnissime exstitit susceptus et ad coelum usque elatus.

Rex Franciae Avennas suae subjicit potestati.

Rex Franciae interea nihilominus partes quasdam ducis Brabantiae in confinibus Flandriae bello valde vexabat, in tantum quod usque ad partes Hannoniae ejus armatum brachium pervenire facile fuit, ubi etiam per obsidionem oppidum de *Aven* lacessitum ad deditionem compulit. Denique dux

Adolphus Gelriae princeps custodia liberatus exercitui praeficitur.

Gelriae post longam captivitatem suam, per ducissam Mariam, suam neptem, libertati datus, et inde in capitaneum sublimatus, dum ante civitatem Tornacensem contra Francos viriliter se opponeret, et strenue cum inimicis bellaret, occisus in bello facile occubuit. Item oppidum Sancti Audomari et nonnulla alia fortia loca per exercitum regis exstiterunt aut violenter irrupta aut miserabiliter concremata. In illis autem locis de quibus multa ferebantur, quia minime ibidem fui, neque eorum gesta plene cognovi, plura scribere supersedeo, qui licet aliquantisper memoria fuerim tenax, ob immaturam tamen aetatem incurius inadvertenter, quae dicebantur aut potius quae gere-

Auctor hujus chronici monasterium Sancti Laurentii ingreditur.

bantur, aure tanquam surda perstransibam. Verum hoc anno praetacto veniens ex scholis citius volito (cum octodecim annorum et fere septem mensium aetatis

meae agerem tempus], apud coenobium Sancti Laurentii prope Leodium feliciter elegi locum meae habitationis, persuasus ab amicis, Dei providentia mediante, mox religiosus Dei servulus futurus.

Anno LXXVIII, in fine Decembris, Leodienses necessario habebant facere vigilias et super suis custodiis esse, propter quosdam factiosos et seditionem aut traditionem meditantes. Nam propter decapitationem cujusdam Walteri *Chabotteal* [1], quem dux Austriae captivum domino Leodiensi decapitandum exhibere curaverat, tum etiam occasione eorum qui nuper, prout dictum est, sententiam decollationis meruerant, Petrus *Rochat*, vir strenuus, latrociniis assuetus, Ludovicus de *Seal*, cum nonnullis aliis denuo a Leodio fugitivis, per certa documenta deprehensi sunt dixisse atque statuisse circa festum Epiphaniae apud Leodium se regem suum facturos. Quare habito maturo consilio, dominus Leodiensis magistrum Hubertum suffraganeum cum nonnullis aliis nobilibus viris digna legatione fungentibus misit ad regem Franciae, perquirendi gratia quid scilicet de invadentibus suas terras facere deberet, instanter petendo quomodo aut qualiter neutri parti adhaerens inter ipsum regem et ducatum Brabantiae neutralis esse posset. Interea dominus Leodiensis una cum domino Wilhelmo de *Arenberch* (qua nescio de causa) nobiliter instructus ad partes Gelriae properavit. Non diu vero post dominus Leodiensis, in patriam reversus, in *Curinghem* infirmari dicebatur. Qui tertia feria post octavas Paschae, clam curriculo vectus, ad Leodium est reductus. Et cum in indicta diaeta patriae satis fuisset ventilatum, cui videlicet parti Leodienses deberent adhaerere, dominus Leodiensis aiebat neutri parti se adhaesurum, se quoque velle neutralem fore. Dominus vero Wilhelmus dicebat velle se cum domino Leodiensi vivere et mori. Sed mentita est iniquitas sibi, nam cum ad castrum de *Bouillon* accessisset, dicebatur secretum colloquium cum Francis habuisse. Vulgo etenim dicitur a reconciliato inimico fore abstinendum, et quia occasionem quaerit, qui recedere vult ab amico, Dominus Wilhelmus, non diu post reprehensus a domino Leodiensi dicenti sibi quod non pertineret ad eum incedere per plateas seu etiam per ecclesiam Sancti Lamberti tot spatariis et lanceariis stipatum, praesertim cum praeberet nonnullis per hanc armaturam susurrationis occasionem; qua reprehensione dominus Wilhelmus facile laesus recessit a domino Leodiensi indignatus et commotus, castrum de Longuei petens. Interfuerat attamen non

[Margin notes: 1478. — Walterus Chabotteal plectitur capite. — It. Petrus Rocha et Ludovicus de Seal. — Huberti suffraganei legatio. — Episcopus in Gelriam proficiscitur. — Wilhelmi de Marcha defectio.]

[1] Alias *Chabottea*.

diu ante idem Wilhelmus spectaculo, quod in foro Leodiensi in medio mensis Junii celebratum fuerat, ob videlicet revectionem Peronis, ex Brugensi oppido ad Leodium reducti et cum maximo gaudio super fontes in fori medio recollocati. Dominus vero Leodiensis circa festum nativitatis sancti Johannis Baptistae jussit per vicos et plateas civitatis Leodiensis construi magnos rogos et ignes, ducique choreas, ob videlicet nativitatem primogeniti domini Maximiliani ducissaeque Mariae, qui Philippus in baptismate est vocitatus.

Peronis revectio.

Maximilianus Gelriam intrat.

Porro Maximilianus perrexit per Buscum-ducis ad partes Gelriae, de ducatu Gelrensi dispositurus. Nam Fredericus de *Witthem,* associatis sibi Luxemburgensibus et de Falcomonte, habens etiam in comitatu suo Ghiis *Van Kan* cum multis ex patria Leodiensi, quos tamen dominus Leodiensis ad patriam suam studuit revocare, obtinuit novam villam. Dominus autem de *Egmondt* per ingenium et calliditatem oppidum de *Arnem* conquisivit. Dux vero Clyvensis per diversa bella, Gelrensibus principe destitutis, multa molestia affecit. Interea Maximilianus in quodcumque oppidorum Gelrensis patriae pervenit, honorifice suscipitur, et tanquam tutor et advocatus Gelrensis patriae reputatus honoratur. Ad ejus nihilominus ordinationem dux de *Brunswick* ad Novimagium vocatur, prope enim erat inter filium ejusdem ducis praetacti et filiam ducis Gelriae nuper in bello occisi sponsalia fieri, nisi aetas obfuisset sponsi, qui, ut fertur, Gelrensem patriam custodire deberet, donec haeredes ducis Gelriae ad legitimam pervenissent aetatem.

1479. Igitur anno sequente, qui septuagesimus erat nonus, dominus Maximilianus, ex ducatu Gelrensi vocatus propter dissidentes Gandavenses, gratia pacificandi eos ad patriam Brabantiae quantocius accessit. Dux vero de *Brunswick* facile infirmatus ad proprium solum opportune se fecit referri, et nihil dignum relatu factum dicebatur, nisi quod dux Brunswikensis in conflictu contra Ghelrenses non diu antea habito in brachio fuerit vulneratus, ubi et magnus scultetus Busciducensis non sine suorum detrimento in bello fuit occisus. Hoc denique tempore rex Franciae obtinuit Burgundiam, fugato inde domino *DArgue*, sed e contra Maximilianus maximam contra Francos apud civitatem Morinensem victoriam est consecutus, ac deinde in regnum Franciae coepit facere praedas, Francorum terras invadendo. Hoc denique tempore facta fuit executio in valvis ecclesiae majoris apud Leodium contra praelatos ordinis divi Benedicti, pro eo videlicet quia vocati ad generale capitulum non comparuerunt.

Maximiliani reditus in Brabantiam.

Ipsius victoria apud morinensem civitatem.

1480.

Wilhelmus de Marcha episcopi hostis.

Anno siquidem millesimo quadringentesimo octogesimo, dominus Wilhelmus, qui jam de infirmitate qua superiori anno usque ad mortem infirmatus plene convaluerat, coepit se occulte et manifeste contra dominum Leodiensem erigere, eidem quoque insidias tendere, adjunctis sibi his qui extra patriam fuerant proclamati. Quorum suffultus societate, ut ferebatur, secutus est dominum Leodiensem ad Tungrim et de Tungri ad Sanctum Trudonem tendentem, non minus quam octogintis equitibus comitatus. Quae res non minimum generabat domino Leodiensi malae suspicionis materiam, qui deinceps ejus studebat devitare societatem. Porro dominus Leodiensis, considerans quod in dies proclamati et patriae suae inimici sese domino Wilhelmo adjungerent, praecavens in futurum, declaravit eum suum esse inimicum. Itaque dominus Leodiensis volens eum proclamare, civibus in hac parte domino non consentientibus, tandem posita est una diaeta ipsius Wilhelmi occasione ad monasterium Vallis-Sancti-Lamberti. Quo cum venisset dictus dominus Wilhelmus, accepit dilationem decem dierum ad respondendum. In dicta vero diaeta patriae dominus Leodiensis petiit sibi concedi viros pro custodia sui corporis : timebat enim valde suorum inimicorum insidias. Denique dominus Wilhelmus dum de castro Huyensi intercipiendo esset frustratus, excursiones contra Bovinienses magnanimiter exercuit, multos dolo per insidias circumseptos interficiendo. Deinde tendebat versus Durbutum, ubi per combustionem et hominum captivitatem et caedem plurima facta sunt damna.

Maximilianus Namurci suscipitur.

Wilh. de Marka in exilium relegatur.

Maximilianus autem una cum sua conjuge Maria in oppidum Namurcense solemniter fuit susceptus, cujus gens armorum, quia multa erat, valde per patriam Namurcensem devorabant pauperes. Postea in principio Decembris dominus Leodiensis in praesentia sui cum tubis et buccinis proclamari atque proscribi bannirique fecit dominum Wilhelmum, suas terras ei interdicendo. In cujus locum successit Tilmannus *Waldorey*, major scultetus constitutus. Apud Huyum denudata fuit quaedam traditoria conspiratio per fautores domini Wilhelmi, ob quam rem quidam captus decollatus est et in quatuor partes divisus. Quapropter fugerunt de Huyo, quos nominare praetermitto, hujus praetactae conspirationis auctores. Dominus vero Leodiensis petiit ab Huyensibus tria millia sexcentos florenorum, voluitque quod litteras allegationum contra proscriptos sigillare deberent, et fugitivi proclamarentur. Ad quod oppidani Huyenses perplexi dilationem respondendi petere curaverunt.

1481.

Sequenti vero anno qui erat octogesimus primus duo legati, prout fereba-

Pax inter regem Franciae et ducem Maximilianum.

In mense Octobri, abbas Stabulensis, nuper postulatus, primam suam celebravit missam in monasterio suo Stabulensi, quo et consecratus est in abbatem in praesentia domini Leodiensis, et subito facta reformatione, quod praedecessor ipsius efficere non potuit, laudem et honorem plurimum sibi conquisivit. Inde vero dominus episcopus ad Leodium reversus obtinuit a civibus Leodiensibus, quod infra spatium quinque annorum daretur ei xxv^{c} florenorum aureorum summa, pro laboribus et expensis factis in negotiis regis Franciae, ducum Brabantiae et Gelriae.

Hoc denique anno, archidux Philippus a rege Francorum Parisiis honorifice fuit susceptus et amicitia confoederatus. Eodem nihilominus anno latrunculi ex castello de Montfourt patriae Gelrensis exeuntes improvise irruerunt in oppidum de Weert, ipsum devastando et spoliando. Philippus dux apud Parisios suscipitur. Weert capitur.

Anno MDII, circa veris initium, dominus Leodiensis, accepta licentia, ad regem Franciae perrexit, in cujus subsidium concessa fuit ei per patriam ex gratia summa decem millium florenorum communium. Notandum quod eodem anno, feria quarta post festum Palmarum, vigesimo tertio Martii, venit Leodium commissarius reverendissimi domini Raymundi cardinalis, sanctissimi domini papae et sanctae apostolicae sedis legati, qui suam legationem de indulgentiarum commissione publicandarum, prout in Brabantia anno superiori declaravit. In die sancti Servatii maxima fuit nivis abundantia, et in die Penthecostes, decimo septimo Maii gelavit, quod gelu interpolatis vicibus duravit usque ad duodecimam Junii. 1502. Episcopus in Galliam proficiscitur.

Hoc eodem anno, post reditum Philippi archiducis ex Hispania, qui non sine maxima jactura suorum nobilium illuc perrexerat, obiit et maximus consiliarius ipsius praetacti archiducis, episcopus videlicet Bysuntinus, Leodiensis ecclesiae praepositus, in cujus locum postulatus (electus) est filius comitis de Horn. Episcopi Bysuntini mors.

Obiit nihilominus etiam episcopus Cameracensis, filius domini de Bergis. Item, in monasterio Vallis-Sancti-Lamberti dominus Johannes de Hersey Episcopus Cameracensis moritur. Johannes de Hersey.

[1] Haec intelligenda sunt de *Flagellantium* secta, quae pridem in aliis Belgii locis innotuerat, magnamque tandem induxit consuetudinum depravationem. Cfr. de Gerlache, *Notice sur un manuscrit de Li Muisis*, p. 20 (*Nouv. mém. de l'académie*, tom. X), et J. J. De Smet, *Corpus Chron. Flandriae*, tom. II, p. 346 et seqq.

abbas, vir bonus et simplex, post resignationem dignitatis suae factam, debilitate et senio confractus, negligenter solus in cubiculo derelictus, dormitando ad ignem sedens cecidit, unde et igne combustus vitam finivit ob bonae custodiae defectum scilicet.

1503.

Igitur successu temporis, anno videlicet millesimo quingentesimo tertio, rex Romanorum, comitatus quatuor electoribus imperii, honorifice in Mechliniam est susceptus. Eodem vero tempore, in mense Martio, dominus Leodiensis jam tertio a rege Franciae vocatus cum nobili apparatu in Franciam perrexit, ducentis equitibus eum in Franciam deducentibus, cui et rex adhuc in occursum misit ducentos equos regnum Franciae ingredienti. Deinde post multum honorem domino episcopo a rege Francorum exhibitum, ad Leodium est reversus vigesimo primo Maii, proculdubio ultra modum a civibus honorabiliter susceptus. Diaeta vero patriae, quae tunc indicta fuerat, dilata fuit usque ad secundam Septembris. Interea in foro Leodiensi per quosdam insolentes facta erat seditio, quae in insula coepit habere initium. Quare aliqui capti sententiam decollationis incurrere meruerunt. Cum autem processio prima, feria sexta mensis Julii, fieri deberet consueto more ad sanctum Leonardum, tanta inundatio pluviae subito est exorta, quod procedentibus in ecclesiam Sancti Bartholomaei intrare necesse fuit, ubi et magister Symon de Juliaco, doctor theologiae, canonicus majoris ecclesiae, praepositus Sancti Dionysii, ad celebrandam missam fuit subrogatus.

In Galliam episcopi profectio. — *Seditio Leodii.* — *Simon de Juliaco.*

Alexandri papae mors, cui succedit Pius III, qui etiam paulo post moritur, cui subrogatur Julius II.

In Augusto, circa festum Sancti Agapiti, papa Alexander defunctus, loco cujus electus est vir bonus et pacificus cardinalis Senensis Pius III vocitatus, qui non diu supervixit, nam obiit die sexta post sui coronationem. Cui successit dominus Julianus, cardinalis Sancti Petri ad vincula, Julius secundus per syncopam appellatus.

Johannes Dary abbas S. Aegidii moritur. — *Johannes Virgius.*

Item in monte publico apud Leodium, in monasterio Sancti Aegidii ordinis Sancti Augustini, decimo nono octobris, obiit Johannes Dary, qui sua tenacitate et avaritia spatio quadraginta trium annorum, quibus non satis utiliter praefuit, suum conventum tam in spiritualibus quam in temporalibus admodum destitutum dereliquit atque desolatum. Huic successit ejus coadjutor dominus Johannes Virgius, desolato monasterio satis necessarius, qui et ipse in festo Sanctae Catherinae apud monasterium Sancti Jacobi Leodiensis in abbatem fuit consecratus. Deinde dominus Leodiensis, postquam in Trajecto archiduci Philippo et regi Castiliae honorabiliter ex Hispania venienti occur-

rerat, rediens Leodium proposuit in diaeta patriae tunc temporis indicta quamdam mulctam debere imponi super diversis rebus vendibilibus pro exoneratione debitorum civitatis, quatenus civitas quae nimium debitis gravabatur, citius liberari posset; sed nihil exstitit concessum.

Anno millesimo quingentesimo quarto, iterum indicta diaeta patriae, quarta 1504.
videlicet Januarii, octo fuerunt ordinati viri qui super gabellis de omni re vendibili praeesse deberent, rationem reddituri, quatenus civitas quibus graviter praemebatur debitis citius liberaretur, sed non magnus fructus inde est secutus. Anno vero praetacto, tussis quasi universaliter tam senes quam juvenes intolerabiliter vexabat. Hoc itidem anno, quaedam traditio per seditiosos quosdam perpetranda Deo disponente in lucem venit, ob quam rem quidam eorum comprehensi decollati sunt, quorum capita super portam Avoroti in insula Leodiensi lanceis affixa in altum sublimata sunt. Decima quarta Maii, in rogationibus, per tempestatem pluviae et grandinis vineae pro magna parte laesae et destructae sunt.

Gabellarum impositio.

Hoc tempore, dominus Henricus de Graus, prior Carthusiensis, obiit. Item et prior de Cathena dominus Petrus de Picardia defunctus est. Caeterum in monasterio Sancti Laurentii Leodiensis, in crastino apostolorum Petri et Pauli, quo dominica erat dies, venerandus pater dominus Bartholomaeus abbas diem clausit extremum. Cui statim capellanus ejus dominus Henricus successit per canonicam electionem. Verum in profesto apostoli Bartholomaei, de nocte circiter horam undecimam, terrae motus factus spatio satis brevi, unde ex hujusmodi novitate multi plurimum exstiterunt perplexi atque conterriti.

Henricus de Graus et Petrus de Picardia defuncti.

Mors Bartholomaei abbatis S. Laurentii; huic successit Henricus Orey.

Terrae motus.

Eodem anno, in mense Decembri, dominus Leodiensis redemit a domicello Johanne de Marcha dudum obligatum castellum de Franchimont.

Franchimont castrum redimitur.

Exinde anno MDV, dominus Leodiensis, in festo Purificationis, propter infir- 1505.
mitatem ex insperato ei advenientem, processioni more consueto interesse non potuit. Circa festum Paschae, cum dominus Leodiensis plus solito se ad devotionem disposuisset atque per se ipsum divina officia praeter solitum peragere ordinasset et ea de causa ad Leodium properaret, ecce subito contra eum ad valvas ecclesiae mandatum executum est, quapropter omnibus dimissis pedem retorsit, et ad Trajectum reversus est. Aprilis octava, dominus Erardus, protonotarius, filius domini Roberti de Marcha senioris, ad Leodium venit, qui et in crastino in capitulo Sancti-Lamberti praesentatus ad residentiam est admissus. Igitur defuncto superiori anno domino suffraganeo Liberto, suc-

Residentia Erardi de Marcha.

Johannes de Montibus suffraganeus.

cessit in officium dominus Johannes de Montibus, doctor et professor sacrae paginae, qui in profesto Ascensionis dominicae primum ad vesperas pontificis exercuit officium[1].

Notandum quod ultima Junii, hora quarta de mane, brevissimus factus est denuo terrae motus, unius momenti videlicet. Et in profesto Mariae Magdalenae, maxima tempestate exorta, per pluviam et aquarum abundantiam facto diluvio, maxima damna per Hasbaniam sunt secuta, ita quod in Trajecto portae et muri a parte Jecorae enormiter sunt eversae atque dejecti.

Arnhem capitur.

Postea rex Romanorum in Gelria oppidum de Arnem obtinuit. Nihilominus tamen de pace diversi tractatus fiebant. Unde non diu post regi Romanorum per Trajectum ad Brabantiam tendenti dominus Leodiensis in occursum procedens, spopondit neutralitatem se servaturum inter reges Franciae et Castiliae, etc. Cum igitur in Leodio dominus episcopus, spe sanitatis recuperandae, hospitium suum apud collegium Sancti-Martini Leodiensis ob aëris temperiem sibi delegisset, ecce subito de nocte, ob malam ignis custodiam, in palatio episcopi una cum pretiosissimis equis stabulum equorum sumptuosissimum combustum est. Unde in die sanctae Catherinae specialis missa pro pace et incolumitate domini episcopi celebrata fuit. Et deinde in octavis conceptionis beatae Virginis Mariae in diaeta patriae tunc indicta, propter quaedam proposita, quae tamen minime exstiterunt admissa, dominus Leodiensis indignatus,

Equi cum stabulo palatii comburuntur.

Episcopus ad Trajectum proficiscitur.

[1] Ex hoc et aliis chronici nostri locis facile emendari et suppleri poterit Simonis Ernst series chronologica et historica suffraganeorum Leodiensium, anno 1806 typis evulgata.

Laudatus scriptor p. 133 loquitur de Joanne episcopo Cyrenensi, quem vocat *Joannem Bourgeois*, et p. 134 mentionem facit de Joanne episcopo Cyrenensi, quem vocat *Joannem Du Mont*: sed ex una eademque persona duos exsculpsisse episcopos suffraganeos equidem arbitror.

Defuncto Liberto, episcopo Berytensi, anno 1504, successit *Joannes Bourgeois de Montibus*, vulgo *Van Bergen* seu *Dumont*, qui in profesto Ascensionis dominicae, quod anno 1505 erat dies 30 Aprilis, primum pontificalia exercuit, quique die 9 Novembris ejusdem anni Aquisgrani consecravit ecclesiam Canonicorum regularium congregationis Windeshemiensis. Fuerat Lovanii promotus in Artibus e paedagogio Falconis in prima linea septimus, deinde in eodem paedagogio philosophiae professor, et anno 1474, die 28 Maii, ad concilium universitatis admissus. Post adeptam lauream doctoralem S. Theologiae die 13 Februarii 1479, nominatus S. Theologiae professor ordinarius, et in ecclesia D. Petri primae fundationis canonicus. Fuit academiae rector electus ultima Augusti 1485, ultima Augusti 1490, et ultima Februarii 1503. A mense Maio 1485 canonicatum obtinuerat in ecclesia cathedrali Leodiensi. Postquam episcopalem dignitatem susceperat, canonicatum Lovaniensem dimisit, successorem nactus anno 1506 Joannem Briart Athensem, S. Theologiae doctorem.

cum tamen infirmus esset, quorumdam usus consilio, a Leodio recessit et cum maxima difficultate se ad Trajectum transferri permisit. Unde decima sexta Decembris, cum ipse in extremis laborare coepisset, dominus Jacobus de Croy, cum pulchra comitiva ad Leodium veniens, de successione in episcopatum praesumens spe sua frustratus est. Nam defuncto, decimo octavo Decembris, domino episcopo Johanne de Horn[1], Esau, vir ferus et versutus, reprobatus est benedictione quam non meruit. Amissam etiam suam primogenituram, Jacob supplantante, amisit.

Mors Johannis de Horn episcopi.

Constituto igitur die electionis novi pastoris Leodiensis ecclesiae, factum est quod per favorem amicorum domini protonotarii, videlicet Erardi de Marcha, Deo sic, ut pie creditur, disponente, vir bonus et homo pacis, penultima Decembris[2], dictus dominus Erardus, via Sancti Spiritus, in octogesimum quartum Tungrensem et quinquagesimum Leodiensem episcopum postularetur. Ad quam novitatem dominus Jacobus, protonotarius, ad cujus favorem comes de Sommay ex parte regis Castiliae interpellaturus apud Leodium venerat, spe sua frustratus a Leodio confusus recessit.

Erardus de Marcha episcopus Leodiensis.

1506.

Porro rex Castiliae Philippus, qui ob electionem novi Leodiensis episcopi suam expeditionem, quam jam denuo in Hispaniam profecturus disposuerat, spatio octo dierum suspendere curavit. Qui ut vidit suas preces tempore electionis praetactae nil profecisse, non sine multorum admiratione, maris periculis tempore quo hyemandum erat, uxore sua ipsum ad hoc exhortante, temere se exposuit. Qui statim suae temeritatis improvidentiam infeliciter expertus est, nam exorta mox in mari tempestate, non sine maxima jactura suorum nobilium thesaurique totius Brabantiae maximi, vix ipse rex maris pericula evasit, et tandem prout potuit jactatus procellis ad regnum anglicanum, ubi nequaquam esse voluit, invitus pervenit. A rege itaque Angliae detentus, facile per cambium alterius, qui in odio regis Angliae multo tempore erat, rex Philippus est redemptus et libere abire est permissus. Itaque pro redemptione regis Philippi aemulus ille qui de *alba rosa* dicebatur, cui regnum

Secunda profectio Philippi regis in Hispaniam.

Tempestate saevissima oborta, rex Philippus in Angliam ejicitur.

[1] Monet Foullonius Hornaeum obiisse die 19 Decembris, quae erat feria sexta quatuor temporum. Errant sane qui Hornaeum mortuum dicunt die 17 ejusdem mensis Decembris, vel mense Januario, ut nonnullis placuit.

[2] Mortuo Hornaeo die 19 Decembris 1505, non diu, ut aliqui putant, vacavit sedes episcopalis; nam non multis ab ejus obitu diebus, die scilicet 30 ejusdem mensis, Erardus Markanus episcopus postulatus est, ac deinde ad decimum sextum kalendas Februarias anni 1506 electus, conspirantibus canonicorum omnium votis.

Angliae creditur competere, apud Namurcense oppidum detentus, in potestatem Angliae regis est facile datus.

Mors Philippi regis.

Rex autem Philippus per suam uxorem, ut putatur, dementatus infeliciter tandem ad suum regnum perveniens, eodem anno, tempore videlicet autumnali, cunctis stupentibus, cum nisi viginti septem esset annorum, vitam amisit et regnum.

Erardus episcopus in Galliam proficiscitur.

Interea dominus Everardus, postulatus, statim postquam suis expensis exequias sui praedecessoris solemniter apud cathedralem ecclesiam fecisset celebrari, in Franciam profectus, per recommandationem regis Franciae obtinuit facile a summo pontifice domino Julio suae electionis confirmationem. Igitur post Pascha, Leodium festinans, antequam civitatem intraret, apud monasterium sancti Laurentii hospitatus, ipso die sancti Servatii, quod tunc feria quinta erat, in ipsius praetacti monasterii oratorio, videlicet sanctorum Andreae et Jacobi, ad omnes sacros ordines se ipsum sollicite fecit consecrari. Quo facto, ad oppidum Tungrense, quo olim erat episcopalis sedes, rationabiliter pergens, in conventu regularium canonicorum, die......., se in episcopum benedicendum studuit promoveri[1]. Qui sic promotus et dignissime consecratus, in profesto sancti Spiritus, Penthecostes videlicet, in suam cathedralem ecclesiam, maxima pompa praecedente, prout moris est, honorifice est susceptus. Porro in crastino, convocatis cunctis ecclesiis totius Leodiensis civitatis, ad summum altare sancti Lamberti dominus Erardus, novus Leodiensis episcopus, primam suam missam devotissime studuit celebrare atque cantare[2]. Processione igitur post missam et omnibus rite completis, ad magnificum decenter paratum itum est prandium. Deinde intronisatus, prout moris est, per singula sua tam Leodiensis quam Lossensis patriarum oppida studiosissime coepit insistere reparandis locis et castris dudum per negligentiam praedecessorum

Hospitium episcopi apud S. Laurentium, ubi sacris ordinibus initiatur.

Consecratio episcopi.

Sedulitas episcopi circa divinum officium.

[1] Post canonicam electionem, Erardus, ut sacerdotio se praepararet, secessit ad monasterium S. Laurentii, inde ad Carthusiam Montis-Dei (*Mont-Dieu*) haud longe a Sedanio distantem. Inter viae comites, viros probos et sapientes, quorum consilio uteretur ad excolendam piis cogitationibus mentem, disponendaque in futurum studia, secum habuit suffraganeum Joannem de Montibus, de quo supra p. 120, not. 1, sermo est. Peracto quadragesimali tempore in Carthusia, ad monasterium S. Laurentii rediit, ibique sacerdotio insignitus est. Nec multis post diebus Tungros petiit, et die 2 Maii 1506 in ecclesia Canonicorum Augustinianorum episcopalem consecrationem suscepit.

[2] Die 30 Maii 1506, quae tunc incidebat in vigiliam Pentecostes, e Tungris rediens, ipso sacro Pentecostes die primitias Leodii obtulit.

suorum collapsis. Nihilominus circa cultum divinum sedulus minister existens, nam per ipsum, quod praedecessores per vicarium faciebant, hilariter saepissime, solemniter in cathedrali, sive etiam alibi convenienter, celebravit missarum officium atque sacros dignabatur conferre ordines, consecrare ecclesias, benedictionis munus exhibere praelatis, et quod silendum non est, nemini onerosus omnia, prout apostolicum virum decet, se et sua petentibus etiam saepe ultroneus et non requisitus gratis impendens, verum sua socialitate qua valde vigebat cunctis factus familiaris, communiter omnes cum ipso causam habentes in sui amorem favorabiliter traxit. Denique facundus valde pro se oratore non indigens, memoria praecipuus, tribus idiomatibus apprime instructus, blandus et amicabilis, communis, nequaquam singularitate notatus, statura procerus, vultu jucundus, dignum ac metuendum se principem exhibens, nullum aculeum exerens, plus verborum auctoritate quam quidam alii principes minus discreti gladii terrore efficiens. Et quidem quia nemo per omnia perfectus plus justo indulgebat malignis, facile nimis justitiae parcens, malevolis digne morte plectendis parcebat. Omnem pompam circa curiam suam amputabat, simplicem statum tenendo, parcus in victu, sufficiens tamen sibi et suis. Avarus suo modo, pecuniarum cupidus, quas tamen non tam sibi quam ad usum aliorum utiliter coacervabat; nam piis locis et religiosis libentissime subvenire manu adjutrici consuevit, ad ecclesias reparandas seu nova aedificia erigenda, sollicite excitare curabat, et petentibus assistentiam sibi fieri non facile aliquid denegabat. Virtutes episcopi.

Preterea castrum Huyensis oppidi jam totum ruinosum magnopere mox erigere curavit, et eo decore, prout hactenus cernitur, magnifice vestire properavit. Similiter castrum de Franchimont, de Stockhem, atque Dionantense castellum ad incomparabilem, non tam decorem quam necessariam fortificationem, per praetactum dominum Erardum, Leodiensem episcopum, utiliter pervenerunt. Hoc nihilominus anno, Novembris xvii[a], defuncto domino Servatio, abbate sancti Jacobi Leodiensis, electum recenter dominum Johannem, in successorem defuncti favorabiliter mox confirmavit, et in contradictores praetactae electionis per censuras aliasque poenas acriter processit. Castri Huyensis reparatio. Castra Franchimont, Stockhem et Dionantense reparantur.

Sequenti vero anno, qui millesimus quingentesimus erat et septimus, Johannes praetactus apostolica confirmatione, consecutus per praelibatum dominum Erardum episcopum, in dedicatione ecclesiae fratrum de Jherusalem, 1507. Confirmatio Johannis de Curvo Mosa, abbatis S. Jacobi.

quam ipse per semetipsum dedicare dignatus est, honorabiliter est in abbatem ecclesiae sancti Jacobi consecratus.

Porro eodem tempore, dominus episcopus curavit sollicite reformare coenobium sancti Huberti in Andagio Ardennae, ad quod negotium perficiendum missis nonnullis officialibus suis et praelatis una cum domino Henrico, abbate sancti Laurentii, non satis prosperum sortitus est effectum. Igitur circa Pascha, dominus episcopus monasterium sancti Laurentii frequentans, obtinuit ab praetacto abbate, quod sibi ad modicum spatium frater Johannes de Los, monachus suus, picturis qualitercumque assuetus, concedi deberet, quatenus in Huyensi castro capella sanctorum Cosmae et Damiani, per ipsum depingi posset picturisque decorari. Quod et factum est, licet ad hoc plurimum fratre Johanne praedicto renitente.

Johannes de Los pictor.

Erardus episcopatum Carnotensem obtinet.

Interea dominus episcopus, circa festum Johannis Baptistae, in Franciam perrexit, accepturus possessionem episcopatus Carnotensis, quem ei rex Franciae a summo pontifice dandum procuraverat. Domino igitur episcopo toto residuo hujus anni in Francia moram faciente, ecce frater ipsius, dominus videlicet Robertus de Esden, capitaneus magnus et plurimum formidatus, circa finem Augusti, ex parte regis Franciae exercitum, prout ferebatur, quinque millium tam equestrium quam equitum duxit per patriam Leodiensem in auxilium ducis Gelriae qui a Brabantinis plurimum vexabatur. Quare contigit conglobata multitudine armatorum, circa finem Septembris, ipsum ducem per rapinas et incendia partes Brabantiae invadere, et combusto oppido de Halen, cum nonnullis aliis villagiis, ipso die sancti Michaëlis, resistentibus Thenensibus, potenter ipsum oppidum Thenense invasum, compluribus ibidem occisis, victoriose obtinuit, et fere decem aut duodecim diebus ibidem perseverando permansit. In cujus memoriam, ego qui tunc temporis in Huyensi castro exulabam, pro data in posterum invenienda hunc subjectum versiculum inter pingendum dictare curabam :

Robertus Esdensis Geldro subvenit.

Halen comburitur, et Thenae capiuntur.

aCCIpIt ILLa thenIs geLrensIs gens MIChaeLIs.-

Dux igitur Gelriae, multa praeda ditatus, ad patriam suam inoffensus recessit; sed et, duce domino Roberto, Francorum exercitus in Franciam perrexit. Siquidem, prout sapiens dicit : « Ante ruinam exaltabitur cor, » ne in infinitum Franci vane de victoria habita gloriarentur, necesse erat eos aliquatenus hu-

miliari, pout subsequitur. Sane ii, qui Gelrensem ducem in suam patriam ex Brabantiae victoria inoffense reduxerant, in suam patriam, Franciae videlicet, cupientes redire, inimicorum suorum insidias non praecaventes ceciderunt incaute in laqueum. Nam hospitati in Andagio, ubi coenobium sancti Huberti celebre habetur, media nocte ex improviso per adversarios in sylvis latitantes exstiterunt circumsepti, nimirum tanquam securi in lectulis sese collocantes. Quare paucis interfectis plures, prout poterant, eques adventantes, pedes gaudenter evadere curaverunt, non absque confusione totius regni Franciae. Igitur spoliis ditati Francorum, Burgundiones non parvam materiam sibi sumpserunt contra suos adversarios insultandi, cantilenas et carmina in signum victoriae conficientes.

Porro apud Leodium, hoc eodem anno, ex ordinatione domini episcopi Erardi extra portam Sancti Martini posita sunt fundamenta turris magnae pro defensatione suburbii vici Sancti-Laurentii. Erectio turris apud S. Martinum.

Anno igitur sequenti MDVIII, dominus Erardus, Leodiensis episcopus, 1508.
accepta nihilominus possessione Carnotensis episcopatus, post Pascha ex Francia ad Leodium reversus, nonnulla pacem concernentia coepit salubriter ordinare, et circa locorum fortium oppidorumque et castellorum reparationes diligenter insistere, seseque totaliter pro patriae defensione animose satis exhibere. Et ubicumque aliquam discordiam formidabat, in congregationibus tam religiosorum quam secularium, oportune studebat accurrere. Igitur tunc temporis hospitatus ad aliquot temporis spatium apud monasterium Belli-Reditus, in Leodio contigit dominum Henricum de Orey, abbatem Sancti Laurentii, in profesto sancti Jacobi apostoli, vigesimo quinto videlicet mensis Julii, ex insperato diem claudere extremum, cujus obitu audito, dominus episcopus amare flevisse dicebatur, nimirum cum annorum vinculo eidem domino Henrico rationabiliter adstrictus videbatur. In crastino vero idem praefatus dominus episcopus, futuri abbatis electioni interesse volens, cunctis ad electionem adventantibus exclusis, solus cum paucis praelatis intromissus una cum nonnullis aliis senioribus religiosis fratribus compromissarius deputatus Johannem de Los in abbatem, Deo providente, feliciter eligere curavit. Qua electione de mane in ipso festo sancti Jacobi apud Sanctum Laurentium celebrata, dominus episcopus ad civitatem maturius accessit, suasurus de magistris civium necessariis assumendis.

Rediit episcopus Leodium.

Mors Henrici Orey.

Johannes de Los hujus chronici auctor fit abbas S. Laurentii.

Praeterea ordinati tunc exstiterunt magister Bartholomaeus et Gerardus

Cardinalis sanctae Crucis.

Veron. Sub quorum ordinationis tempore, contigit dominum cardinalem Sanctae Crucis ex Brabantia Leodium adventare, qui in profesto sanctorum apostolorum Symonis et Judae honorifice susceptus, post triduanam pernoctionem in Leodio factam, solemniter deductus ad Aquisgrani ac deinde per Alemanniam ad Romam processit. Cujus legatio cum apud dominum apostolicum, Julium videlicet secundum, non parum fuisset suspecta, et hic praefatus legatus aliquid nocui sedi apostolicae forsitan contrarium moliretur, scismatis facile seminarium contingere coepit.

Foedus inter Julium pontificem, Maximilianum et Ludovicum regem Galliae.

Hoc itidem tempore, apud Tornacensem civitatem per industriam Rotomagensis archiepiscopi, dominus cardinalis Bernardinus legatus a latere auctoritate summi pontificis opus optimum et toti mundo necessarium confecit. Nam confoederatio, liga sive concordia facta est ibidem inter dominum papam Julium, dominum Maximilianum imperatorem et dominum Ludovicum, regem Franciae; quorum confoederatio toti christianitati infinitum subito attulit gaudium et laetitiae materiam, sed et crucis Christi inimicis horrorem et mentis hebetudinem. Mox vero post hanc praetactam orbis principum confoederationem publicatam, depositis non tam armis quam animis Gelrensium, pax opportune est subsecuta, circa medium mensis Decembris cum magno gaudio proclamata.

Pax.

1509.

Anno interea MDIX, dominus Leodiensis praeparavit se ad eundum denuo ad regnum Franciae, imo ad suum episcopatum Carnotensem revisendum ac sese necessario praesentandum; sed antequam hoc fieret, Leodii existens ecclesiam fratrum in Insula per se ipsum dominica die, qua festum sanctae Agnetis erat, consecrare curavit, in cujus consecrationis solemnitate etiam electum monasterii Sancti Laurentii benedicere disposuit. Cujus tamen consecrationem necessario differre habuit ob confirmationis suarum bullarum carentiam, quae penultima Januarii subito ex Mechlinia allatae domino Leodiensi subito post meridiem exstiterunt praesentatae. Igitur in crastino, die Mercurii, ultima videlicet Januarii, qua dies natalis ipsius electi (aetatis tunc quippe quinquaginta annorum) celebris haberetur, dominus episcopus per semetipsum dignatus est propere huic electo praetacto munus benedictionis impendere et ipsum praelibatum Johannem de Los in tricesimum abbatem monasterii Sancti-Laurentii consecrare. Quo facto, mox in crastino, in profesto videlicet purificationis Virginis Mariae, summo mane dominus episcopus Leodiensis a Leodio recedens in Franciam profectus est. Quo siquidem absente, contigit post Pas-

Consecratio ecclesiae fratrum S. Hieronymi.

Johannis de Los abbatis S. Laurentii benedictio.

Episcopus in Galliam proficiscitur.

cha deputatos ex Francia, ex Brabantia, necnon et ex parte ducis Ghelriae (causa tractandi de pace) ad Leodium advenire. Sed, proh dolor! nihil, quod ad bonum pacis esset, conclusum est.

Quare accidit quod anno revoluto, qui erat MDX, ruptis treugarum foede- 1510.
ribus, non longe a Colonia in patriae Juliacensis confinibus, plurimos mercatores ad nundinas Francfordenses proficiscentes, amissis cunctis infinitum thesaurum praeponderantibus, capi, abduci et in patriam Gelrensem captivitati detineri. Ob quam rem novus tumultus factus est in omnibus terris ducis Brabantiae, nimirum ad tam praesumptuosam rerum mutationem, cunctis pacem sperantibus mox attonitis. Praeterea circa haec tempora summus pontifex Julius, facta, prout dictum est, confoederatione cum regibus, prout praefa- Julius pontifex movet in Venetos.
tum est, cupiens reparare ac recuperare loca et castra dudum per negligentiam praedecessorum suorum in diversis locis amissa, maximum bellum Venetorum populo indixit. Quos cum duplo gladio, spirituali videlicet et materiali gladio, satis rigide percutere studeret, et inde multae factiones et obliquae oblocutiones consurgerent, fractis facile quae interim inter se principes christiani foederibus paulo ante paraverant, per invidiam diaboli zizaniam suam super bonum semen seminantis, mox factum est, quod inter se reges et christianorum duces jamjamque confoederati, facili occasione accepta, dissiderent, et exacuatum ferrum contra inimicos crucis Christi evaginatum in se ipsos converterent. Praeterea Francorum nomen, quod eatenus adversariis formidabile fuerat et terribile, vilipendi coepit, et absque honore reputari, maxime ideo, quia undique surgentibus bellis totus mundus contra regnum Franciae conspirasse videbatur.

Porro dominus Leodiensis, cum rege Franciae circa haec tempora in Italiam Episcopus in Italiam proficiscitur.
profectus, non longe abfuit, ubi Francorum exercitus suorum inimicorum multitudinem prostravit.

Anno praeterea undecimo, cum apud Leodium ambaciatores hinc inde ex 1511.
Francia et Brabantia crebro venientes de pace Gelrensium tractaturi advenirent et nihil proficerent, tandem ex imperio Maximiliani imperatoris, causam ducis Caroli, cujus ipse avus erat, satis importune defendentis, contra oppidum de Venlo in patria Gelrensi, in fine mensis Julii et circa principium Oppugnatur Venlo.
Augusti, fortissima collocata exstitit obsidio, ubi cum plusquam tribus mensibus esset pugnatum, et multi hinc inde perissent, post infinitum pecuniarum thesaurum ibidem inutiliter expensum, recedentibus Anglicis, qui non absque

maximo suorum dispendio male ibi pugnaverant, circa principium mensis Novembris, non sine Brabantinorum confusione, levata est praedicta obsidio.

Solutio obsidionis. Dominus interea Leodiensis, adhuc manente dicta obsidione, legationem misit ad Brabantiam in curia principis, cui tunc filia Maximiliani imperatoris, Margareta regens Brabantiae. domina videlicet Margareta, ducis Sabaudiae relicta, et jam tutrix ducis Caroli adhuc pueri deputata praefuit et muliebriter dominari reputabatur, querelam depositurus de videlicet conculcatione jurium et jurisdictionis terrarum suarum, usurpationeque et vendicatione eorum quae ad suae dioecesis temporalitatem et spiritualitatem spectare videbantur, etc. Sed habita qualicumque responsione, totum negotium positum est in suspenso, donec videlicet obsidio Venloensis oppidi faustum sortiretur effectum.

1512. Igitur anno duodecimo, postquam Busciducenses incaute contra suos inimicos Gelrenses ad bellandum processissent, et inde paucis prostratis plus Pugna Buscoducensium et Gelrensium. quam quingenti per captivitatem essent abducti, Maximilianus imperator, ducem Bronswikensem, juvenem ferocem, attamen et bellicosum, in subsidium Brabantinorum, quingentis equitibus optime instructis comitatum, satis opportune mittere studuit. Qui cum ibidem esset, et plurimum se ferocem et inhumanum contra Gelrenses se exhiberet, ipsos Gelrenses non minus fortiter et animose sese defendentes in magnam iram ocius concitavit, unde contigit praeter alia incendia etiam comburi infinitam multitudinem utriusque sexus hominum, ad suarum ecclesiarum turres tanquam ad speciale refugium confluentium: quae omnia brevitatis gratia nostris scriptis non duxi inserenda.

1513. Deinde anno sequenti apud Coloniensem urbem, circa principium Januarii, Apud Coloniam seditio. maximus tumultus exortus est, civibus inter se tumultuantibus, et contra rectores civitatis, ob defectum boni regiminis adversum magistratus, qui civitatem ipsam depraedasse per inordinatas mulctas videbantur spoliasse, horribilem seditionem procurarant, in tantum quod post decapitationem suorum magistrorum proscriptionemque plurimorum circumvicinis civitatibus ad similia facienda crudele exemplum facile transmiserint. Quare contigit, iis rumoribus Seditio Aquisgrani. auditis, apud Aquisgrani fere similem seditionem contra rectores civitatis concitari. in tantum quod longo temporis spatio cives Aquenses suos rectores et urbis suae gubernatores intra consilii domum potenti armatorum manu tenerent inclusos, mox feroci tormento examinandos, ac deinde, si ita Seditio Leodii. licuisset, morti crudeli addicendos. Igitur Leodienses, fere eodem tempore, circa medium scilicet mensis Januarii, homines facile ad seditionem proclivi,

occasione accepta, et exemplo praedictorum cito promoti, armati ad forum concurrere maturarunt, vindictam aut opportunam ultionem in suos magistros et civitatis suae gubernatores cupientes sumere, causantes sese per avaritiam receptorum civitatis, consentientibus magistris, inter se pauperes in abscondito devorantibus crudeliter spoliatos.

Haec autem cum agerentur dominus Leodiensis, vir sagax et industrius, futuris malis opportune occurrere studuit, et quantum possibile erat pro hac tempestate, ignem periculose accensum liniendo et blandiendo exstinguere satagebat. Sed facile contingit ignem suppressum et sub stipula latentem resumptis viribus duplo plus accendi, et periculosius quaeque circumcirca depascendo in altum provolare. Igitur id quod ad horam videbatur esse sopitum, adveniente sacro quadragesimali tempore, dominica videlicet tertia, qua in introïtu missae *Oculi mei semper ad Dominum* cantatur, et in evangelio Dominus Jesus daemonium ex obsesso ejecisse legitur, idem daemon juxta tenorem ejusdem evangelii, qui jam ejectus videbatur, sumptis septem spiritibus nequioribus se, reintrans domos illas, id est homines illos pestiferos, quos utique necdum totaliter mundos reliquerat, totius civitatis per seditionem pessimam quantocius procuravit in se ipsam concitari plebem. Cives ergo concurrentes ad arma, nescientes quid mallent, quidve eligerent, quippe cum plurimi essent qui causam concursus ignorarent, stabant in foro veluti ferrei homines, optime armati, contra sese hastas et tela vibrantes, ita quod facile erat infinitam civium multitudinem occumbere, atque mutuo se ferro transfixos innocenter neci dari. Quod procul dubio factum fuisset, nisi dominus Leodiensis, a mensa ubi pransurus sedebat surgens, cum parva sua familia opportune seipsum in medium furiosi populi objecisset, vibrantibus gladiis et exertis telis non obstantibus. Hic igitur tanquam a coelo missus, cum terribilis esset impiis et blandus piis, benigne curavit etiam ipsa pectora ferrea opportuno sermone mulcere, ad concordiam et pacem suos concives dulciter hortando et commonendo provocare. Quod cum non sufficeret, per singulorum officinas camerasve studiosus princeps, sollicitus pastor, suarum ovium specialem curam gerens, tandem licet laboriose satis effecit, quod uno saltem (qui receptor civitatis erat Henricus de Ynous nomine) in captivitatem tradito, non obstante malevolorum murmure, totam deinceps civitatem ad quietem et concordiam reduceret. Sed ut hoc facilius fieret, electi sunt ex singulis ministeriis viri et deputati commissarii, quorum quidam eorum parati esse deberent,

Episcopus pacis et concordiae amator singularis

Henricus de Ynous.

lateri principis adhaerentes dum necessarium foret, et alii ad satisfaciendum populo ad computationes et rationes reddendas certo et determinato tempore insistere possent. Haec autem cum in principio satis ardenter fieri videbantur, et successu temporis more consueto lentescerent, et inde populus facile grunire[1] coepisset, dominus episcopus ex murmure concitatus semper cupiens murmuriosum populum sedare et ad quietudinem sollicite reducere, et ob hoc nonnunquam per singulorum ministeriorum cameras circuiret, contigit ipsum ultima Junii, dum cameram drappariorum visitasset, descendentem de gradibus cadere, et graviter circa genua, crure a naturali loco tibiae divulso, laedi ac exinde enormiter infirmari. Propter quod fere duorum mensium spatio lectulo decumbens, tandem medicorum industria adjutus, pulcherrimum patientiae exemplum cunctis suis subjectis seipsum exhibuit.

Episcopus dum componere cives tumultuantes studet, crus sibi frangit.

Ruina chori apud S. Jacobum.

Eodem vero die eademque fere hora qua, prout praelibatum est, dominus episcopus de gradibus cadens laesus est, apud monasterium sancti Jacobi Leodiensis, lapidea presbyterii celatoria multo tempore senio dissoluta in terram corruit, et fracto pavimento chori circa summum altare per suum casum immaniter per fractam aperturam super sepulturam domini episcopi Baldrici, subtus in crypta sepulti, cecidit. Sed et in choro marmoream tabulam seu altaris mensam, multo pretio aestimatam, dissipando in multis frustis comminutam, irrecuperabiliter confregit. Quae res cunctos conspicientes in admirationem et stuporem convertit, partim causa existens doloris, ob videlicet damnum subito illatum, et partim causa exstans laetitiae, pro eo scilicet quod cum hora esset circiter octava ante meridiem, nemo ex praetacta ruina, ne dicam oppressus mortuus, sed nec in aliquo saltem laesus fuit repertus.

Johannes abbas S. Jacobi chorum exaedificat.

Verum hoc anno nec non et duobus annis praecedentibus, dominus Johannes, abbas sancti Jacobi, ad magna se accingens magnanimiter, fere a centum annis opus novi chori dudum inceptum et multo tempore intermissum perficere curavit, et in dies, prout cernitur, ad consummationem ipsius studiose insistendo sese utiliter exhibere non pertimuit.

Helvetii regem Galliae produnt inimicis.

Hoc vero anno, circa initium mensis Junii, ob defectionem Swittensium atque eorum fidem non satis bene erga regem Francorum servatam in Italia, non longe a Mediolanensi urbe Francigenarum maxima exstitit multitudo

[1] *Grunnire*, murmurare porcorum more (*Groigner*).

prostrata. Quae res regno Franciae plurimam intulit confusionem et doloris materiam. Praeterea ut liberius rex Angliae sese interim regno Franciae infunderet, mediante favore Brabantinorum, quos sibi in auxilium vocare procuravit, treugis jam datis inter ducem Gelriae et Burgundionum ducem, Carolum videlicet, adhuc ob aetatis defectum sub tutoribus et actoribus degentem, rex Henricus Angliae (interfecto et decollato jam illo qui de Alba Bellum inter reges Angliae et Galliae.
rosa dicebatur, cui jure successionis ipsum regnum Anglicanum putabatur competere) e vagina suae crudelis dominationis exiens, cum immensa copia armatorum transito mare, terminos Franciae coepit occupando potenter invadere, et passim contra se resistentes subjugando in deditionem facile recipere. Quare accidit, quod cum aliquandiu civitatem Morinensem obsedisset, Morinensis excidium.
et contra eam immanissime die ac nocte terribilibus bombardorum instrumentis pugnavisset, perplexos ac perterritos mox facile in deditionem compulit, et in suî potestatem quantocius redegit. Quam ingressus, non satis bene fide servata, totaliter igni concremandam crudeliter decrevit. Quo perpetrato facinore, etiam Tornacensem civitatem aggressus post non diutinam Tornacum capitur.
obsidionem, salvis corporibus et civium substantia, sibi deditam statim absque magno obstaculo possidere coepit, eamque ex Francorum dominio eripere curavit.

Denique, quod praetergrediendum non aestimo, hoc eodem anno, in quadragesima tamen praecedente, dominus Julius papa facile infirmatus morta- Julii pontificis mors.
litatis tunica se exuens diem clausit extremum. Quo mox defuncto, dominus Laurentius de Medicis cardinalis, Deo disponente, tanquam ex insperato concorditer in papam est electus, et Leo decimus exstitit appellatus. Hic vir bo- Leo summus pontifex.
nus et pacificus quieti se tradens, Christianorum reges et principes, quantum in se fuit, ad pacem et concordiam concitare opportune curavit, pro ecclesiae defensione fideliter sese exhibendo.

Igitur sequenti anno, qui millesimus quingentesimus decimus quartus com- 1514.
putatur, defuncto abbate Vallis Sancti Lamberti in Leodio, dominus episcopus apud Sanctum Jacobum in insula Leodiensi, feria tertia post dominicam Palmarum, consecrare studuit per se ipsum dominum Johannem electum in abbatem monasterii Vallis Sancti Lamberti. Dominus vero episcopus, peractis Johannes abbas Vallis S. Lamberti.
festis Paschalibus, post diaetam tentam quae jam fuerat in quadragesima praecedente, ob quamdam differentiam quae fuerat inter ipsum et canonicos ecclesiae majoris, de celebrando videlicet festo translationis Sancti Lamberti, Iter Erardi praesulis in Galliam.

cujus ecclesiam jam tunc pretiosissimis tapetiis recenter ornaverat, leviter occasione accepta, et praecipue propter causas necessarias ad regem vocatus, in Franciam se transtulit, ubi in regia curia favore et honore maximis prosecutus, per ipsum regem mox ad majora digne sublimandus, cunctis se nobilem, amabilem et magnanimem virum exhibuit atque exhibere opportune curavit.

EXPLICIT CHRONICON JOHANNIS DE LOS, ABBATIS S. LAURENTII.

HENRICI DE MERICA,

COENOBII BETHLEEMITICI PROPE LOVANIUM PRIORIS,

COMPENDIOSA HISTORIA

DE CLADIBUS LEODIENSIUM;

EX COD. MS. BIBLIOTHECAE REGIAE BRUXELLENSIS.

INCIPIT PROLOGUS

IN

COMPENDIOSAM HISTORIAM DE CLADIBUS LEODIENSIUM,

FACTAM ANNO 1469.

Petit a parvitate mea fraternitas tua, Charissime Supprior, de iis malis quae super Leodienses noviter emerserunt, ad Dei laudem quidpiam litteris commendare [1]. Neque enim res talis est nostris sub oculis nuperrime factitata, quam non liceat, non expediat, non deceat per litterarum monumenta posteritatis memoriae relinqui. Sed ut verum fatear, de Leodiensium recenti clade, miserabili strage, peremptoria desolatione, si quis forte scribere vellet, ingenti volumine, summo ingenio, ferventissimo studio, plurimo otio opus esset, quodque digne perficere mei ingenioli sine dubio facultatem excederet, nec mei status humili proposito conveniret; siquidem in domo mentis meae non est panis vitae et intellectus, meumque potius esset in angulo monasterii

[1] Monasterii Bethleemitici *Prior* seu superior erat auctor. Ad hoc monasterium, uti etiam ad alia civitatis Lovaniensis coenobia et collegia, plures e clero Leodiensi, bellorum calamitate acti, confugerant. Licuit itaque Henrico de Merica rerum hoc tempore Leodii gestarum seriem ab oculatis testibus plenissime percipere. Cfr. praefat. §. II.

mea meorumque peccata deplangere, quam novis gestis conscribendis diligentiam adhibere. Nihilominus et hoc adjiciendum, quod pauca admodum de plurimis mihi comperta sint, quae tamen reor eo viciniora esse vero, quo magis magisque divulgata in publico. Ut tamen pro velle tuo et pro posse meo, Deo donante, aliquid faciam, totius originem mali seriemque gestae rei summa brevitate contexam.

COMPENDIOSA HISTORIA

DE

CLADIBUS LEODIENSIUM.

CAPUT PRIMUM.

Cur dominus Johannes de Heynsbergh episcopatum resignaverit.

Igitur dum annus Domini MCCCCLV evolveretur, dominus Johannes de Heynsbergh, posteaquam triginta annis et ultra Leodiensi ecclesiae praefuisset, videns populum suum nimis effrenem moribus, et ita insolentem ut jam non humiliter acquiescere, sed audacter repugnare consuesceret, et nonnunquam tumultuaria vociferatione impetum in eum facere attentaret, moerore nimirum coepit affici et taedio contabescere. Unde malens nullum habere dominium, quam super generationem pravam et perversam ac populum indomabilem deinceps gerere principatum, episcopatui ad opus illustrissimi juvenis Ludovici de Borbonia cessit, salva sibi quoad viveret certa pensione. Erat is Ludovicus, filius ducis de Borbonia, praepositus sancti Donatiani martyris, Lovanii residens, annorum viginti et quatuor, cujus erat avunculus Philippus illustrissimus princeps, cui in hoc facto suo Johannes de Heynsbergh complacere volebat, et per eum populum nihilominus edomare. Nam

18

secum ipse reputabat et dicebat : « Cum sit manus mea invalida, veniat manus Philippi ducis super populum istum. » Philippus ille erat Burgundiae Brabantiaeque dux inclytus, non minus animo quam sanguine clarus, terra marique potens, et maximis regibus non inferior. Emissa episcopatus resignatione per Johannem de Heynsbergh, Ludovicus iste electus et confirmatus est in dominum terrae Leodiensis. Sed enim ex mutatione pastoris non est facta mutatio moris. Cerneres adhuc in populo passim fieri strepitum et tumultum, turbari ordinem, confundi fasque nefasque, cuncta agi violentia, voluntatem pro ratione regnare, perire leges, justitiam exulare. Sed heu! Qui legem Dei noverat, clerus ipse legi contraria faciebat. Huic autem moris erat per abrupta vitiorum progredi, corruptae vitae per vias incedere, luxui atque ventri magis quam spiritui deservire.

CAPUT II.

De causis desolationis terrae Leodiensis.

At licet abundaret iniquitas multorum et charitas refrigesceret, duplex tamen pestis hujus, quod vidimus, mali seminarium exstitit et totius patriae perditionem induxit. In clero avaritiae insatiata rapacitas; in vulgo immoderata dominandi cupiditas. Quam inique egerint, quantas truffas[1] exercuerint in illo territorio procuratores fiscales et rurales syndici, quorum pergrandis numerus erat, quanta eis fuerit inhumanitas in concinnando dolos, quanta crudelitas in magnificando super innoxios supplantationem, quanta incivilitas in evacuando marsupia, incredibile dictu est. Per magnum nefas citabantur villani simplices venire Leodium, et ad judicium trahebantur. Arguebantur sceleris immunes a scelere, et accusabant innoxios praevaricationis ipsi praevaricatores legis. Cumque ne verbo quidem dignum esset, quod astutia versipellium objecisset, tamen enormiter peccasse famabantur, cum per simplicitatem nimiam nec se defendere, nec objectis potuissent articulis respondere. Non apparebat quonam modo insontes oves luporum rapacium morsus potuissent evadere, nisi exhaustis marsupiis illorum imperiis obedirent; alioquin

[1] *Truffa*, fraus, nequitia.

ecclesiae gladium super se nossent procul dubio evaginandum. Heu! heu! qui mala haec vice Domini corrigere debebant, puta advocati et domestici curiae, tamquam canes muti non valentes latrare, magis curabant ea blandiendo palpare et participando fovere, quam emendando corrigere. Nam pariter iis ditabantur rapinis, iis dapibus vescebantur, fabricatores mendacii, artifices doli, tantum habentes de verecundia quam bufo de cauda. Videns itaque tanta mala in dies succrescere, manus laïca accensa est animo facere vindictam in nationibus et increpationes in populo clericorum. Quorum irrumpens habitacula, tam gravem insultum fecit in eos, ut, spoliatis domibus, direptis bonis, scriptis in frusta concisis, si pellem suam illaesam conservare voluissent, celeri fugae consulere et clandestino abscedere cogerentur. Multi autem eorum fustigati, nonnulli ad mortem usque caesi sunt, et plerique qui manus hominum potuissent evadere, per horridam et improvisam mortem inciderunt in manus Dei viventis, et quidem satis juste. Ut qui sceleris fuerint participes, et animadversionis sint consortes. Et nemo miretur si male agentes male perierint, si male conditae dapes peccatorum guttura strangulaverint. Haec quam maxime in comitatu Lossensi, ubi procuratorum malitia plus exarserat, agebantur.

CAPUT III.

Cur commotus fuerit dominus Leodiensis in populum suum.

Conqueritur ergo dominus a laïcis sibi in jurisdictione sua praejudicatum esse, et arguens eos praevaricationis dicit quod de clero suo se non interponant, clerum suum corrigere non attentent; corruptionem curiae non illorum curae, sed suae subjici disciplinae. Fuit et alia ratio domino forte pugnantior contra eos. Habebant Leodienses consuetudines multas, quas ipsi nominabant privilegia, abusiones tamen rectius appellandas, quum saepe contra rationem, contra jura, contra legem Dei, contra aequitatem et justitiam militarent. Illarum occasione volebant ad nutum regere mundum, arctare ecclesiam, sese de religione interponere. Per has alicui recusabant subjici, sed omnibus quaerebant etiam Domino dominari. Unam tangam de pluribus, exempli causa: si fur, si facinorosus, si homicida, si monachus apostata in so-

dalitium sortemque mechanicorum fuisset admissus et ipsorum manus implesset, non timebat corrigi, non poterat captivari. Absit, absit ut quispiam manus misisset in eum stantem et libere ambulantem ubi vellet, in civitate dumtaxat; siquidem fabrorum malleus defendisset eum ab omnibus persequentibus eum. Si obniti velles, prius vidisses confusionem tuam quam captionem suam. Sic consuetudinibus, imo vero abusionibus ita innixus erat populus ille, ut anteaquam vel unum iota pateretur abradi, praeeligeret totam terram subjici excidio et capita sua periculo.

CAPUT IV.

De eo quod regem petierit pars utraque [1].

Anno Domini 1467, mensis Junii die 15, illustrissimus princeps Philippus, Burgundiae et Brabantiae dux, in oppido Flandriae Brugis, jubente Deo, viam universae carnis ingressus est. Cui successit in universo principatu Carolus, comes de Charlois, filius ejus. Evolutis diebus aliquotis, Leodienses, coadunatis Lossensibus in multitudine magna, obsederunt territorii sui fortissimum oppidum de Hoyo, et obsessum ceperunt. Siquidem multum erat ad eos, et aegerrime ferebant, quod Hoyenses non communicarent eis in causa episcopi, et in profana contaminatione dissociassent se ab eis. Erat praeterea in Hoyo moram faciens episcopus ipse, curiales sui, et amici sui non pauci numero, cum sarcinulis et thesauris suis, de firmitate loci confisi a facie Leodiensium. Proponebant ergo isti capere locum, et occidere plurimos, sicque ulcisci de omnibus. Quod ea de causa possibile fuit, quod multi ex plebe, qui per vices in custodia oppidi vigilias observabant, favebant Leodiensibus hostibus, et suis civibus occultae proditionis materiam fabricabant. Ea tempestate virum virtutis sese exhibebat nobilis vir Everardus de Arenberghe, repugnans fortiter usque ad oppidi captionem, cedentibus tergaque vertentibus, qui a duce in auxilium episcopi missi fuerant, Hannoniensibus. Itaque intempestae noctis silentio, cum ingenti strepitu, Leodienses intraverunt Hoyum, ipso die Lamberti martyris. Unde famabant sanctum Lambertum, propitium eis factum, victoriam concessisse. Quo cognito, relictis omnibus quae habebant, coeperunt versus Namurcum, quod scilicet proximius refugium esset, et per Mosam, et per terram fugere, quotquot fugere potuissent. Fugit et episcopus, flens et ejulans, omni cum alacritate. Alios pro temporis brevitate fugere non valentes ceperunt hostiliter, et captos indigne tractaverunt, et dirae morti tradiderunt, justos ab injustis minime secernentes. Secretarium quemdam oppidi, in latebris se occultantem, comprehensum per solarii fenestras emiserunt, quem in lanceis et in gladiis exceptum mille mortibus dedit subtus stans furentis populi multitudo. Spoliato tandem oppido omni genere opum, pluribusque trucidatis, quasi victores, capta praeda, laetantes de scelere perpetrato, redierunt ad propria.

CAPUT XXII.

Quod Carolus dux jam tertio contra Leodienses armare se coepit.

Tot tantisque malis nimirum exasperatus Carolus dux, coepit accingere gladio suo femur suum potentissime, congregans exercitum fortem nimis ad debellandos Leodienses. Armabat enim se, praeparabat se, tamquam cum duobus hostibus conflicturus, rege videlicet et Leodiensibus. Venit autem ad eum Bruxellae constitutum comes Sancti Pauli, a rege missus componendae pacis obtentu. Cui quidem vix audientiam dux ipse dare voluit, quidpiam de pace audire recusans. Non multo post accessit ad eum, eamdem ob causam missus ab eodem rege, episcopus Mediolanensis[1], legatus apostolicus in Franciae regione, diligenter insinuans et regis gratiam, si exaudiretur, et offensam, si contemptui haberetur. Supplicabat ei rex, ut amici sui Leodienses, suae majestatis contemplatione, ad gratiam suscipi mererentur, promittens duci fidelem assistentiam in depopulando eos, si denuo pacta pacis solverent, adjiciens quoque minas, quod scilicet causam illorum suam faceret, defendendo eos, quos sub protectionis suae umbraculo suscepisset, si petitionis suae optatum non consequeretur effectum. At dux nec precibus flexus, nec minis territus, nec promissis illectus, constanti voce respondit se nolle amplius cum Leodiensibus de pace tractare, qui perjuri facti semel et iterum, fidem frangerent, pacta solverent, foedera violarent. Tum ille : « Rex, inquit, Franciae inter omnes terrarum reges inclytus, extendit palmites gloriae suae usque ad mare, et usque ad flumen propagines potentiae suae; neque tutum ulli terrae principi majestatis suae oculos quomodolibet offendere. » Respondit dux : « Etsi potens sit rex atque magnificus, ut peroras, ego quoque magnificum me virumque virtutis ostendam. » — « Timeo, legatus ait, timeo regem, cum se contemptum viderit, venturum propria in persona, et Leodiensibus amicis praesidia praestiturum. » Ait iste : « Veniat, et utinam venire velit! et experiendo discat ipse quid possim. Quod si eum jam Leodii adesse certum mihi esset, tempus praevenirem, et in biduo regi me praesentem exhiberem. »

[1] Stephanus Nardinus, magno ingenio vir, sub Pio II, in Germania gravissimis expediendis negotiis probe versatus, a Sixto VI cardinalitia dignitate ornatus, merito annumeratur in famosis praesulibus, qui aliquando ecclesiae Mediolanensi praefuerint. Cfr. supra p. 54.

CAPUT XXIII.

De malis apud Sanctum Trudonem per hostes commissis.

Itaque in medio mensis Octobris procedens dux a Lovanio, cum infinita peditum equitumque multitudine ac armorum cujuslibet generis copiosissimo apparatu, primo impetu applicuit ad Sanctum Trudonem, et vastavit oppidum illud. Quod anteaquam in deditionem acciperet, plures de exercitu ejus in circuitu mala exercebant innumera, agendo praedas, incendendo domos, homicidia perpetrando. Non parcebant a spoliando saecularibus, non religiosis. Est juxta muros oppidi monasterium feminarum inclusarum, canonicarum regularium Sancti Augustini in communi viventium. Ubi quantas abominationes fecerint, non est volubilis styli ministerio facile explicare. Et per ea quae illic facta sunt, quaenam et in aliis locis piis facta sint, prudens lector prudenter intelliget. Veniebat venerabilis priorissa ad portam usque monasterii hostibus obviam, siquidem rector ipse sociique sui prae nimio terrore aufugerant; et humi prostrata misericordiam postulabat, exhibens salvagardiam ducis, quod sub sua protectione recepta erat domus. Quam terribilibus oculis intuentes et sermonibus inconditis aspernantes, nec movebantur reverentia loci, nec salvagardia terrebantur, nec flectebantur suspiriosis precibus devotae multitudinis, tetram in facie pallidae mortis imaginem praeferentis. Quin imo more leonum rugientium, cum in venatione fuerint, belluina crudelitate hominem diffitentes, omnia perlustrant, omnia pervagantur, singulas revisunt officinas; displicita comminuentes, placita rapientes. O insatiata rapacitas! O ferrea corda! O pectora omni adamante duriora! aggrediuntur primo oratorium, non orandi gratia, sed spoliandi causa; illudque imaginibus, tabulis, libris, ornamentis, omnique suo decore evacuant. Et, abjecto omni timore Dei, distractas reliquiarum capsulas mittebant in lutum, et pedibus ut paleas conculcabant. Dehinc dormitorium scandunt, quod ita omni sororum supellectili spoliabant, ut ne imaginem quidem papyream dereliquerint. Haec considerans soror quaedam bonae simplicitatis, tulit secum devotionis suae imaginem : cogitabat enim apud se dicens : « Etsi omnibus spoliarer rebus ad usum mihi concessis, reservabo saltem mihi Jesum meum. » Habebat enim iconiam eburneam infantuli salvatoris. Quam arctius constringens ulnis suis, volentibus

eam tollere, fletu singultuoso et anxio ejulatu respondebat dicens : « Nolite mihi tollere Jesum meum, unicum solatium cordis mei. Omnia mihi abstulistis praeter eum; parcite mihi, parcite, quia ita conglutinatus est mihi Jesus meus, ut nullo pacto inter nos divortium fieri queat. » Multos hisce verbis et flebili apparatu ad compassionem sui commovebat, ut a male coeptis abstinerent. Tandem vir Belial, compassionis expers, nescius misereri, de ulnis sororis lacrymabiliter vociferantis iconiam violenter abripuit, et ait : « Si tibi placet Jesus tuus, et mihi non displicet. Hactenus eo usa es; patere ut jam utar eo. » Cuncta denique in cellario reperta vitae necessaria, inque reliquis officinis utensilia ad curam rei familiaris pertinentia, tollunt, confringunt, dispergunt, nihil eorum quae ad victum et vestitum pertinerent desolatis sororibus relinquentes. Caeterum tantus erat illis rapiendi fervor, imo furor, ut plumbum de tectis eruerent, et ferrum de muris auferrent. Tanta denique scurrilitas, ut, rejecta naturali verecundia, abuterentur dormitorio pro latrina; tam procax insolentia, ut ancillas Christi ad exuendum vestimenta rigorose compellerent. Habebat antea praemonitas filias suas mater, ut de vestibus suis tantum tollerent quantum ferre potuissent, contra injurias hyemis imminentis. Dicebant enim imperatorie ad illas scurri : « Exuite vos sine mora. » At illae inexorabiles hostes aspicientes, coram facie eorum exuebant se vestimenta sua ad camisiam usque. Illi autem relinquentes in manibus sororum quidquid vile fuerat ac reprobum, meliora tollebant. Sed quis non obstupescat magno Dei munere factum esse, ut cum bona mobilia perdere cogerentur, thesaurum castitatis incomparabilem integerrime conservarent, nec illarum ulla, quantumlibet speciosa, reperta est pati violentiam, aut corruptionis vitio subjacere? Sacrilegis divinitus permissum est substantiam hujus mundi tollere, scurris permissum non est carnis spurcitias exercere. Etenim ad imperium priorissae manebant indivisae sorores, non sese altera ab altera separabant : nimirum igitur ad instar muri illaesae et impenetrabiles permanebant. O quam patiens redditor Deus! Quam terribilis in consiliis super filios hominum! Quam districte suo in tempore feriet, qui jam tanta mala aequanimiter suffert! Sane audiens haec dominus Adolphus de Clevis, dominus temporalis de Ravesteyn, compassus tantae desolationi ancillarum Christi, fecit eas adduci ad se; non enim procul aberat, et viri cohortis suae tantum flagitium perpetraverant. Verum earum aliquae, nimio moerore confectae, prae teneritudine luti profunditatem transilire non valentes, virorum manibus ferebantur.

Quas in diverticulo suo receptas humaniter tractavit, benigne fovit, curam earum egit, magnamque partem ablatorum., dumtaxat in locis terminiis, restitui eis fecit.

CAPUT XXIV.

De pugna inter populum ducis et Leodienses.

Oppido Sancti Trudonis in deditionem accepto, rebus corporibusque salvis, convertebat faciem suam dux ad Leodium devastandum. Sed anteaquam de loco moveret exercitum, supervenerunt Leodienses inopinate sane, neque enim tempus neque locum congrediendi designaverant, in multitudine gravi turmarum trium, et ingenti strepitu, hora quarta diei, cum jam sol vergeret ad occasum, et effuderunt se in campi magni planitie, non procul a villagio dicto Bruystem. At phalanga domini de Ravesteyn, quae vicinior erat, sentiens hostes super se ex improviso venire, fortiter obequitabat, et ad praelium praeparabat se. Et ortum est bellum satis durum in illa die. Quo inito, clangor buccinarum perstrepebat; volitabat per aethera telorum densissimus imber; resonabat terra a collisione armorum, aërque replebatur a bellicarum sonitu machinarum. Et factum est quasi miraculum grande in die illa, ut septuaginta et amplius lapidibus bombardarum per Leodienses uno impetu in populum ducis effusis, pauci laederentur, et palam fieret omnibus, quod non esset cum eis manus Domini. Qua de re dux ipse, non virtuti suae, sed nomini divino dans gloriam, misit et ecclesiae Lovaniensis universo clero attente commisit, vice sui, omnipotenti Deo suaeque sanctissimae genitrici solemne offerre sacrificium, laudisque ac gratiarum referre uberrimas actiones. Sane primam turmam Leodiensium, per callidam inundationem ac emissam serpentinam, penetrabant, atque scindebant, qui erant de parte contraria, et ita divisam prosternebant. Illi autem videntes quod res pro anima ageretur, et in pedibus stantes et in genibus, ad mortem usque pugnabant acerrime. Percussa est autem et ita extincta eorum acies prima, ut perraros de ea contigisset evadere. In qua et interemptus est Bary Surlet miles, cujus supra fecimus mentionem, et duo ex majoris ecclesiae canonicis. De populo ducis

cecidisse feruntur ferme viri centum. Reliqua autem Leodiensium multitudo percipiens quod fiebat, nimio terrore concussa, et, ablata omni spe, celeriter aufugiens terga vertit, summam infelicitatem praesumptionis suae consecuta. Cum qua fugit et Raso, dominus de Heers, vir magniloquus, sed pusillanimis, qui nunquam propinquare auderet, ubi magnanimorum bellicosa contentio haberetur. Caedebantur nihilominus fugientes hinc et hinc, sed in paucitate, quia noctis obscuritas longum transitum persequentibus hostibus denegabat. Itaque Leodiensibus partim caesis, partim in fugam conversis, dominus de Ravesteyn cum phalanga sua postera die anteibat universum exercitum, spoliatoque oppidulo de Borchloon, recto itinere pervenit ad Tungrorum oppidum, fortium moenium circuitu munitum. Omnibus a facie ducis tantus metus incubuerat, ut nullus incolarum ad principem auderet accedere, pacis gratia impetrandae. Tandem procuratori domus Regularium, quae est Tungris, onus legationis imponitur, per quem, plurimis fusis precibus, et promissorum exuberantia praecedente, vix ad hoc devenire, vix poterant a principe impetrare, ut eos sub gravissimis oneribus in deditionem accipere consentiret.

CAPUT XXV.

De tertio transitu ducis ad Leodium, deque illis quae illic tunc gesta fuerant.

Quid mirum si Tungrense oppidum prae nimio timore cum duce pepigerit foedus, quando certe tremuit et expavit a facie ejus gradientis in multitudine virtutis suae Leodium. Urbs inclyta, civitas populosa, hoc jam, experientia magistrante, vel sero discere coepit, quod durum sit contra stimulum calcitrare, quod potestatibus sublimioribus non subdi sit fatuum, et a male coeptis tempestive non desistere periculosum. Didicit jam Leodium, quod majestatis ducis oculos offendere nihil aliud sit, quam leaenae in saltu rugienti, captis catulis, obviare. Unde ad instar damulae pavidum, et durae cervicis rigorem deprimens, non jam, ut assolet, ponit os praesumptionis in ecclesia; non linguam magniloquam exerit; non quaerit cum duce agere ferro, sed

pacis osculo. Minas abjicit, pro minis preces assumit; vocem protervae superbiae convertit in verba humilis obedientiae. Quamobrem mittit legatos ad ducem, se peccasse clamitat, spondet emendam, plura offert, magnaque promittit : veniam petit, pacem exquirit. Verumtamen in concedendo veniam et donando pacem oborta est difficultas non exigua, tum propter transgressionis multitudinem, tum propter duplicis animi creberrimam instabilitatem. Demum post longa colloquia, discordiae nebulis dissipatis, pacis apparuit pulchra serenitas; sub certis tamen et gravissimis conditionibus, quibus si effectualiter praeberet assensum, optata pace gauderet, et corpora salva haberentur simul et bona. Quarum quidem conditionum verba erant : Ut jura sua, plebiscita sua, privilegia sua, eo quod abusionem eorum fecerint, in manu principis resignarent. Deinde omne genus armorum abjicerent, et eidem principi aeque traderent. Erat enim, et in civitate illa et in terra illa, omnis armatura fortium, omne genus machinae bellicae, sic ad invadendum, sic ad defendendum, sic ad expugnandum. Et rejecerunt bombardas, sicut fundibularios suos, serpentinas suas, balistas, gladios, loricas, hastas, pugiones. Soli ex omnibus armis relicti sunt universo populo terrae cultelli sine acumine, apti ad escam, inepti ad pugnam. Conditio quoque adhuc fuit ut, sumptibus propriis, portas murosque civitatis et oppidorum singulorum diruerent, soloque aequarent. Et factum est ita. Solum oppidum de Hoyo harum conditionum, imo poenarum remansit immune, et merito quidem. Qua enim ratione particeps deberet esse poenae, quod volebat expers esse culpae, quod oppidum, ut puta diverticulum episcopi et suorum? Quia Leodienses injuste spoliaverant bonis et thesauris, quibus non mediocriter affluebat de praesentia divitum terrae, conditionatum quarto est, ut ingentem argenti massam solverent, priorum annorum mulctam, nullam penitus facientes defalcationem. His ita rite peractis, intravit Leodium dux Carolus, princeps potentissimus, cum ingenti equitum multitudine. Qui bini et bini per turmas suas incedebant, et a primis usque ad ultimos, quinque horarum, ut aiunt, explebant intrandi spatium. Cogebantur manere extra civitatem pedites, quorum grandior ferebatur esse copia, ne multitudine nimia confusio, imo violentia gigneretur. Sic, sic humiliata est civitas illa grandis, sed rebellis, urbs ampla, sed tumultuosa, alumna scandali, mater litium, seditionis conscia, tranquillitatis ignara, fomes discordiae, concordiae suffocatrix; plus habens de praesumptione quam de fortitudine, minusque de po-

tentia quam de arrogantia. Sic devicta est gens numerosissima, sic subacta natio non assueta pacis, assueta belli, cedere nescia, nisi cum resistere non valet. Secundum magnitudinem praesumptionis et gloriae data est ei magnitudo confusionis et ignominiae. In inani gloria modum non habuit, in retributione vindictae debita mensura defecit. Sic facti servi sunt, qui prius erant liberi; sic coacti sunt obsequi, qui volebant omnibus dominari. Inque signum victoriae gloriosae, abstulit dux fornicem triumphalem, quem pyronem ipsi nuncupabant, in medio fori pro decore stantem, miro lapideo tabulatu erectum, et Brugis deportari fecit, pro quo patibulum mandabat erigi. Quam rem licet molestissime ferrent, tamen contradicere non audebant. Sublatae erant ipsis vires omnes, cum quibus perierant simul et omnia. Non sic arctantur sub praeceptore scholares, sicut constringebantur a facie principis Leodienses. Reliquit autem dux Leodii, loco sui, Guidonem, virum nobilem ex Picardia, dominum temporalem de Himberti-curia, ad regendam patriam universam. Homo iste saevitiae plenus, compassionis inops, in virga ferrea regere coepit, non parcens divitibus, non egenis, judicans in rigore incolas terrae. Itaque redeunt qui proscripti fuerant, amici episcopi, unusquisque ad possessionem suam, et in quiete vivere permittuntur. Jam insignia armorum episcopi in vicis et compitis ubique ponuntur; jam vox illa tumultuosa : Vivat rex! silentio datur. Absit, absit ut aliquis deinceps magistri Marci de Baden praesumat facere mentionem. Dominus Ludovicus de Borbonia pace fretus, et quaquaversum se dirigens, verus terrae dominus agnoscitur, et Leodiensis episcopus honoratur. Ordinatur insuper nova lex, et, veteribus transeuntibus, jura nova conduntur. Plerique ex civibus, quibus erat scrupulosa imo meticulosa conscientia et lividus animus, haec ita geri conspicientes, dentibus fremuerunt, et nolentes ita constringi, sponte aufugerunt. Proscribuntur et multi auctores schismatis, hostes pacis. Inter quos et dominus Raso erat, qui postea in terra non comparuit, quoque devenerit usque hodie ignoratur.

CAPUT XXVI.

De secunda profectione ducis contra regem Franciae, et pace utriusque, ac Legato apostolico.

Anno Domini 1468, mense Augusto, Carolus dux inclytus, jam altera vice Flandriam petit, bellum regi illaturus, non utique propter se, cui in nullo forefecisse repertus est rex, sed propter duces Britanniae et Biturricensem, regis germanum, quibus, rupto foedere, rex dimicatus est. Sed quia Carolus dux cum his duobus foedus pepigerat, ita videlicet ut alter alteri contra regem, necessitate cogente, manus porrigeret ad invicem, injuriam illorum in se retorsit, eosque de rege vindicare proposuit. Sed o miram humani cordis instabilitatem! O inexprimabilem surreptionem! Duce Carolo derelicto, duo ipsi clandestine paciscuntur cum rege. Iste illis in adjutorium, non sine sua suorumque multa incommoditate, adveniebat; illi istum solum in periculo derelinquunt. Servat iste, ut debuit, amicitiae jura et pacta fidelitatis; illi, quod nefas putamus, abjiciunt. O quantum est in rebus inane! Verum, Deo disponente, id quod malam videbatur faciem habere, conversum est duci in augmentum boni. Non enim movit arma rex contra eum; magis autem, spretis aliis, intra sinum gratiae specialis recepit eum. Quid enim? Videres et regem et ducem amicabiliter comedere in unum, illum istum convenire, et officio salutandi, et obsequio blandiendi, et complacendi instantia, mirantibus atque indignantibus Francigenis universis. Crederes sane, si aspiceres, nil odii vel rancoris unquam in alterutrum exstitisse, sed universa jura dilectionis et gratiae.

Eodem autem tempore, venit Leodium dominus Honofridus, Tricaricensis episcopus, habens plenariam potestatem legati a latere[1]. Is, pro tradita sibi auctoritate, cujuslibet criminis reos absolvit, suspensos et excommunicatos intra gremium sanctae matris ecclesiae recepit, et irregulares rehabilitavit, data cera[2] et accepta pecunia.

[1] Cfr. supra p. 56.

[2] Anne vox *cera* hic intelligenda de cereis, quae excommunicatis in signum reconciliationis dari solebant?

CAPUT XXVII.

Quod viri Belial cepere Leodium ad nutum illic omnia disponentes.

Verbum apostoli est de negligentibus hominibus et incuriis : « Cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. » Hoc circa Leodiensem episcopum et familiares suos manifeste videmus impletum. Qui post tantam populi stragem et civitatis destructionem, non ipsi cautius negotiari et sollicitius vitam instituere satagebant ; sed nimiam sibi securitatem promittebant, pacata omnia arbitrati. Unde jocis intenti, comessationibus dediti, magis delectabantur audire symphoniam et choros, vocemque cantantium atque ludentium pro inani laetitia, quam collisionem armorum strepitumque virorum fortium pro civitatis sollicita custodia. Et quia in die bonorum malorum immemores erant, futura non prospicientes, contigit justo Dei judicio, ut extrema gaudii hujuscemodi luctus occuparet. Siquidem in profesto nativitatis Virginis gloriosae, virorum Belial cuneus ingens, grandi cum strepitu et nonnullis capitaneis, Leodium introïvit. Quorum ad introïtum erant amici episcopi nimirum nimium consternati, volentes quidem sed non valentes resistere, et impedire rei subitam novitatem. Applaudebant alii, et per taciturnitatem atque dissimulationem quamdam, quod fiebat, videbantur approbare. Vulgare proverbium est : *Qui tacet, consentire videtur*. Heu! Heu! Res haec civitatis ipsius causa excidii fuit, populoque interitum attulit. Illi itaque ingressi mox fortunam regis vociferatione conclamant, dicentes : Vivat rex! Vivat rex! in vilipendium ducis. Primoque impetu irruunt in militem quemdam, quem vicarium pro se reliquerat dominus de Hymberti-curia, cum sequeretur ducem euntem in regem, illumque trucidant. Alios aufugere tentantes, alios arma capientes interimunt; sicque civitatis exitus per vigilem custodiam observant, ut nec exire, nec intrare cuique liberum fuerit. Demum legem novam instituunt, pacta solvunt, domos irrumpunt, spolia ducunt, mulctam ad opus ducis terrae impositam interdicunt. Et ex parte episcopi plures in periculo capitis sui clam aufugientes Trajectum tendunt, quorum multi in ipso itinere mortem, quam quaerebant evadere, invenerunt. Inter quos et magister Johannes Bau, vir militaris, licentiatus in utroque jure, presbyter et canonicus ad sanctum Lambertum, erat, qui ea solum de causa

quod clam diffugeret, juxta villam domini de Nassou, dictam Heerstal, a viris Belial crudeliter interemptus est. Quomodo communi plebi parcere acquiescerent, quando in virum celebrem tyrannidem exercebant? Si in viridi ligno talia praesumere ausi sunt, in arido quid fecerunt? Fuerat Leodii, paucos ante dies quam venirent viri Belial, episcopus ipse cum suis, magis intentus dies festos agere, quam sollicitus super civitatis provida custodia cogitare. Inde Trajecti se recepit, et solatium omne subtrahens, amicos, qui Leodii erant, magno in discrimine dereliquit.

CAPUT XXVIII.

Quod episcopus cum suis, a viris Belial captus, Leodium perductus sit.

Quamobrem episcopus amicos convocat, vires instaurat, colligit cuneum armatorum, tristis tristes mittit duci litteras in Francia constituto, necessitatem exponit, praesidia petit, quo civitatem suam recuperare et se de transgressoribus vindicare valeat. At ille quamquam de negligentia et incuria culpasset istum, assistentiam tamen offert, transmittens ei in adjutorium a latere suo nobiles potentesque barones de Himberti-curia, de Bergis, de Hamalia, virosque generosos cum illis non paucos: seque in brevi venturum personaliter cum universo exercitu pollicetur. Convenerunt igitur hinc et hinc in Tungrensi oppido, et, quasi jam habita victoria de hostibus esset, et ad vota cuncta cessissent, minus solliciti, nimis securi dies festos agunt ibi: homines inermes aggredi pro nihilo arbitrati. Celebrantur ludi, choreae ducuntur, vox laetitiae ubique resonat, tanguntur signa turrium cum modulamine, ut in festis solemnibus fieri solet. Sedent in vino exploratores; non ordinantur nocturnae vigiliae super custodia oppidi, quod portis caruit, propugnacula non habuit, muros amisit. Non invocatur Deus venire in adjutorium, quamquam concernat causa ipsa honorem suum. Tanta in viribus propriis fiducia erat, ut a Deo prosperitatem exspectare et sperare salutem, non necessarium, imo superfluum videretur. Nullus eis tremor de habenda victoria; timor omnis erat de celeri hostium fuga. Itaque jocis, ludis, conviviis, spectaculis fatigati, omnes intempestae noctis silentio cubilia petierunt, verbi sapientis male me-

mores, qui quemque nostrum solerter admonet dicens : « Ante periculum cogita de periculo. » Et ecce ingrediuntur Tungrense oppidum viri *Belial* per turmas suas ; hospitia et episcopi et suorum mox quaerunt et inveniunt. Jam ubi plausus, ibi planctus ; ubi risus, ibi metus ; ubi gaudium, ibi dolor ; ubi trepudium, ibi moeror. Sane nonnulli, illorum cognita praesentia, seminudi celeriter aufugerunt, relinquentes equos suos et sarcinulas suas direptioni atque praedae. Capti sunt alii, et nihilominus abire permissi, de redeundo certo die juramento facto, quod impleri menti non erat. Fuerunt et plerique interfecti, in quos invidiae dentes magis exacuerant, utputa dominus Johannes Tsereyn miles et nonnulli alii. Et invento magistro Roberto : « Ecce, inquiunt, ecce trufator iste ; omnium causa malorum est. » Quem unus eorum percussit fundibula, unde et vita sua amarior morte facta est. Episcopus autem cum audisset quod fiebat, exiliens de lecto, moerens et ejulans, quo se verteret et quid ageret ignorabat. Usus autem consilio eorum qui apud se erant, aperta camerae fenestra pro foribus, in platea stantes viros Belial auctoritate vocis interrogat : « Quinam estis vos ? Quid quaeritis ? » At illi : « Subditi, inquiunt, tui sumus, exules et proscripti, illustrissime domine, quidquid alias deliquerimus emendare parati. Obsecramus autem clementiam tuam ; converte judicium in misericordiam, et permitte nos de caetero bene agere volentes, reddi facultatibus nostris, uxoribus et amicis. » Ironice loquebantur. Aliud enim dicebant ore, aliud mente versabant. De correctione morum novissima illis cogitatio erat. Omne studium versabant circa vindictam de adversariis capiendam. « Rogamus, aiunt amplius, tua metuenda dominatio una nobiscum ad Leodium usque tendat. Et nobis proderit, et te minime poenitebit ; nam erunt, te praesente, prava in directa, et aspera in vias planas. » Quid ageret episcopus in hoc rerum cardine constitutus? Anxiatus erat in eo spiritus ejus ; quocumque se verteret, dolorem inveniebat. Non erat ei locus aufugiendi, non spatium deliberandi, non potentia resistendi. Unde necessitate compulsus descendit, et nil mali passus cum illis Leodium expetiit. Ubi dum venisset homo captivus, gratiose quidem a capitaneis virorum Belial tractatus est ; sed habere libertatem standi, ambulandi et faciendi quae vellet, permissus non est. Cum autem legatus, increscente rumore, viros Belial ante fores hospitii sui ad capiendum eum stare didicisset, excutiens se cito de lecto, apertis camerae fenestris, convertit se ad illos. Videres hominem pavidum et trementem scalpere pedibus, supplices attollere palmas, motu

instabili corpus agitare, alta voce clamare, et sine cessatione dicere: « Legatus ego sum; legatus ego sum. » Nihilominus captus, et una cum episcopo Leodium usque perductus. Inventus est etiam Tungris dominus Guido de Himberti-curia, vir saevus, qui pro crudelitate nimia ita populo odiosus erat, ut dentibus fremerent in eum. Volebant hunc viri Belial vinctum producere Leodium. At ille renitens dicebat se potius caput suum exponere gladio, quam vinctum praesentari Leodiensi populo. Sciebat se enim indubitanter, si Leodii esset, non simplici morte finiendum, sed varia excepturum genera mortis. Dimissus autem est ab eis, praestito juramento quod, constituto die, quasi captivus homo rediret, et bonam pacem communi populo terrae apud ducem efficaciter procuraret. Praeterea, ad requestam episcopi, miserunt Tungris pro magistro Roberto graviter vulnerato, quia volebat eum videre vivum. Quem impositum vehiculo in itinere trucidarunt, ante conspectum episcopi mortuum offerentes, et afflicto afflictionem addentes. Siquidem requieverant viscera episcopi super illum, apud cujus celsitudinem magister Robertus summum locum gratiae obtinebat, adeo ut secundus in auctoritate post episcopum haberetur. Mala tamen fama volabat de eo, et vitae non commendabilis esse censebatur. Plane de eo quod factum est, oppidi Tungrensis incolae proditionis suspecti sunt. Quapropter per satellites ducis, quadam die fori, dum grandis populus confluxisset, variam supellectilem venalem afferens, totum oppidum omnibus bonis in eo repertis funditus spoliatum est, divitum et pauperum, noxiorum et simplicium nulla habita discretione. Idem ipsum oppidum ea de re proposuerant quidem voracibus flammis dare; desistebant tamen, facta Guidoni de Himberti-curia promissione duorum millium florenorum, ad certos terminos procedenti tempore solvendorum.

CAPUT XXIX.

De conflictu inter dominum de Ravesteyn et Leodienses, eorumque fuga.

Igitur expeditis negotiis in Francia, dux ex iis quae per Leodienses fieri videbat accensus animo, remeare coepit, et ad Leodium convertere faciem suam, statuens firmiter illud funditus evertere, et ponere ut acervum lapi-

dum. Et rex, relicto exercitu suo, non rogatus a duce, sed sponte semet ingerens, veniebat cum eo eadem mente, nec dissimili voluntate. Praemisit autem dux ante se dominum de Ravesteyn, qui cum phalanga sua juxta diruta moenia civitatis castrametatus est. Cumque silentium tenerent omnia, quae in civitate erant, nec campanae quidem sonitus audiretur, suspicati sunt qui cum domino de Ravesteyn erant, Leodienses omnes prae timore hostium imminentium cessisse loco suo, et desperatione victos iniisse fugam. Unde quamplures, armis depositis, sarmenta colligere coeperunt, et rogos prae nimio algore componere. Pergebant et alii pro pabulis jumentorum vitaeque necessariis, longius sese ab exercitu secernentes. Quod ubi per exploratores in civitate compertum est, convocatis optimatibus et magistratibus civitatis, episcopus suasit, pro bono civitatis, ut videlicet ipse laxatus a captivitate libere abire permitteretur, promittens et promittendo jurans, quod pro pace apud ducem nepotem suum fidelissime laboraret. Tum secundo ut in ducis populum nequaquam arma sumentes exirent, scientes indubie quod, si in civitate quiete manerent, ultra ullam veniam invenire possent; sin autem, importabile judicium sustinerent. Et quidem in oculis plurimorum, quibus erat mens sanior, sermo hic bonus visus est. At viri Belial cum ignobili vulgo nolentes cedere, et credere dedignantes, eligebant insidiose hostes impetere, quos incautos praesumebant decipere et victoriam reportare. Itaque qui putabantur fugisse, ecce coram oculis sunt, et super incautos repente irruunt in multitudine magna, et gravissimus conflictus exoritur. Resistere viriliter de populo ducis nonnulli malebant, quam turpiter aufugere, et, quia inermes, cadebant in ore gladii nedum plebei et vulgares, quin etiam militares et nobiles. Nec mirum. Varius est enim eventus belli, et nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Plerique ad tempus dorsa praebuere, donec armis protecti, ad pugnandum idonei redderentur. Fortissimos quoque milites subita bella conturbant, et ante coguntur fugere, quam possint arma corripere. Factumque est ut, post longam decertationem, domino de Ravesteyn cruenta victoria proveniret, et adversarii etiam, non sine magna strage suorum, fugere cogerentur. Hi ergo reversi, et jam aliter quam ante consulti, juxta Scripturam dicentem : « Sola vexatio intellectum dabit auditui; » et ipsi fieri cupiebant, quod paulo ante fieri recusabant. Sic quoque contigit episcopum, una cum legato apostolico de captivitate laxatum, educi ad dominum de Ravesteyn per militem egregium Johannem de Wilde. Qui ubi eminus hostes vi-

dit, abeunte episcopo, in civitatem ad suos remeare festinavit. Sane in hoc evidenter apparet episcopum, ut promiserat, quaesiisse bona genti suae, qui post biduum recessus sui consilium bonum literatorie ei dederit; ut videlicet civitatem sollicita custodia protegeret, et in ducis populum denuo non exiret, ne deterius contingeret ei.

CAPUT XXX.

Qualiter in machinatione doli erga ducem Leodienses deprehensi sunt.

Sequebatur e vestigio dux, veniensque obsedit Leodium, et rex cum eo. Sed o mirandam mutationem cordis humani, non dexterae Excelsi! Rex iste prius Leodienses inter suos amicissimos computabat, dans eis protectionis suae salvagardiam; nunc autem ut hostes aggreditur debellare eos. Inque signum offensionis super eos misit yraldum a latere, qui praeconaria voce in civitate clamaret et diceret: Vivat dux Burgundiae! Nec satis erat ei per apparitorem suum id agere; quinimo in foro captae civitatis, per semetipsum, alta importunaque vociferatione, intonuit dicens: Vivat dux Burgundiae! Isti in illo totius spei suae figebant anchoram; faciebat enim eos confidere in verbis literarum suarum. Nunc promissorum omnium immemor, nedum desilit ab eis, verum etiam inimicatur eis. Volebat rex anno praeterito sumere arma contra ducem pro Leodiensibus: jam sumit arma pro duce contra Leodienses. O quam salubriter nos admonet Davidica vox dicens: « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. » Denique Jeremiae verbum est: « Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. » Sed ad propositum revertamur. Supplicantibus duci Leodiensibus per episcopum suum, pro pace danda, renuntiavit dicens: « Filios mortis constituistis vos. Nihilominus in hoc feriam vobiscum pactum, et non aliter, si vosipsos et uxores vestras, et filios, si bona vestra et civitatem dederitis mihi. » Multorum habuit opinio, quod nonobstantibus his minis ducis, Leodienses ultra ullam in conspectu ejus veniam invenissent, et judicium mitius experti essent, si juxta consilium episcopi continuissent se a malefaciendo. At illi desperatione confracti, et bonorum omnium increduli, repu-

tabant gloriosius esse stare pro civibus, leges patrias defensare viriliter, et pro patriae libertate pugnare fortiter usque ad internecionem, quam timide cedere et enerviter expugnari. Videntes itaque prioris nequitiae adinventionem sibi non posse proficere, aliud, quod nequius erat, fallendi genus inveniunt. Quid enim? Assumunt sibi, et tunicarum suarum superficiei insui faciunt sancti Andreae crucem; et in silentio noctis ducis castra intente perlustrant. Quis enim prohiberet eos, qui per tale signum non hostes esse, sed satellites videntur? Et nonnullis nobilibus puerulis, qui erant in comitatu ducis, latenter occisis, progredientes perveniunt ad tentorium usque ducis, cum quo rex erat, ut perimerent eum. Sed anteaquam, quod cogitaverant, possent implere, cogniti sunt, detecti sunt, in astutia sua deprehensi sunt, eo quod voce patria loquerentur, quae aliorum Gallorum loquelae dissona est in parte non modica, et clamoris, qui per singulas noctes in castris novus et secretus habetur, mysterium ignorarent. Mox quoque pars maxima hominum simulatae amicitiae trucidata est. Interiit quoque dominus Johannes de Wilde, miles strenuus, cujus opere et industria episcopus se tempestive evasisse gavisus est. Felices sese arbitrabantur, qui mortem, quam meruerant, quacumque via potuissent evadere. Unde furore nimio stimulatus dux juravit per Deum et sanctum Andream, quod de loco non abscederet, donec illum funditus evertisset. Jussit quoque accelerari negotium, et per ascensum aggerum et vallorum capi civitatem. Non enim propter fortissima propugnacula patuit eis introïtus civitatis. Et factum est ita, Leodiensibus in finem usque fortissime repugnantibus. Inter eos autem qui corruerant gladio, dum postea ventum est ad caesorum spolia detrahenda, inventi sunt religiosi de ordine Francisci ac mulieres interiisse.

CAPUT XXXI.

De inaudita crudelitate hostium.

At quia fortior dux fuit et invaluit, jure praelii Leodium cepit, spoliavit, delevit, anno ab Incarnatione Domini MCCCCLXVIII, in vigilia omnium Sanctorum. Cumque Leodium debellaturus intraret, vox in Rama audita est, plo-

ratus et ululatus, Leodium plorans filios suos. Tantus subito clamor excrevit, tantus ejulatus insonuit, ut vix continuata in lacrymis vox posse finiri videretur. At hostes ipsi, belluina crudelitate hominem diffitentes, nil prorsus aliud sitiebant quam sanguinem humanum et aurum. A quorum facie fugit populus hinc inde, sicut oves a facie luporum, amisso pastore, fugere solent. Plurima autem multitudo, sub omni celeritate civitatem egressa, Arduennae sylvam expetiit, ubi prae frigore, fame, inedia et moerore tabescentes innumeri perierunt; nonnullos persequens eos hostilis gladius interemit. Fugerunt et alii in copia magna in exteras regiones, ubi manentes adhuc natale solum nullatenus repetere permittuntur. Fugerunt et alii in basilicas, sperantes se illic a facie gladii tutos esse debere, sed proh dolor! locus refugii factus est asylum periculi; domus orationis mutata est in macellum occisionis, et ubi vita conservari debuit, mors inventa est. Non coërcuit hostes a scelere timor Dei, non sanctitudo templi, non sacrorum reverentia, non desolatorum lugubris instantia, quin impetuose irruerent in eos, et scelestis manibus obtruncarent. Ubi enim illi aris proximi precibus insistebant, accedebant et isti, et ita validis ictibus perimebant eos, ut sanguis occisorum et rubricaret pavimentum, et in ornamenta celebrantium resultaret. Fuerunt certe inter eos, qui in basilicis interempti sunt, filii justae necis, nam et innoxios in conspectu Dei occubuisse non dubium; ubi, quaeso, sacer ille canon est: « Reos sanguinis defendit ecclesia, ne vitam perdant et membra?» Hujusmodi christianos in hac parte profaniores ethnicis et paganis nemo qui dubitet. Alaricus, rex Gothorum, vastata captaque Roma, inimicis devictis veniam praestare et parcere volens, praeconis voce clamabat: «Quisquis ad apostolorum et martyrum templa convolaverit, salvus erit. » Tunc, etsi non nunc, sanctorum Christi basilicae ad se confugientes servabant immunes; illuc usque cruentus saeviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor. Illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus extra ipsa pepercerant loca, ne in eos invaderet; qui similem misericordiam non habebat. Qui tamen etiam ipsi alibi truces atque hostili more saevientes, posteaquam ad loca sacra pervenissent, ubi fuerat interdictum quod alibi jure belli licuisset, tota feriendi refrenabatur immanitas et captivandi cupiditas frangebatur. Quamplures vero hostes evadere nequiverunt, utputa debiles et infirmi. Juvenes et virgines, senes cum junioribus, simul in unum dives et pauper reperti in plateis, absconditi in domibus et latibulis, diverso suppliciorum genere crudeliter interfecti sunt. Et

in mares cruentus mucro, uxoribus filiisque aspicientibus, saeviebat. Alii autem, data aut promissa pecunia ultra quam possent suae manus, domibusque ad corrigiam usque calceamenti spoliatis, redimentes sese abire sinebantur; si tamen virorum legalium fortuna secundior arrisisset, secus de ignobili scurrorum genere, quibus moris erat extorquere pecuniam et animas non salvare. Cumque, prioribus abcedentibus, supervenissent alii ad homines miserandos rebus omnibus denudatos, ut avaritiae famem explerent, non invenientes pecuniam, tollebant vitam. Erat autem illorum rabies efferata, ut in doloris augmentum nonnunquam miseros semineces derelinquerent in suo sanguine volutari. Nulla hostibus compassio miserorum, nullus pietatis affectus, nulla viscera miserationis. Utinam, utinam meminissent, quod judicium sine misericordia erit eis, qui non fecerint misericordiam! Laetabantur potius malefacientes, et in rebus pessimis exultabant. Nam quo plures quis occidisset, eo largioribus spoliis se ditatum esse gaudebat. Omne studium erat rapere, furari, inferre violentiam, mactare, perdere. De saecularibus taceo, quibus praesidium defuit omne. Tentabant etiam ecclesiasticos atque religiosos capere, et captivos abducere spe pecuniae extorquendae; verum principalibus mandatis exterriti desistebant a coeptis. Non parcebatur aetati tenerae, non deferebatur senectuti, quae juxta sapientem venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Insuper sexum femineum deturpabant. Lactantes in cunabulis aut suspendebant in fumario, hanc cum illis misericordiam facientes, ut non perirent in ore gladii, sed vapore fumi suas animulas exhalarent, aut certe matribus colligatos penitus mittebant in Mosam. Cogebant veteranos respicere sursum, moxque pugione guttura transfigebant. Neque omnino tuta fuit a spurcitiis ribaldorum religio sacra, sexusque femineus. Sanctimoniales violentiam passae sunt, defloratae virgines, corruptae feminae, et post earum abusum tractae et praecipitatae in Mosam. Nulla ibi discretio amici et inimici, inter bonum malumque distantia nulla. Captus quisque nec redemptus, aut vibrantem necesse erat exciperet gladium, aut graviora experiretur supplicia mortis, aut in profundos Mosae gurgites mitteretur.

CAPUT XXXII.

De immanibus sacrilegiis hostium.

Neque enim sacrilegis sufficere potuit habitacula saecularium omni privare substantia. Heu! quod est nequius, temerarie irruunt in divina. Heu! clades inaudita usque ad sanctuarium Domini devagata est! Etenim, quamvis non cito, profertur, ut Ecclesiastes ait, contra malos sententia. Absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Namque templa Dei ingressi, contaminant, violant, spoliantque, sacerdotalem ordinem habentes opprobrio, cultum Dei ludibrio. Mittebant ergo sceleratas manus particulatim incidi dignas, effractis armariis, ad sacrosanctos calices, ad ciborias, ad sacri olei vascula, diripientes ea, et hostias sacramentales ac oleum in altare vel in terram viliter effundentes. Intravit vice quadam ecclesiam hostium quispiam, dum missa fieret, cumque ablutionem celebrans suscepisset, accessit ille propius, calicemque de altaris medio nihil veritus tulit et abiit. Erat praeterea illorum unus laetus pro ciboria rapta, quam ferens sub assellas, interrogatus a socio quidnam ferret: Rem, inquit, optimam. Et productam ciboriam cognoverunt non argenteam esse, sed cupream, auro tamen tectam. Unde indignabundus ille, quasi rem contemptibilem pro labore nactus, projecit in lutum et recessit. Factum est autem hoc non procul a domo Fratrum Praedicatorum. Quibus dum immane sacrilegium innotuisset, venit unus illorum, et reverenter acceptam ciboriam, quae sacras in se hostias conservabat, reportavit ad ecclesiam suam, debito in loco reponens. Quis haec audiens non obstupescat et humanam insaniam et patientiam divinam! Quis tam duro corde, ut ad horum auditum non contremiscat, et tinneant ambae aures ejus! Quis sacrilegis non succenseat, et optando clamet: Suspendatur mola asinaria in collis eorum, et demergantur in profundum maris! Miserat Oza manus ad arcam, non ut eam raperet, sed ut ejus casum impediret, et morte mulctatus est. Qua, quaeso, morte mulctabuntur sacrilegi isti pollutas manus mittentes, non ad arcam foederis, sed ad ciborias dominici corporis et calices Salvatoris, damnatissima mente diripientes, comminuentes, et in profanos usus convertentes sacrosancta vascula, in quibus non figura latet, sed veritas patet; non umbra tenebrescit, sed lux clarescit. Sed quo culpa major exstitit, eo et poena gra-

vior erit. Rapiebant et libros, et ornamenta, remonstrantias quoque pretiosissimas, vasa diversi operis aerea, cuprea, stannea, argentea, aurea, imagines, capsas reliquiarum, et quidquid ornamentum ecclesia contineret, et ad altaris ministerium pertineret. Et ignominiose tractantes ea, in profanos usus convertebant. Atque ad explendum avaritiae saccum, plumbum de tectis, ubicumque poterant, auferebant. Campanas quoque fractas dividebant in minutias et tollebant. Utque sub compendio plura perstringam, quidquid complaceret oculis et animo blandiretur, secum sumebant; quidquid vile videbatur et reprobum, comminuebant. Denique nihil relinquentes intactum, sed omnia perlustrantes, aperiebant sarcophaga marmorea, existimantes se posse invenire aurum, ubi reconditae sunt cineres defunctorum.

.....Quid non mortalia pectora cogis.
Auri sacra fames?

Vix dux ipse per se ipsum basilicam Sancti Lamberti de impetu sacrilegae manus tueri valebat. Pari modo paria sacrilegia in monasteriis virorum atque feminarum eorumque basilicis ministri scelerum operati sunt. Ecclesia tamen Sancti Petri et nonnullae aliae, piaque loca, illorum praeoccupantes insaniam, sese, data auri et argenti ampla congerie, redemere. Singulari gratia fruita tunc sunt monasteria Canonicorum regularium et Fratrum Praedicatorum, quae protecta et ab insultu ribaldorum indemnia substiterunt. Cumque spoliata esset civitas illa magna omni genere opum, quibus non mediocriter affluebat, nilque superesset quod sacrilegum alliceret appetitum, igni tradita evanuit in favillas. Vim quoque grassantis incendii experiri coactae sunt nonnullae ecclesiae atque capellae, quae domibus collateraliter jungebantur. Collegiatas tamen ecclesias cum claustris suis, monasteria quoque ob custodiae sollicitudinem, quam dux adhiberi mandaverat, vorax flamma non consumpsit. Itaque ad nihilum civitate redacta, civibus quoque et perditis et fugatis, populus terrae hinc inde commorans ita talliatur in dies, sic opprimitur exactionibus et gravissimo tributo subjicitur, ut jam contra vicinos superbe mutire dediscat, vix vitam transigere, vix subsistere queat. Siquidem hinc angitur per extorsiones importabiles a vasallis episcopi, illinc vero violentius instant, diripere non cessantes, dominus Guido de Himberti-curia et qui cum eo sunt. Praeter illos autem spoliant, devorantque viri Belial, ut lupi longa fame cruciati, inopinate de

latebris erumpentes. Ita ut pulchre apteque propheticum illud facto hujuscemodi alludi videatur : « Residuum locustae comedit brucus, et residuum bruci comedit aerugo. »

CAPUT XXXIII.

Lamentatio super excidio civitatis propter peccata inhabitantium.

Quomodo sedes sola, civitas plena populo? facta es quasi vidua, domina populorum. Princeps provinciarum facta es sub tributo, imo sub exterminio. Jam cithara tua conversa est in luctum, chorus in planctum, et organum in vocem flentium. Honor tuus mutatus est in ridiculum, gloria in opprobrium, potestas in nihilum. Jam qui ad te oculos dirigeret, videret plane non faciem civitatis, sed solitudinis effigiem; nec cerneret habitationem hominum, crederet potius te quasi ferarum latibulum esse ac speluncam latronum. Nam portae tuae destructae, solo moenia coaequata, munitiones in gyro dissipatae, et domus tuae igni succensae sunt. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia tua, et abstulit Dominus omnes magnificos civitatis. Destruxit in furore suo omne robur tuum, et abstulit coronam spei tuae. Repulit altare suum, et maledixit sanctificationi suae. Ingressae sunt gentes sanctuarium suum, de quibus praeceperat, ne intrarent in ecclesiam suam, spoliandi causa, sed orandi. Sacerdotes tui gementes, virgines tuae squalidae, et ipsi religiosi oppressi amaritudine. Complevit Dominus furorem suum; effudit iram indignationis suae in te; inebriavit sagittas suas sanguine. Factus est tibi Dominus in crudelem; reddidit tibi duplicia pro omnibus peccatis tuis. Bibisti de calice indignationis suae usque ad faeces, et de vino furoris sui inebriavit te. Plaga, quae te percussit, insanabilis est; quare non adjicies ut resurgas. Plaga incomparabilis est, ita ut ex simili dicere possis : « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. » Plaga insuper valde crudelis, quae nec miserabilium miserata est, nec amicum ab inimico, nec justum ab injusto discrevit, nec minusculae pepercit aetati. Heu! heu! Arguit te malitia tua, et aversio viarum tuarum increpavit te. Scito jam et vide, quia malum et amarum est te reliquisse dominum Deum

tuum, et non fuisse timorem ejus apud te. Jesu bone, ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine? An oblivisceris misereri, Deus noster? An continebis in ira tuas misericordias? Signasti quasi in sacculo delicta filiorum transgressionis; quorum dum obliti essent, nonne haec condita fuerunt apud te, et signata in thesauris tuis? Ideo repulisti eos, et confudisti eos. Dedisti eos tamquam oves escarum, et in populis dispersisti eos. Leodium, Leodium, convertere ad dominum Deum tuum, ut ipse quoque convertatur ad te, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem aeternae vitae, ad quam nos perducat idem ipse, qui ternus et unus vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT HISTORIA COMPENDIOSA DE CLADIBUS LEODIENSIUM [1] : EDITA A VENERABILI SUPERIORE HUMILIS HUJUS MONASTERII, FRATRE HENRICO DE MERICA, ANNO DOMINI 1468.

1 Verba quae sequuntur, alia manu in cod. MS. exarata sunt.

THEODORICI PAULI, ALIAS FRANCONIS,

CANONICI GORCOMIENSIS,

HISTORIA DE CLADIBUS LEODIENSIUM

ANN. MCCCCLXV—LXVII;

EX COD. MS. CAPITULI ECCLESIAE CATHEDRALIS TORNACENSIS.

INCIPIT

HISTORIA DE CLADIBUS LEODIENSIUM DOMINI THEODORICI PAULI, ALIAS FRANCONIS, CANONICI SANCTI VINCENTII IN GORCHEM [1].

Anno Domini MCCCCLXV, illustris Karolus Burgundiae, comes de Sarloes, vocatus per proceres Franciae contra eumdem Ludovicum regem, intravit Franciam, tamquam princeps imperterritus cum quadruplici exercitu. Quorum primo praefuit tamquam capitaneus Ludovicus de Lutzeborch, comes Sancti Pauli, cum tribus suis filiis. Secundo praefuit Adolphus, frater ducis Clivensis. Tertio praefuit Anthonius, bastardus Burgundiae. Sed quartomet praefuit idem Karolus Burgundiae, manente tamen marscalco Burgundiae [2] cum magno exercitu in Burgundia, ad defendendum terminos ejusdem ducatus, et si opus esset ad praestandum praefatis principibus subsidium. Cum quibus Franciam intrans, ultra Parisios castra metatus fuit, exspectans adventum caeterorum procerum Franciae, in villa dicta Mondeleheri. Sed Ludovicus, rex Franciae, istis omnibus praestitis, habens maximum exercitum armigerorum, Karolo cum suis hostiliter ibidem occurrit. Et castra metatus est rex in eadem villa supra magnum montem et planum, situm in sinistra parte

1465. De exercitu Karoli

[1] Cfr. quae in praefatione §. III de auctoris vita et scriptis dicta sunt.

[2] Thibaud de Neufchastel, seigneur de Blammont, maréchal de Bourgogne.

villae et castri ejusdem villae. Ita quod difficulter patuit accessus ad eum, nisi cum magno discrimine partis adversae. Statimque rex acies suas terribiliter ordinavit contra Karolum Burgundiae. E contra Karolus perpendens quod ex eadem villa inito bello posset a tergo decipi et circumveniri ac circumcingi, misit expeditos vernaculos et armigeros cum diversis bellorum apparatibus ad conflagrandum penitus eamdem villam, et ad occupandum viam villae qua posset debellari.

Pugna cruenta.

Interea ex utraque acie horribiliter et formidolose sagittatum est in invicem per tres homines antiquos [1], unus alium invadebat bombardis et serpentinis, caeterisque machinis bellicis, ita quod multi corruerint. Tandem Karolus committens se Deo, audacter et animose regem primitus aggressus, viriliter bellavit. In quo ex utraque parte quam acriter pugnatum est, perlongum est [2]. In quo bello experiri animositas Karoli et probitas virilis audaciae ex magnanimitate mentis suae potuit. Et vere patenter potuit, ita quod de paucis principibus talia militaria acta eleganter et nobiliter peracta non inveniantur. Nam personaliter cum paucis fidissimis armigeris saepe perequitavit acies regis, dissipans et segregans exercitum inimicorum. Itaque multociens verberatus, ab adversariis expetitus fuit, ut se redderet captum; quos tamen adjutorio Dei viriliter pugnando repulit et profugavit. Ita tamen quod in tali anxietate fuit, quod recepit vulnus in collo, et licet non fuit valde magnum, tamen maxime formidolosum, quia prope guttur suum fuit. Quae omnia parvi pendens Karolus, prostravit et fugavit ex eadem villa et circa praefatum castrum adversarios suos, et nisi duo domini ex complicibus principis Burgundiae fugam maturassent, qui caeteris armigeris formidinem et timorem ipsorum clamore incussissent, procul dubio regem cum suis cepisset. Clamabant enim hi duo domini cum suis : *Socii, socii, fugiamus et liberemus nos. Karolus enim princeps non captus sed mortuus est. Fugiamus, fugiamus.* Cumque xv^{c} fere equites sic fugissent, Karolus hoc animadvertens tamquam leo imperterritus dispersos et segregatos revocavit, hos ipsos praesentia sua et dulcibus verbis animavit. Quod videns rex fugam cepit cum suis proceribus supra dictum castrum Mondeleheri.

De interfectis in praelio.

Tandem post occasum et ruinam multorum, Deo justo judice permittente, Karolus regem fugavit et campum victoriose cum multa laude obtinuit. Cor-

[1] Legendum : *Per tres horas continuas.* [2] Deest vox *dicere.*

ruerunt autem ex parte Ludovici, regis Franciae, multi potentes et nobiles. Ex parte autem Caroli Burgundiae corruerunt dominus de Hames, dominus Philippus de Lalaing, Johannes Massy, Philippus Dongys, Jacobus de Chasteller, Jacoyn de Page et Mopret, etc.; quorum animae requiescant in pace. Amen. Accidit autem hoc bellum altera die divisionis Apostolorum; datum belli in hoc metro:

e FranCIs VICtor CharLoYs Modo sedIt Ut HeCtor [1].

Quo finito Karolus, discredens regi, semper acies suas paratas ordinavit, cum quibus regem debellare posset. Quod videns rex, ignorans quomodo evadere manus suas valuit aut potuit, descendens de castro, revocatis militibus, acies suas denuo contra Karolum ordinavit. Et sic sagittando serpentinis et bombardis in invicem usque in crepusculum, multos ex utraque parte laceraverunt. Tandem rex nactus tempus opportunum celeriter fugam iniit cum omnibus suis versus Parisios, dimissis ibidem omnibus suis bellicis machinis, quia illa secum Parisios deferre propter imminens periculum non audebat. Et sic rex recedens, Karolus victor campum et triumphum obtinuit. Secundum bellum.

Putans itaque Karolus, quod rex Parisios se transtulisset, ad recensendum novos tyrones et armigeros recentes, permansit in Mondeleheri, scilicet in loco certaminis, per tres continuos dies, die noctuque acies suas paratas habens ad resistendum regi. Scilicet a feria secunda de mane, quae fuit festum divisionis Apostolorum [2], usque ad feriam quintam sequentem per totam diem stetit, qui sumptibus suis honeste sepelire [3] corpora occisorum tam amicorum quam adversariorum. Insuper mulier honesta pariens prolem in eadem villa illa die, petiit per maritum suum prolem baptizari et per principem Karolum ex sacro baptisterio elevari; quod et eleganter fuit [4].

Itaque feria quinta post solis occasum secessit per duo milliaria ab illo loco, donec perveniebat cum omni exercitu suo in villa Thates, et ibidem recepit nova de adventu principum ad ipsum venientium cum magno exercitu, scilicet quod celeriter cum magno apparatu militari advenirent, quamvis adhuc essent per tres diaetas ab ipso. Adventus principum.

[1] De praelio commisso apud Montem-Erycum exstat carmen ineditum inter cod. MSS. Bibliothecae Burg. n. 3837: *Liber Karoleidos sive bellum Montis-Herici*.

[2] Dies 15 Julii.

[3] Deest vox *fecit*, aut similis.

[4] Supplenda vox *factum*.

Karolus venit in Estampes.

Deinde feria sexta recedens ab illa villa, venit circa noctem in Estampes. Ibidem castra metatus, benigne receptus fuit ab incolis illius oppidi. Itaque recepit dominica sequenti claves tam castri quam oppidi. In quo castro reperta fuit magna aurea navis regis, et multa alia argentea clenodia regis, ex quibus illo die Karolo ministrabantur requisita. Feria secunda sequenti, venerunt illic magnifici principes dux Britanniae, dux de Barry, comes de Diviois, et multi alii principes Franciae cum perpulchro et magno armatorum exercitu eleganter exornato. Qui omnes castra metati fuerunt per circuitum et gyrum oppidi d'Estampes, demptis principibus et dominis qui in eodem pausabant. Qui invicem convenientes infinitum Karolo Burgundiae exhibuerunt honorem, et vice versa Karolus iisdem. Et permanserunt ibidem in magna laetitia usque ad ultimum diem mensis Julii, quod valde profuit vulneratis exercitus Karoli. Quo die omnes principes cum suis exercitibus recedentes, per viam dictam Beaniffe transfretaverunt illic per Secanam circa locum dictum Moret in Gasthinois, et in oppidum situm super flumen Yone, ubi occurrebant ipsis dux Calabriae et marscalcus Burgundiae, cum magno exercitu armatorum. Causa enim quare principes praefati conveniebant, erat ut compellerent regem ad satisfaciendum fratri suo duci de Barry et caeteris principibus, ad quos obligabatur.

De regis militibus.

Rex vero Ludovicus percipiens adventum principum misit circa quadragintas lanceas ad resistendum ipsis, ne ulteriorem progressum ad ipsum invadendum haberent. Et illos milites misit ex adverso illius rivi, ne transvaderent, quorum pontes ubique fracti erant; quos milites nostri crudelissime profugaverunt, multis ipsorum corruentibus, et sic pervenerunt circa Parisios, et obsidentes eam per sex hebdomadas, permansit Karolus ita prope civitatem, quod quotidie bombardis et caeteris machinis quassabat civitatem. Et mansit Karolus in castro principis patris sui dicto Conflans, sito super ripam Secanae. Cumque praefati principes sic Parisios per gyrum obsedissent, princeps sive dux de Barry, frater regis, et dux Britanniae miserunt satellites suos ante oppidum Pontoyse, quod quadam compositione sibi subjugarunt. Insuper dux Borboniae personaliter cum omnibus suis armigeris secessit, et obtinuit cum quadam compositione, mediante relicta drossati Normanniae, qui succubuit et obiit in bello de Mondeleheri, castrum et civitatem Rothomagensem. Quod percipiens rex valde doluit.

Obsidio ante Parisios.

Pacis conditiones.

Tandem per interloquia magnatum pax rediviva ordinata fuit inter regem et praefatos principes, ita quod rex commisit Karolo Burgundiae totum pon-

dus disponendi negotia regalia, et dividendi unicuique partem regni Franciae, secundum beneplacitum suum[1]. Et sic Karolus edixit, quod dux de Barry, frater regis, acciperet in feudum a Ludovico rege Franciae, fratre suo, ducatum Normaniae, etc. Itemque rex libere contulit Karolo Burgundiae omnia dominia redempta per regem, mediante domino de Croy, a Philippo duce Burgundiae patre suo, insuper praeposituram ultra fluvium Sommae, quam Philippus dux Burgundiae pater suus nunquam possidebat; addens ei civitates infra scriptas : Peronam, Roye et Mondidier cum suis constrictibus, perpetuis temporibus ab ipso et suis haeredibus possidenda. Similiter comitatum Boloniensem et comitatum de Ghysen[2], et expulit rex ab illo comitatu de Ghysen, dominum de Croy, qui fuit comes illius comitatus, eo quod rex sibi pridem contulerat. Obtinuitque idem Karolus Burgundiae a rege Franciae, quod rex praefatum dominum de Croy et filios ejus, et dominum de Rymay cum filiis suis, et dominum de Lannoy, et complices eorum eliminaret extra regnum suum; et quod idem nobilis princeps Karolus posset eos per totum regnum Franciae persequi, capere et occidere, et bona eorum rapere tam in Francia quam alibi absque permissione regis, quod et fecit. Fuit enim iste dominus de Croy summus consiliarius Philippi ducis Burgundiae, et omnia ad nutum ejus disponebantur; fuit enim idem dominus de Croy, in principibus ducis Burgundiae, sicut Joseph sub Pharaone in Aegypto. Sed, ut famabatur, magnam discordiam seminavit inter ducem Burgundiae et Karolum filium ejus, ita quod modo ab aliquibus annis eum videre noluit. Sed tandem isto eodem anno, videlicet Domini MCCCCLXV, in parasceve Domini pax salubris reformata fuit[3].

Isabella Karoli uxor moritur.

Eodem anno, Karolo adhuc in Francia ante Parisios cum exercitu suo permanente, obiit illustris conthoralis sua Ysabeet de Borbonia [4] in festo sanctorum Cosmae et Damiani in Antverpia, in abbatia ordinis Praemonstratensis. De cujus obitu nimium turbatus Karolus valde doluit.

Nomina principum.

Fuerunt enim hi principes qui erant ibidem congregati contra regem, primo dux de Barry, frater regis, dux de Humayne, avunculus regis, qui fere neutraliter se habuit in omnibus et semper ad pacem laborabat, dux Calabriae,

[1] Cfr. apud Gachard, *Collection de documents inédits*, tom. II, p. 225 et 227, Ducis Caroli literae, die 3 Octobris et die 26 ejusdem mensis 1465 scriptae ad Philippum patrem et ad magistratum Mechliniensem.

[2] Le comté de Guynes. *Gisna*.

[3] Immo exeunte mense Octobri 1465 penitus composita fuit.

[4] Isabella Borbonia, quam sub finem anni 1454 Carolus sibi connubio junxerat.

filius Reyneri regis Ceciliae [1], dux de Borbonia, dux de Britannia, comes Karolus de Burgundia, princeps de Nemours, comes de Dunoys, comes de Labrecht [2], comes de Armyange [3], comes de Loyach [4], comes de Bueil, de Savigni [5], comes Sancti Pauli, comes de Dammartin, qui omnes salarium et dominia a rege per expressionem Karoli principis Burgundiae [6]. Quibus omnibus regaliter et bene dispositis, cum Karolus decrevisset repatriare, postquam multoties et caeteri principes cum Karolo pransi fuissent, venit rex valde mane audire prius missam ad sanctum Anthonium, ad quem accedens Karolus voluit ante recessum suum adhuc salutare regem, quem rex benigne per totam missam retinuit. Qua finita, rex ascenso equo suo comitabatur Karolum per totum diem, donec perveniret circa noctem ad Villers de Bel, quorsum permanserunt in magna laetitia fere quatuor diebus insimul, ita quod nullus potuit perpendere, quantum ultra modum sese mutuo deligebant: et semper rex protulit, quod in neminem alium in tantum confidebat sicut in Karolum Burgundiae. Et ibidem cum magna honesta recesserunt ab invicem.

Leodienses rebellant. Interea dum Karolus sic per totam aestatem cum grandi exercitu obsedisset Parisios, Leodienses, tamquam insani rebelles Deo et ecclesiae, valde invaserunt ducatum Brabantiae, Lymburgiae, etc. Insuper munierunt ecclesiam in Montenaken ad modum castri, facientes eam speluncam latronum, multaque mala ex ea circumquaque peragentes, habentes refugium denuo ad eam tamquam ad castrum. Quare Philippus dux Burgundiae, Brabantiae, etc., necessitate compulsus, licet multa mala per Leodienses perpetrata spe boni dissimulasset et sustinuisset, et nihil inde profecisset, ordinavit potentes capitaneos, videlicet Johannem ducem Clivensem, Johannem comitem de Nassauwen, drossatum Brabantiae, dominum de Gruythusen, regentem Hollandiae, Johannem, dominum de Wassenaer, dominum de Gaesbeeck, comitem de Ferraria ex Longobardia, domicellum de Mandersceit, dominum de Hancoet [7], qui e contra per comitatum Lossensem ubique villas depraedando combusserunt. Itaque dux Clivensis altera die sancti Lamberti vicit Loesbosch, ut videre est in hoc metro:

LaMbertI prIdIe CLeef LoesbosCh Vespere VICIt.

Et habentur anni in eodem metro.

[1] *Siciliae.* [2] Le comte d'Albret.
[3] Le comte d'Armagnac.
[4] Le sire de Loheac.
[5] Legendum: *Tanneguy Duchatel.* [6] *Acceperunt.*
[7] Forsitan legendum: *Jaucourt* (Jean de Jaucourt, chevalier, seigneur de Ruyères).

E contra Leodienses, viriliter eis resistere putantes, obviaverunt in manu forti, sabbato ante festum sancti Lamberti, in villa dicta Geet-Beets; et facto congressu ceciderunt ex parte Leodiensium centum et viginti homines, quod caeteri videntes fugam inierunt. Insuper in profesto sancti Michaëlis[1], in eodem loco ceciderunt ex parte Leodiensium xi armigeri. Itemque sabbato ante festum sancti Victoris corruerunt ante portas oppidi Sancti Trudonis centum et duo de oppidanis ejusdem oppidi. Itemque in profesto sanctarum Undecim Millium virginum[2], venerunt praefati capitanei ex parte ducis Burgundiae in villa dicta Montenaken, cum quatuor millibus equitum, comburentes eamdem villam et fere omnes villas circumjacentes. Sed cum in reditu post prandium recedere decrevissent, deliberaverunt prius comburere molendinum ejusdem villae de Montenaken. Quod perpendens capitaneus Leodiensium, cauto posuit insidias cum tribus millibus armatorum ad debellandum praefatos dominos et capitaneos ducis Burgundiae. E contra praefati domini hoc attendentes, ordinatis aciebus bellicis, conflagrato molendino, eos invaserunt et penitus fere deleverunt, demptis equitibus qui fugam inierunt celerrime versus Leodium. Ceciderunt autem ex parte Leodiensium xviii°.

Leodienses cadunt in ore gladii et debellantur in Montenaken.

Altera autem die, praefati capitanei redeuntes munitam ecclesiam de Montenaken, exportato humillime et reverenter corpore Christi cum reliquiis Sanctorum, cum omnibus in ea existentibus conflagraverunt, et ecclesiam funditus destruxerunt[3]. Cujus anni et destructio notantur in hoc metro:

Concrematur Montenaken.

Montenaken CeCIdIt, hoC In praeLIo pVto fVLsIt.

Post hoc feria secunda post festum omnium Sanctorum in oppido dicto Herck prostraverunt sex armigeros Leodienses praefati, in platea dicta platea Judeorum. Tandem Brabantigenae ubique eos vel occiderunt vel profugaverunt, licet etiam cum discrimine suorum, quod patet in his metris: 1465.

LegIa IaMqVe taCe CIto *te* BrabantIa VICIt:
HIC bene sI nVMeres LeodInos tVnC CIto sCrIbIs.

Tandem anno sequenti, in Januario, venit Karolus Burgundiae cum infinitis armigeris in terra Leodiensi, ut eos debellaret ex omni parte. Videntes 1466.

Pax initur.

[1] Die 28 Septembris.

[2] In profesto S. Ursulae et sociarum, die 21 Octobris.

[3] Cfr. supra p. 29.

25

igitur Leodienses cum comitatu Lossensi, ingentem nimitatem et potentiam ejusdem Karoli, statim reddiderunt se humiliter pietati et gratiae clementisimi principis Philippi Burgundiae et Karoli filii sui. Et sic inter caetera pax [1] ordinata fuit, quatenus episcopatus Leodiensis et comitatus Lossensis darent in certis annis vi^{m} florenorum rhenensium praefatis principibus, pro damnis sibi illatis. Insuper quod Philippus, dux Burgundiae, et Karolus ejus filius manerent perpetui mamburni ejusdem episcopatus et comitatus, et post eos duces Brabantiae. Cujus anni pacis notantur in hoc metro :

LegIa LaetatUr JaM CharLoLo paCIfICatUr.

1466. Dionantum expugnatur.

Anno Domini MCCCCLXVI, cum Karolus esset in Arthesia et in confinibus Franciae, Dynantenses infecta pace receperunt multos armigeros in ipsorum oppido, cum quibus depraedabantur Hannoniam, Brabantiam, Namurcum et Lymburgensem ducatum, spoliis, incendiis et rapinis, fingendo multa falsa convicia contra ducem et ejus gloriosum filium Karolum [2]. Quare praefati principes, recollecta militari manu, dirissime obsederunt eam cum quatuor magnis exercitibus, scilicet feria secunda infra octavas assumptionis Virginis Mariae, quam et potentialiter, feria secunda sequenti, scilicet altera die sancti Bartholomaei apostoli, oppresserunt et vincendo funditus destruxerunt, occisis seu fugatis omnibus Dynantensibus, demptis illis qui callide pridie fugam inierunt. Et sic devastata civitas in solitudinem redacta fuit, destructis solotenus ecclesiis, monasteriis, muris et turribus, et omnibus domibus ejus. Quod [3] fuit opulentissimum, ditissimum et potentissimum totius episcopatus, dempta civitate Leodiensi. Fuerunt autem mercatores ejusdem Dynanti ditissimi et ubique famati. Tempore vero obsidionis quo Karolus obsiderat Dynantum, fuit Philippus pater ejus, dux Burgundiae, in castro Namurcensi cum grandi militia ad obviandum Leodiensibus, si opus fuisset, si voluissent venire Leodienses cum magno exercitu ad adjuvandum Dynantenses, sed non comparuerunt aliquo. Victa enim civitate Dynantensi, inclytus dux Philippus commisit deinceps totum pondus belli dilecto filio suo Karolo, comiti Kadralensi, etc., et ipse qui senio premebatur, vacabat contemplationi, orationibus et quieti.

[1] Quibus legibus data fuerit pax, mox a Leodiensibus proximo mense Aprili violata, latius exponitur supra, p. 30 et seqq.

[2] De Dionantensium protervia vide quae scribit Henricus de Merica, supra p. 148.

[3] *Oppidum*. Vid. infra p. 206.

qui dehinc, scilicet anno Domini MCCCCLXVII, die quindecima mensis Junii, obiit Brugis, in feria secunda, sive die lunae, Karolo tunc in Gandavo existente. Qui demandatus venire apud principem patrem suum agonizantem tam celerrime equitavit, quod omnes suos fere militares secum equitantes prae nimia festinatione praeequitavit et antecessit, habens et requirens in via praeter primum suum equum duos alios. Adveniens, agonizantem ipsum inveniens, valde doluit. Igitur altera die cum magna solemnitate exequiae ipsius celebrantur in ecclesia Sancti Donatiani, in quo corpus ipsius insepultum longo tempore permansit. Sed corpus ipsius auro et gemmis ornatum missum fuit, ut petierat, ad ..... [1] in ecclesia, dominica resurrectionis per episcopum Atrebatensem, cum magno statu et familia et cum multis clenodiis. Intestina vero ejus recondita fuerunt in puro vase in ecclesia sancti Donatiani ante summum altare. Cujus anima requiescat in pace. Obitus Philippi ducis Burgundiae.

Post cujus obitum Leodienses contra jusjurandum et fidelitatem promissam, denuo infecta pace, rebellaverunt confusibiliter contra ipsorum episcopum Ludovicum, et praecipue contra Karolum jam ducem Burgundiae, ordinantes in plerisque oppidis et villis publicos caminos et fornaces impletas igne, in quos more causae factae projecerunt animam ejus [2], ac si daemones ipsam a Deo damnatam, propter commissa in dioecesi Leodiensi, projecissent in infernum aeternitaliter cruciandam. Insuper decantabant derisoria, ficta et composita per ipsos in confusionem ipsius. Ultra ista omnia intraverunt fere ómnia oppida episcopatus et comitatus Lossensis, confinia Brabantiae, Lymburgiae et comitatus Namurcensis, armata manu; quae diurnatim expugnando commiserunt magnae depopulationis excidium, de quibus pro ipsorum beneplacito, acceperunt magnam praedam multimodae facultatis, occisis et captis multis incautis et innocentibus. Haec et infinita alia mala perpetrantes per totam aestatem, ultra pacem factam, gaudebant in transgressionibus et ma- Leodienses rebellant

[1] Desunt verba *Divionensem Carthusiam*, vel similia. Hujus enim principis corpus in aede D. Donatiani Brugis regia magnificentia depositum fuerat, donec mortua post conjuge, ambo Divione, uti jusserat, majorum sepulchro inferrentur. *Si fut le corps de ce noble prince*, inquit Olivier de La Marche, *porté solennellement, à grand deuil, souspirs et larmes, en l'église de Sainct Donat, audict Bruges, où il reposa, et fut gardé jusques on le mena en Bourgongne pour estre sepulturé ès Chartreux de Digeon, avecques ses prédécesseurs. Les préparations furent faictes pour mener le corps du duc Philippe en Bourgongne, et aussi le corps de madame Ysabel de Portugal, duchesse de Bourgongne, laquelle, après son trépas, gisoit à Gonnaut* (Édit. de Petitot, tom. II, p. 268).

[2] Ducis Philippi.

litiis ipsorum, scientes Karolum, jam defuncto patre, plerisque arduis causis occupatum propter diversos suos principatus.

Karolus terram Leodiensem intrat.

Igitur homagiato Karolo, duce Burgundiae, prius in Gandavo, deinde in Mechlinia et Lovanio et Bruxella, etc., collegit immensos bellatores et strenuos viros ac audaces, cum quibus die XIII^a^ mensis Octobris in signis variis et tubis stridulis idem illustrissimus princeps Karolus, commotus propter crudelitatem et infidelitatem ipsorum, secessit a Bruxella cum grandi militia versus territorium Leodiense, propter rebellionem eorumdem. Praemisit itaque fere totum exercitum, et diffudit per totum episcopatum, ipso manente in Thenis. Milites fere omnia igne et ferro devastabant. Qui dehinc eodem anno, in profesto sanctorum apostolorum Symonis et Judae, strictissime obsedit oppidum Sancti Trudonis. E contra vero Leodienses cum duodecim millibus armatorum venientes cum tentoriis et papilionibus et caeteris armis bellicis ac cum copia victualium, vini, cervisiae, bladorum, caeterorumque eduliorum ad succurrendum praefato oppido obsesso, etiam ad invadendum praefatum principem Karolum ducem. In quorum comitatu Leodienses etiam habebant sacerdotes, canonicos, monachos, quos violenter cogebant proficisci secum contra ducem Burgundiae, adeoque amici et fautores ducis suspicabantur et arbitrabantur esse, quos etiam in prima acie ordinabant. Veneruntque animose Leodienses prope exercitum principis, in profesto apostolorum Symonis et Judae hora vesperarum. Quibus cognitis per exploratores, dux inclytus animose decrevit, ordinatis aciebus bellicis, eis occursare equester et pedester cum micantibus et fulgidis vexillis; quibus invicem conglomeratis inhorruit cruentum praelium. Quod videns Raso, dominus de Heers, capitaneus summus Leodiensium, et caeteri capitanei perpendentes magnanimitatem principis ac invincibilem potentiam ejus, celerrime fugam inierunt versus Leodium. Cum tamen idem dominus Raso, edictum praeconizare et declamare praeceperat, quod omnes fugientes occiderentur, et uxores et filii ipsorum privarentur bonis ipsorum. Sed ipsemet primitus cum dedecore a bello fugit, dimissis caeteris in periculo mortis. Quod Leodienses attendentes consimiliter fugam arripiunt, quantocius potuerunt, versus Leodium, dimissis ibidem suis tentoriis cum caeteris victualibus. Corruerunt autem ex parte Leodiensium fugientium et succumbentium circiter tria millia. Et quia nox instabat, ideo non longe Burgundiones persequebantur Leodienses. Sed redeuntes victores, demptis victualibus et caeteris bellicis machinis, invenerunt centum bombardos

Praelium cruentum.

et quatuor vexilla Leodiensium; quae omnia secum adducentes erexerunt vexillum ante faciem oppidi jam obsessi, et cum bombardis valde terribiliter praefatum quassaverunt oppidum. Altera vero die, scilicet in festo sanctorum Apostolorum praefatorum, quod erat feria quinta, illustris Adolphus de Clivis, dominus de Ravesteyn, audiens ingentes Leodienses latitantes in quodam dumeto, statim eos cum grandi exercitu per gyrum circumcinctos debellavit et occidit. Sed ante obsessum oppidum Sancti Trudonis, Karolus per suos vicit oppidum Beringhen, quod pro magna parte combussit. Insuper vicit potenter oppidum Borchloen, quod exspoliatum sibi retinuit, armis et armigeris suis implevit, et munivit contra Leodienses.

Expugnatio quorumdam oppidorum.

Interim illustris Karolus cum suis in tam diversis incursionibus et quotidianis assultibus, ballistis, bombardis et fundibulis tam acriter infestavit oppidum Sancti Trudonis, strictissime obsessum, quod fatigatos eos guerris et obsidione, gratiam ejus quaerere coarctavit. Nam videntes Leodienses fugere et succumbere, ut dictum est, et vexilla eorum in despectum erecta ante oppidum ipsorum, multum anxiati videntes se non posse resistere, justitiae atque pietati principis Karoli, postquam Leodienses devicti fuerant, per conamicabiles internuntios humiliter ad principem demissos hoc modo reconciliati sunt: videlicet, quod irent in gratiam principis salva vita ipsorum; et quod de instanti funditus destruerent portas et muros oppidi, et fossata humo implerent; insuper praestarent fidelitatem mediante solemni juramento episcopo et principi, et quod nunquam in contrarium eis aliquid attentarent per se vel per alios, sed fideles et obedientes praeceptis episcopi et Karoli ducis in omnibus, illo salvo quod episcopus aut dux illos defenderet contra quoscumque grassatores et transgressores. Praeterea dux vellet eligere duodecim ex illo oppido quos vellet, et cum illis vellet disponere juxta voluntatem suam, aut occidendo aut gratiam eis tribuendo. Voluit enim eligere ex consulatu, qui communitatem ad rebellionem contra episcopum et ipsum animaverant. Sed precibus piorum et nobilium liberati fuerunt illi duodecim eligendi, sed darent annuatim grandem quotam pecuniae duci pro forefactis et damnis episcopo et principi illatis. Istis sic ordinatis statim incolae Sancti Trudonis gavisi laudaverunt Deum, et omnes in signum obedientiae et pacis exierunt portas, et occurrentes duci nudipedes, discoopertis capitibus, procidentes ante pedes principis, petierunt dolentes veniam de commissis, jurantes et promittentes litteris et sigillis nunquam rebellare. Quos dux benigne surgere

Oppidum S. Trudonis expugnatur. Incolae ad pacem recepti.

praecepit, et se emendare admonuit, et indulsit eis ex pio corde, illo salvo, quod ante ingressum ipsius cum suis nobilibus dejicerent portas funditus et muros. Illi gaudentes laboraverunt die noctuque ad implendum praeceptum principis. Disruptis et confractis portis et maxima parte murorum, dux solemniter per eos fuit introductus. Exercitus vero intravit oppidum per loca fossatorum oppidi, quo muris et humo repleta fuerant, et sic obsidio dissoluta fuit. Acta fuerunt ista anno praedicto, septima die postquam oppidum obsedisset. Et sicut venerant in profesto Symonis et Judae, quod tunc fuit in feria tertia, sic feria secunda sequenti reddiderunt se gratiae principis. Et sic Karolus victoriosus dux infra septem dies tantum vicit oppidum.

Tungri se dedunt. Quibus sic dispositis ante civitatem Tungrensem, quondam caput totius episcopatus, eo quod in ea primi episcopi cathedrabantur et dicebantur episcopi Tungrensium, cum dux decreverat obsidere, et strenuus miles dominus de Blammont, marscalcus Burgundiae, cum suo exercitu praecessisset ad circumvallandam civitatem, venissetque circa noctem prope fere per medium milliare, ut in crastinum obsideret eam, ecce venerunt ex praefata civitate nudipedes et multum dolentes et humiliter viri tribuniciae dignitatis ejusdem civitatis, offerentes flexis genibus marscalco Burgundiae, loco et nomine Karoli ducis, claves portarum Tungrensium, petentes amaro et contrito corde recipi in gratiam principis, et quod de ipsis et bonis ipsorum et civitate disponeret ad voluntatem principis, sicut vellet; illo salvo, quod jurejurando sese vellent obligare sub poena mortis nunquam de caetero contra principem Karolum et Ludovicum episcopum rebellare. Quod audiens praefatus marscalcus, capitaneus exercitus, ipsos surgere praecepit, et consolatus eos, statim ex parte principis recepit eos ad gratiam. Jussitque praeconizare per totum exercitum, buccina praecedente, quod nullus molestaret oppidum Tungrense, vel incolas depraedaretur sub poena capitali. Statimque pietate motus marscalcus Burgundiae remisit secure denuo aliquos in civitatem ad consolandum oppidanos, et aliquos illa nocte secum duxit ad principem, enarrans omnem subjectionem ipsorum. Princeps vero perpendens caniciem venerandorum senum Tungrensium recepit eos propter Deum in suam gratiam, salvis conditionibus praefatis, ut sine dilatione confringerent portas et muros oppidi eorumdem, et adderent pro damno inflicto et rebellione quotam pecuniae ipsis assignandam. Quod fidissima promissione promittentes perfecerunt, qui cito redierunt a Karolo ad ipsorum oppidum sine aliqua dilatione. Eadem die

venerunt fere omnes aliae civitates comitatus Lossensis et episcopatus, dempta civitate Leodiensi, et consimiliter reddiderunt se victos clementiae Karoli. Quos clementissimus dux propter Deum recepit in gratiam, ne fieret effusio sanguinis christianorum, salvis conditionibus praefatis et multis aliis mihi incognitis. Sic ergo omnia oppida et civitates episcopatus sine aliqua dilatione protinus fregerunt portas, praesidia, fortalitia et muros suos, ita quod patebat introïtus et exitus per diem et noctem sicuti in ruralibus villis.

Obsidio civitatis Leodiensis.

Quibus dispositis venit animose idem victoriosus Karolus princeps cum omnibus suis exercitibus in vigilia sancti Martini, episcopi Turonensis [1], et obsedit potentissima obsidione audaces, animosos et duros Leodienses, praecipiens attamen ne festo sancti Martini quidquam molestiae vel mali quoquo modo civitati inferrent, propter reverentiam sancti Martini, eoquod illo die natus fuit, quod et factum est. Attamen audiebantur illo die in Leodio magni clamores.

Leodienses veniam petunt.

Altera vero die, venerunt primiceri et consulatus civitatis Leodiensis, petentes benigne loqui cum principe causa pacis. Quos princeps primitus nec audire nec videre dignabatur. Demum propter magnas instantias nobilium et magnatum, et praecipue propter nimiam humiliationem et veniae implorationem Leodiensium, recepit eos in gratiam, salvis conditionibus infra scriptis, cujus pacis anni notantur in hoc metro :

Legia nIL LUCe perManet absqUe CrUCe.

Pacis conditiones

Itaque primo, quod de instanti destruerent omnes portas et muros civitatis Leodiensis per gyrum, et replerent humo fossata. Secundo, quod statim redderent duci omnia genera armorum, sive omnia arma bellica pertinentia civitati Leodiensi et civibus ejusdem, cum quibus princeps ordinaret juxta beneplacitum suum ; ut non haberent unum vel cum quibus se defenderent, vel in quibus confiderent, ne essent occasio et causa transgrediendi et delinquendi. Et quicumque burgensium aut civium aliquid de illis abscondendo sibi retineret aut reservaret, ille absque judicio privaretur bonis suis et vita temporali. Et sic dux recipiens omnia instrumenta bellica, bombardos, parvos et magnos, gladios, gesa [2], balistas, secures, amfraxas [3], lauricas, galeas, etc. ; misit

[1] Anno 1466, die 10 Novembris. Cfr. supra p. 42 et seqq.

[2] *Gesa* vel *gessum*, hasta seu jaculum.

[3] Instrumenta ad effrangendum idonea.

illa omnia per totam suam provinciam in omnibus suis civitatibus et castris.

De cultellis.

Item, quod nullus Leodiensium, tam in civitate Leodiensi quam in aliis parvis oppidis et villis, portaret sive gestaret magnum cultellum, sed solummodo parvos, cum quibus posset commode panem ad edendum scindere; et illi cultelli non haberent finem acutum.

De tollendo Perone.

Itemque quia habebant civitates episcopatus in foro ubique quoddam aedificium ornatum.... [1] Pyronem, in quod fere divinabant et augurabant; illa praecepit dux removeri in omnibus oppidis et destrui sive evelli, et in locis aliis suorum principatuum relocari. Una pyrona civitatis Leodiensis reconstructa et relocata fuit Brugis.

De contuberniis.

Insuper quia habebant magnas congregationes contuberniorum sive fraternitatum, quae utebantur ex certis privilegiis, more baronum, propriis vexillis, illas noluit sustinere, sed oportuit dimittere et resignare sibi omnia vexilla, ne fierent deinceps aliqui impetus sive tumultus aut congregationes in civitate Leodiensi contra episcopum aut ipsum, aut contra se ipsos.

De capitaneo Leodiensi.

Itaque non haberent burgimagistros nec rectores civitatis ex se ipsis ordinandos. Sed dux ordinavit ipsis unum capitaneum, scilicet dominum de Humbercourt, militem strenuum, qui eos ex parte principis pacifice regeret et defenderet contra quoscumque transgressores molestantes ipsos.

Homagium duci praestandum.

Item denuo praestarent sibi homagium fidelitatis tamquam mamburno patriae, per solemne juramentum obligantes sese juramentis et validis scriptis et litteris, roboratis sigillo magno civitatis et multorum praefatorum, quod si unquam aliquo tempore in contrarium praefatorum articulorum aliquid attentaverint aut fecerint, immediate amitterent et perderent omnia jura, privilegia, plebiscita, papalia, imperialia, regalia, episcopalia, quae unquam obtinuerunt et habuerunt, et cum hoc vitam et omnia bona ipsorum.

Mulcta pecuniaria.

Praeterea darent duci ad certos terminos trecenta millia florenorum rhenensium.

Quae omnia praedicta voluntarie consenserunt et annuerunt, et litteris et sigillis confirmaverunt. Et ne diffiderent, duci dederunt de instanti in promptu centum millia florenorum rhenensium, pro se ponentes duci obsides certos

Obsides.

et notabiles, quos eligeret princeps ex Leodiensibus, qui manerent in hostagium Bruxellae pro Leodiensibus, donec et quousque ipsi in omnibus duci satisfa-

[1] Desunt voces *quod vocabant*, vel similes.

cerent et obedirent, ut dictum est. Et quoniam illi, per aliquod tempus eis praefigendum, fuissent in hostagium, ut relaxarentur et ad Leodium libere remitterentur, dummodo Leodienses alios eligendos loco illorum mitterent. Et quoniam illi per certum tempus Bruxellae aut alibi fuissent in hostagium ad placitum ducis, etiam illi post definitum tempus libere remitterentur, aliis loco illorum in hostadium ex Leodiensi territorio venientibus; et sic facerent ad certum tempus primo ut subjecti essent episcopo ipsorum et Karolo duci, ac pacem inter se servarent.

Et licet istos miserunt in hostadium duci, nihilominus providentes pacem multa pejora praedictis perpetrantes commiserunt in despectum ducis et episcopi horribilia. Et qui nullatenus et bis et ter correcti pacem et fidem servaverunt, licet Karolus dux tribus vicibus eos devictos in gratiam recepisset, propter pias et humiles instantias nobilium ipsorum, et praecipue Ludovici eorum episcopi, et ad evitandum effusionem sanguinis christianorum, ideo nunc quarta vice civitatem Leodiensem expugnatam, proh dolor! destruxit, ut inferius patebit. Et quia Philippus et Karolus, ejus filius, duces Burgundiae, intermiserunt se eos debellando et vincendo, quare hoc fecerunt, quo titulo et qua de causa, cum non fuerit haereditas primaria ipsorum, nec Leodienses subjecti aliquo modo ipsis fuerunt; ideo breviter omnia praedicta recapitulabo, veraci et fideli stylo pandam, et enarrando enucleabo.

Leodii civitas citra Alpes viguit, post romanam curiam, in maximo honore; consistorium ipsius erat solemne, sive censura ecclesiastica aut jus ecclesiasticum, propter multitudinem ecclesiasticorum suppositorum, qui egregie et strenue juxta ecclesiastica decreta ecclesiasticam censuram regebant, ut merito filia romanae curiae diceretur. Floruit insuper clerus Leodii in magno honore Invidia contra clerum. et reverentia. Quod invidentes Leodienses laïci, qui plerique episcopo et clero suo rebelles et infesti fuerunt, cogitantes persaepe quod suppeditare possent clerum Leodiensem et praecipue consistoriales, qui quodam tempore vocaverunt ad suum praetorium Ludovicum de Borbonia, electum ipsorum, seclusis consiliariis suis, dicentes et post diversa allegantes, qualiter ultra condignum judices officiales et caeteri consistoriales gravaverunt et exactionaverunt subditos suos, et etiam omnes utriusque sexus sub sua jurisdictione commorantes, de quibus, ut dicebant, magnas quotidie querimonias audierunt. Haec et plura alia convicia injuste eis imposuerunt, addentes quod, si admitteret tales per industriam consulatus civitatis corrigere, ipse juste ab eis ex-

torqueret infinitam gazam. Et annuit inconsulte tamquam juvenis homo sub certis pactis. Quo facto, statim ut praeconceptum et ordinatum fuerat, dominus Raso, dominus de Heers, capitaneus Leodiensium, factus executor hujusmodi maligni negotii, infinita mala fecit per Leodiensem episcopatum. Cujus temeritatem et quotidianam violentiam episcopus videns, perpendens se delusum, nitebatur sedare prudenter illam violentiam, allegans quod accusatos per eos juste et judicialiter convinceret et damnaret, prohibens ne aliquo modo alicui sine judicio inferrent violentiam. Et cum nullo modo desistere vellent, etiam quantumcumque benigne admonendo institerat, irato animo recessit a Leodio Trajectum. Quapropter excommunicavit eos. Sed spreta excommunicatione ipsius, mala malis cumulando pejora veluti Sarraceni perpetraverunt. Quapropter Pius secundus, papa romanus, posuit per totum episcopatum interdictum[1]. Leodienses vero indignati de interdicto apostolico, nescientes quo effugarent episcopum ipsorum, decreverunt communi consilio alium supereligere, et Ludovicum ex toto effugare, et elegerunt quemdam nobilem virum Marcum de Baden. Quo introducto et homagiato prius tamquam mamburno pridie, infinita mala in ducatu Lymburgensi perpetraverunt. Attamen corruerunt ex Leodiensibus, ut dicitur, XVI^{c} ante oppidum Lymborch. Quod oppidum cum obsidere decreverunt, amiserunt multum populum cum clenodiis et armis bellicis, et parum proficientes confusibiliter redierunt. Et Marcus electus ipsorum ob inhonestos actus ipsorum iniit fugam et recessit, infecta electione ejus, et hoc industria et consilio fratrum suorum pontificum Treverensium et Metensium. Ipsi vero parvi pendentes recessum, omnia mala, quae excogitari possent, commiserunt in dominio de Valkenborch, tamquam insensatus populus, trucidando amicos episcopi, et etiam ducis Philippi Burgundiae. Papa vero Pius, audiens inobedientiam et vesaniam ipsorum, et quod spernebant interdictum suum, nolens eos amplius gravare, sed ut pius pater sapienter, ut decuit, revocare, misit ad ipsos quemdam Legatum, anno scilicet Domini M^{o} CCCC^{o} LXV° [2], qui eos pie informando admoneret desistere a malis, et obedire ut boni christiani papae Romano et vero ipsorum episcopo. Qui cum venisset Leodium, spreverunt eum. Nihilominus praefatus Legatus nolens precipitanter procedere contra eos, redeundo Romam, mansit in regali urbe Aquisgrani per totam fere aes-

Lud. Borbonius a Leodio recedit Trajectum.

Marcus Badensis.

Legatus romanus.

[1] Vide infra inter Analecta Pii II bullam contra Leodienses emissam.

[2] Cfr. supra p. 86.

tatem. Sed quidquid venerabilis pater interim consuluit, supplicavit, admonuit et exhortando pie exterruit, nihil profecit; sed varias sibi minas et insidias tetenderunt, nolentes quoquomodo ipsum audire, allegantes quod magis faveret et gereret partem episcopi et principum quam episcopatus. Conclusive Legatus videns se nihil proficere, circa hyemem Romam remeavit enarrando Apostolico et cardinalibus visa et audita. Quare Paulus secundus, papa romanus, anathematizavit omnes consilio cardinalium [1]. Sed nihil ipsi inde curaverunt, expellentes et persequentes episcopum ipsorum cum indignatione magna et omnes amicos sive complices ejus ac principum praefatorum, committentes infinita homicidia in invicem, et hoc instigatione et informatione domini Rasonis de Heers, ac domini Johannis de Wilde, ac domini Barri, sive Herberti, domini de Surlet, militum capitaneorum ipsorum. Et licet multa mala fecerunt in confinibus Brabantiae, Lymburgiae, Namurci ac Hannoniae, tamen principes praefati, spe melioris, aliquantulum dissimulaverunt mala, ponentes in vicinis castris et oppidis capitaneos et armigeros, qui eis resisterent.

Excommunicantur Leodienses.

Novissime cum nullatenus vellent desistere, Paulus, divina providentia papa secundus, invocando brachium seculare scripsit ad Philippum ducem Burgundiae et ad illustrissimum Karolum comitem Kadralensem, filium ejus, praecipiendo eis auctoritate apostolica quatenus ipsi tamquam praecipui principes et filii obedientes ecclesiae compescerent rebelles Leodienses de ipsorum transgressionibus, inobedientia et rebellionibus, ac potenter reducerent ad subjectionem et veram obedientiam ecclesiae [2].

Auxilium brachii secularis a Pontifice invocatur.

Principes vero praefati sic moniti et requisiti a summo Pontifice, ut fideles obedientes filii et principes acceptaverunt onus, volentes parere et obedire mandatis apostolicis. Qui statim scripserunt ad civitatem Leodiensium, quatenus desisterent a rebellionibus et inobedientia ipsorum, et permitterent Ludovicum de Borbonia, sororium suum, episcopum verum ipsorum, quiete possidere suum episcopatum, ut decet; insuper quod obedirent Papae, et mandatis apostolicis et episcopo, vel ipsi nunc requisiti a sede apostolica apponerent diligenter manus suas ipsos coarctando et potenter reducendo ad obedientiam ecclesiae [3]. Sed proh dolor! quidquid praefati principes benigne scripserunt et admonuerunt, in vanum laboraverunt; nam omnia quae ludicra comtempserunt, deri-

Dux Philippus Leodienses ad saniora consilia reducere nititur.

[1] De controversia inter episcopum et Leodienses sententiam pronuntiavit Paulus II, bulla data Romae die 10 Januarii 1465, quam infra inter ANALECTA denuo recusam inveniet lector.

[2] Vid. infra ANALECTA.

[3] Vid. infra ANALECTA.

sui habentes admonitiones ipsorum, confidentes in fortitudine et multitudine potentis civitatis Leodiensis et territorii ipsorum. Multi tamen devoti et discreti viri Deum timentes, quia nullibi celebrabantur divina, exierunt territorium, commorantes in Hoyo, in Trajecto vel in vicinis locis extra episcopatum.

Damna a Leodiensibus Brabantiae, Limburgo, etc., illata.

Leodienses vero, ut populus obstinatus et induratus in malo, cum grandi satellicio intrantes Brabantiam et alio tempore Lymburgiam et comitatum Namurcensem ac Hannoniam, magna damna intulerunt ipsis, eo quod Philippus, dux Burgundiae, senio fessus non valuit commode armatus incedere contra ipsos, et Karolus, filius suus, in Francia cum grandi exercitu castra metatus fuit et occupatus contra Ludovicum regem Franciae. Quare Philippus dux, ordinatis multis nobilibus et potentibus capitaneis, contra eos restitit egregie, ut supra notatum est.

1466.
Karolus expugnat Leodienses.

Demum veniente Karolo ex Francia cum magno honore et victoria cum suo exercitu, statim anno Domini MCCCCLXVI in Januario intravit cum maximo exercitu episcopatum Leodiensem, quem igne et ferro fere devastavit. Veniensque prope Leodium, ut ipsos potenter et animose obsideret, occurrerunt sibi Leodienses cum grandi exercitu et cum multis vexillis, ut ipsum debellarent ac sibi resisterent, ne ulteriorem progressum ad ipsorum civitatem haberet. Et stantes per acies in quadam planitie sive delectabili valle cum explicatis vexillis et praecipue cum extenso et explicato vexillo civitatis Leodiensis, ad bellum parati, arbitrabantur nullo modo principem eos debellare audere propter fortitudinem et multitudinem ipsorum. Karolus vero illustrissimus princeps, illa percipiens et attendens animositatem illorum, statim praecepit sagaciter ex omni parte circumcludi ipsos, ne fugam inirent vel discurrerent fugiendo. Dum ergo exercitus principis per certas acies terribiliter ex omni parte eos conclusisset cum quatuor exercitibus, et Karolus ordinaret acies suas, ut moris est belligerantium, ad debellandum eos, et vexillum suum erexisset, statim Leodienses, licet animosi et audaces, videntes infinitam multitudinem armatorum et dominorum putabant universum mundum contra eos venire. Attendentesque se circumclusos undique, valde perplexi et animo dejecti, erectum civitatis Leodiensis vexillum et expansum complicuerunt, et supra quemdam equum festinanter inclinaverunt; et extendentes manus ne fieret congressio, miserunt duos honestos viros et discretos ad Vincentium comitem de Moirs, et ad alios primates, petentes bellum suspendi, eo quod vellent foedus pacis cum principe et episcopo iuire, et om-

nia forefacta emendare juxta dictamen et arbitrium discretorum nobilium ad beneplacitum principis. Quod audiens Karolus princeps, ne fieret horribilis effusio humani sanguinis, timens Deum, festinanter misit ad caeteros ductores et capitaneos, mandans ne facerent congressum, quia Leodienses se reddiderant victos in gratiam suam. Attamen vix potuit compescere Burgundiones ab invasione ipsorum. Ibique conclusum, juratum, promissum, Pactum conclusum. et validis scriptis sigillo magno civitatis Leodiensis roboratum fuit, quod nunquam de caetero opponerent se episcopo ipsorum, et Philippus dux Burgundiae et Karolus filius ejus manerent perpetuales mamburni episcopatus, et post obitum illorum, duces Brabantiae. Insuper darent pro damno illato per ipsos in dominio et principatu suo magnam quotam pecuniae. Et sic absque belli strepitu Karolus victoriosus princeps gloriose cum suis rediit ad patrem suum in Bruxella, Leodienses cum gaudio in Leodium. Acta fuerunt ista anno praenotato in Januario. Insuper mitterent Leodienses Romam ad impetrandum gratiam Papae, et ad tollendum interdictum patriae.

Istis igitur sic dispositis et confirmatis, mansit Karolus, egregius princeps Bruxellae apud patrem suum vel ibi prope, ovans et gaudens cum suis usque ad tempus quadragesimale. Sed postquam idem illustrissimus Karolus de Burgundia post festum Paschae cum grandibus armigeris secesserat in Arthesia et Viromandia, et in confinibus regni Franciae, in praepositura de Mondydier, et apud Sanctum Quintinum occupatus fere per totam aestatem fuerat, eo quod Ludovicus, rex Franciae, patri suo illa dominia abstulerat, redimendo illa cum certa quota pecuniae; quae tamen dominia idem Karolus iterum impetraverat ab eodem rege ad vitam suam, propter quod voluit in illis homagiari ut princeps et dominus, quod et factum est.

Igitur Karolo principe ibi occupato, et Philippo duce patre suo aliqualiter Nova Leodiensium rebellio. infirmante, Leodienses iterum infecta pace grassantur ubique. Et praecipue Dynantenses animati potentia civitatis Leodiensis et caeterorum oppidorum mala magna perpetraverunt quotidianis assultibus contra Hannonienses et praecipue contra oppidum Bovinis dictum. Insuper multa ignominiosa et inhonesta dixerunt et per carmina scurrilia cantaverunt, concludentes et jactando dicentes quod Karolus dux non auderet de caetero comparere in territorio ipsorum cum exercitu suo, eo quod debebant ipsum debellare potenter. Et cum per aestatem ultra pacem ista fecissent, tandem in Augusto rediens, Karolus ista audiens mirabatur infidelitatem et crudelitatem ipsorum. Et cum

decrevisset Dynantum obsidere potenter et compescere et corrigere eos, Dynantenses illa audientes deridebant ipsum dicentes : Quod sicut pater suus vicit Calisiam, Gandavum et alias civitates obsessas per ipsum, sic Karolus vinceret Dynantum. Et in signum temeritatis et illusionis, ipsi locaverunt mulierem ex metallo fusam supra murum civitatis cum colo et fuso, et rotulo continente : *Quando digiti istius mulieris colando sunt attenuati et perforati, tum primo Dynantum erit vincendum.*

Dionantum eversum. Itaque Karolus cum immensis bellatoribus, infra octavas Assumptionis Virginis Mariae, eodem anno scilicet LXVI, intrans territorium Leodiense, potenter cum quatuor magnis exercitibus feria secunda infra praefatas octavas obsedit Dynantum, quod et feria secunda sequenti, scilicet altera die post festum Bartholomei, cum discrimine suorum oppugnando vicit, et expugnatum ac spoliatum funditus destruxit et in planam terram redegit, occisis, submersis et captis incolis ejus. Cujus destructionis anni notantur in hoc metro :

dYnantVM LoCVpLes, nVnC te pLorare neCesse est.

Erant enim mercatores ejus ditissimi et famosissimi.

Quibus factis, quum ad interiora episcopatus ante Leodium decrevisset cum suis armigeris venire, et civitatem expugnare, occurrerunt sibi Leodienses cum caeteris oppidis, petentes pie humiliterque, propter passionem Domini nostri Jesu Christi, gratiam de commissis. Quare poenituit eos valde, et de caetero nunquam rebellarent, nec nocerent sibi. Et offerentes magnum argentum de taxa promissa, juraverunt fidelissimi sui subditi permanere. Et dum cum pluribus aliis conditionibus servandis, ita sese humiliaverunt, iterum secundo pius et bonus princeps recepit eos in gratiam, illo salvo quod caeteris pactis jurisjurandi et scripturis valide roboratis cognoverunt se devinctos vita et bonis temporalibus, si unquam resilirent ab obedientia principum et episcopi. Et sic Karolus pius princeps, habita cautione praedicta, cum suis rediit Bruxellam, nil diffidens ob infidelitatem Leodiensium amplius.

Leodienses iterum rebellant. Deinde Philippo mortuo duce Burgundiae in civitate Brugensi, anno sequenti, scilicet xv die mensis Junii, vacillant a fide et obedientia ducis Karoli et nepotis sui eorum episcopi. Nam instigatione Rasonis, domini de Heers, et Johannis de Wilde, domini Barri, seu Hereberti, domini de Surlet, militum, multa mala iterum commiserunt. Deinde ultra pacem et jusjurandum scientes

episcopum cum multis suorum esse in castro et oppido Hoy, quod oppidum semper firmiter et fideliter steterat in pace cum episcopo ipsorum, scientes episcopum absque armigeris et speciali custodia ibidem quiescere, congregato magno satellitio secrete quodam nocturno tempore ante Hoy, quod sagaciter promissis aliquibus suorum in eo ceperunt, nequiter sperantes se episcopum ipsorum improvisum ibidem trucidare vel capere posse. Sed episcopus, occupata una parte oppidi, suscitatus ex clamoribus armigerorum, celerrime surgens, induens se vestimentis suis, occultavit se parum, sed videns quod vicissent oppidum, et castrum expugnare nitebantur, ad occidendum ipsum, eo quod assultum contra castrum fecerunt, statim per semitam secretam exiens, equo cursatili incognitus per fugam e manibus ipsorum dilapsus cum magno periculo vix cum paucis evasit. Nam per devia equitans, cum magno labore et periculo Namurcum venit. Ipsi vero in veritate audientes episcopum evasisse, irati nimis suburbanum et parvam civitatem in favillam ignis redegerunt, occisis multis honestis oppidanis amicis episcopi. Insuper majorem civitatem cum castro per direptionem spoliaverunt, eo quod adhaerebant cum Trajectensibus episcopo. Et sic cum magno spolio redeuntes ovabant, gaudebant et laetabantur in rebus suis pessimis. Quod percipiens Karolus, noviter dux Burgundiae et Brabantiae exaltatus, iratus nimis, aggregavit valentes armigeros ac milites stipendiarios infinitos, cum quibus totum episcopatum et civitatem Leodiensem in solitudinem redigeret. Decrevit itaque primo obsidere civitatem Sancti Trudonis, eo quod ipsi praecipui fuerant cum civitate Leodiensi in Hoy. Quod percipientes Leodienses strictissime munierunt oppidum Sancti Trudonis cum omnibus requisitis. Insuper promiserunt incolis Sancti Trudonis facere firmissimam assistentiam ad liberandum eos vel ad dissolvendam obsidionem.

Igitur anno Domini M° CCCC° LXVII°, cum in profesto Symonis et Judae apostolorum idem Karolus dux obsedisset oppidum Sancti Trudonis, Leodienses odio habentes fautores et amicos ducis et episcopi, coëgerunt sub poena capitali illos secum contra ducem ad bellum procedere, sive spirituales sive seculares, quos ordinaverunt in fronte aciei, praeconizantes et strictissime praecipientes quod si quis fugeret, etiam cujuscumque status essent, occiderentur et privarentur omnibus bonis ipsorum. Igitur venientes cum vexillis et buccinis, in profesto praedicto apostolorum, ad succurrendum oppido obsesso, statim dux, praescius multitudinis et adventus ipsorum, animose eis occurrebat tamquam princeps strenuus et audax cum multiplici exercitu ad 1467. Pugna apud S. Trudonem.

debellandum ipsos. Et congressu facto in una parte, statim dominus Raso, capitaneus ipsorum, cum multis fugam iniit, et accipiens pecuniam magnam civitatis, nunquam reversus, perrexit et fugit cum suis ad Franciam. Corruerunt autem ex parte Leodiensium in illo conflictu ultra tria millia Leodiensium, inter quos ceciderunt dominus Barri, dominus de Surlet, miles, et filius suus, qui fuit canonicus Sancti Lamberti; Ways, canonicus Sancti Lamberti, qui fuit magnus curialista, quem invitum cogebant secum praeliari; decanus Middelburgensis, canonicus Sancti Lamberti; Rolandus de Heynsberch, filius domini Johannis de Heynsberch, episcopi quondam Leodiensis, cum pluribus aliis. In quo praelio princeps Karolus acquisivit multa vexilla contuberniorum Leodiensium, demptis caeteris bellicis machinis, quae erexit ante oppidum obsessum in confusionem ipsorum. Quod videntes oppidani Sancti Trudonis, perplexi valde, reddiderunt se gratiae Karoli principis, illo salvo quod de instanti frangerent portas et muros oppidi ipsorum cum pluribus aliis conditionibus praefatis. Quod et fecerunt. Imo et omnia alia oppida provinciae illico destruxerunt muros, portas et fortalicia ipsorum, replendo oppidorum fossata humo et reliquis materiis.

Leodium se resignat. Deinde veniens ante Leodium ut ipsum potenter obsideret, similiter reddiderunt se gratiae Karoli post magnas instantias honestorum senum, qui nudipedes, in lineis, detectis capitibus, per medium milliare extra Leodium per lutosam viam occurrebant, petentes se in gratiam recipi. Quorum misertus princeps, ita fecit. Sed privavit eos omnibus juribus, plebiscitis, privilegiis, armis, contuberniis. Et quod de instanti frangerent portas et muros civitatis. Quod fecerunt. Et certificatum, quod nunquam rebellarent contra ipsum nec episcopum ipsorum, et quod non ordinarent Burgundiones nec alios capitaneos, nec erigerent contubernia, nec admitterent expulsos suos capitaneos, incentores totius mali, unquam reintrare civitatem Leodiensem, cum pluribus praefatis aliis clausulis et conditionibus. De quibus omnibus dederunt Karolo duci litteras promissorias. Et sic ordinando eis dominum de Humbercourt in capitaneum ex parte ejus, qui eos regeret in omni justitia et pace, quod et fecit. Acta fuerunt ista anno Domini M° CCCC° LXVII°, in festo sancti Lamberti, episcopi Leodiensis.

1468. Deinde anno Domini M° CCCC° LXVIII°, Ludovicus, rex Franciae, dolens se fratri suo Karolo, duci de Barry, dedisse ducatum Normanniae, eo quod Karolus, dux Burgundiae, duceret in uxorem Margaretam, sororem Eduardi

quarti, regis Angliae, eo quod rex Angliae diu possedit eum, allegans quod esset haereditas et patrimonium regni Angliae, timens multa mala futura inde resultatura; et quia Karolus, dux Burgundiae, et Karolus, dux de Barry, frater regis, ac dux Britanniae, cum pluribus aliis principibus regni Franciae, foedus amicitiae in invicem firmaverunt ad resistendum cuicumque injurianti ipsis, et rex fratri suo decrevisset auferre ducatum Normanniae, licet in multis aliis vellet recompensare; ideo Karolus vocatus per caeteros proceres praemisit magnum exercitum plebis et militiae in extremitatibus principatuum Arthesiae et Viromandiae, eo quod Ludovicus, rex Franciae, cum infinitis principibus et nobilibus et armigeris castra metabatur in confinibus et extremitatibus regni prope Viromandiam. Et ipse Karolus interim Brugis, in Flandria, cum magna solemnitate celebravit matrimonium suum cum praefata Margareta, sorore Eduwardi, regis Angliae [1]. Quo matrimonio celebrato, postquam fuit in Hollandia homagiatus, subsequebatur cum grandi satellicio suum exercitum usque ad Peronam, sitam in limite regni Franciae, mansitque ibi prope cum exercitibus suis in plana, ampla et spatiosa terra, praeparatus exspectare adventum regis et omnium suorum complicum. Et rex Ludovicus ibi erat prope, fere per tria vel quatuor gallicana milliaria, ita quod infra tres vel quatuor horas potuit equitari de uno exercitu ad alium; quod periculosum fuit. Attamen multi principes diu inter praefatos ducem et regem tractabant varia ad concordandum eos; sed valde diu prolongatum et protelatum fuit, antequam pax reformata fuit inter regem et fratrem suum et Karolum Burgundiae.

Karolus cum exercitu Galliam ingreditur.

Interea promulgatum fuit ubique per totam fere Almanniam, quod de die in diem rex decreverat debellare Karolum, ducem Burgundiae, et timebatur imminere quotidie bellum inter eos, quia nullo medio poterant pacisci. Demum per amicabiles internuntios Ludovicus rex et Karolus, dux de Barry, frater suus, hoc modo reconciliati sunt, quatenus Karolus, dux resignaret Ludovico, fratri suo regi, ducatum Normanniae, et rex gratiose ex regali munificentia redderet sibi ducatum Campaniae, continens in se duodecim comitatus, qui valerent sibi annuatim quinquaginta millia coronarum Franciae in certis redditibus. Insuper fuerunt adhuc multa alia tractanda inter regem et Karolum, ducem Burgundiae, quae inaniter differebant consules et quidam primates regis.

Pax inita cum rege Galliae.

Interea fama discordiae inter regem et Karolum Burgundiae ducem incre-

Nova Leodiensium rebellio.

[1] Cf. *Détails concernant le mariage de Charles-le-Téméraire avec Marguerite d'Yorck*, en 1468; BULLETINS DE LA COMMISSION ROYALE D'HIST., tom. V, p. 168.

brescente, per totam patriam exules Leodienses dolentes se proscriptos et privatos natali solo, consilio habito, dum ista inter praefatos tractarentur, sperantes ducem Karolum in tantum a rege gravatum, quod non rediret sine belli discrimine, venerunt audacter anno praefato Domini, altera die post festum nativitatis Virginis Mariae, Vincentius de Bueren, dominus Johannes de Wilde, milites cum sexcentis fere armigeris, et intrantes Leodium, eo quod expulsi fuerunt a duce a Leodio, clamaverunt equitando et meando per totam civitatem : « Liberi Leodienses, libera Legia, removentur assisii et gabellae, eo quod manebitis liberi semper. » Clamantes et affirmantes quod Ludovicus, rex Franciae, mitteret et praestaret eis magnum subsidium per suos armigeros tempore opportuno ad resistendum Karolo duci Burgundiae. Leodienses vero proni ad malum, illa audientes, facti sunt eis in firmamentum, et junxerunt se illis illa die ultra duodecim millia, immemores juramentorum et promissionum, et quod Karolus dux ipsos tribus vicibus devictos recepisset in gratiam. Statim quaesierunt arma, statuerunt rectores civitatis, reordinantes contubernia et omnia sicuti pridem habere consueverant. Quibus factis, reaedificaverunt et restauraverunt diruta civitatis, locantes munimenta et fortalitia et portas, sicut prius fuerant aedificata. Et ad hoc perficiendum cogebant communitatem illa perficere cum festinatione, sicut eis placuit.

Episcopus scribit duci Karolo.

Interea Ludovicus episcopus ista percipiens mirabatur attonitus illorum temeritatem; et quia non valuit eos repellere, scripsit omnia nepoti suo Karolo duci, qui exhorrescens illorum praesumptionem misit statim multos armigeros cum aliquibus capitaneis episcopo in subsidium, promittens cum omni potentia sua venire quantocius posset. Interea factae fuerunt firmae treugae inter episcopum et istos Leodienses durantes longo tempore.

Fit captivus.

Igitur episcopus dum post festum sancti Remigii equitasset cum Legato sedis apostolicae Tungrim, et ibidem aliquot diebus pausasset propter treugas ordinatas, ecce venerunt sabbato Tungris praefati capitanei cum multis armigeris, missi a Karolo duce Burgundiae, et facta est laetitia magna de adventu illorum. Accidit autem, quod quidam mercator dominica die cum caseis venisset a Tungri Leodium ad vendendum caseos suos, a quo quidam Leodiensium sciscitabantur, quomodo Tungrenses se gerebant in isto negotio. Qui improvise aiens dicebat : « Vere episcopus valde laetatur cum suis » chorizando, et magnos ignes comburendo, eo quod multi magni domini cum » multis armigeris et equitibus sibi ibidem venerunt in auxilium; et plures

» supervenient, et famationis est, quod princeps Karolus iratus contra Leo- » dienses veniet cum magno exercitu ad devastandum Leodium. » Quibus auditis Leodienses, statim magno exercitu congregato, cum domino Vincentio de Bueren, et cum domino Johanne de Wilde, et cum caeteris capitaneis suis perrexerunt Tungris, nil curantes de treugis factis inter episcopum et ipsos. Ibique venientes in festo sancti Dionysii, quod fuit tunc dies dominica, latenter et potenter intrantes nocturno tempore post crepusculum Tungros, occiderunt ultra trecentos honestos viros de militaribus et armigeris ac oppidanis, qui putaverant armigeros ducis ibidem venisse. Trucidaverunt enim omnes occurrentes in plateis, et intrabant potenter hospitia, in quibus hospitati fuerant amici ducis et episcopi. Occiderunt autem cum impetu comitem de Elderen, duos illustres fratres de Tris, duos nobiles fratres de Arkenteel, dominum Johannem de Sereynen, dominum Robertum de Moereme, praepositum Sancti Gereonis Coloniensis, dominum Milonem, thezaurarium provinciae, cum multis aliis militibus et armigeris. Multi tamen domini et armigeri industria hospitum evaserunt, fugientes seminudi per devia, utpote dominus de Bergis, et alii plures. Episcopus vero et Legatus festinanter suscitati non potuerunt evadere, eo quod hospitium eorum circumvallaverant, clamantes ut insensati homines, quod vellent videre episcopum ipsorum, vel vellent infringere violenter hospitium. Episcopus vero trepide et coacte veniens in fenestra hospitii sui, in qua ipsum debite videre poterant, juxta petita sua loquebatur ipsis pie. Quem videntes, eo quod habebant cereas faculas et luminaria multa, statim omnes prostraverunt se in terram super genua, humiliter clamantes petentesque veniam et gratiam ab eo, ut iterum possent inhabitare domos et possessiones ipsorum, a quibus expulsi erant. Episcopus vero attendens insanientis populi impetum, et quod non valuit evadere manus ipsorum, metu mortis ac majoris periculi, ac ad sedandum ac mitigandum furiam ipsorum, promisit eis gratiam firmam conferre. De quibus ipsi non contenti, cogere coeperunt episcopum descendere ad ipsos, salvo quod nullo modo nocerent sibi aut suis, nec laederent. Episcopus vero cum Legato romano multum perterritus et anxius, promisit benigne post parvum tempus, quo se debite vestiret, ad eos descendere. At fugam secretissime iniit, fugiens in ecclesiam gloriosae Virginis Mariae, cum Legato sedis apostolicae.

Cum vero episcopus longam moram fecerat, turbati illi valde violenter intraverunt hospitium episcopi; et non invenientes ipsum, veluti lupi rapaces et

furibundi homines discurrerunt, ubique quaerentes illum per totam noctem. Crastina autem die audientes episcopum esse in ecclesia Virginis Mariae, venerunt cum tumultu ante ecclesiam, clamantes et dicentes, quod veniret ad eos salvus, vel violenter infringerent ecclesiam, extrahendo ipsum ex ea potenter, salvo semper hoc quod nullatenus ipsum laederent aut irreverenter tractarent. Episcopus vero ista audiens, nimium turbatus et perplexus, clausis januis, aït ad eos, petens ut nobilis aliquis veniret, ut ipsum caperet ne traderetur in manus rusticorum. Venerunt ergo Vincentius de Bueren et Johannes de Wilde, milites capitanei ipsorum, in quorum manibus trepide se obtulit captum, cum tali conditione, quod non laederent ipsum, nec quidquam mali sibi inferrent. Quod promiserunt sub militari fide dicentes : « Illustrissime princeps et domine, nos reddimus nos captos nobilitati vestrae, quia princeps et dominus noster estis, et nos servi et subditi vestri sumus. » Et sic apertis januis ecclesiae, reddidit se ipsis una cum Legato romano. Acta fuerunt ista in festo sanctorum martyrum Gereonis et Victoris, ante missarum solemnia, hora fere octava, scilicet in crastino Sancti Dionysii. Leodienses vero multum gavisi de captivitate episcopi et occasu tantorum nobilium et oppidanorum Tungrensium, duxerunt episcopum cum magno risu et laetitia Leodium. Cumque episcopus in via gemendo lamentaretur mortem tantorum virorum et praepotentum nobilium, consolabatur ipsum pie Legatus romanae sedis dicens : « Nos qui vivimus, benedicimus Domino. » Ac si diceret, sicut ipsemet exposuit : « Regratiamus nos Deo, quia vivimus, reservati ad vitam in tam horrendo et periculoso tumultu insensatorum armatorum. » Cumque praefati exleges ipsum cum Legato Leodium perduxissent in curiam suam, subsannando dixerunt : « Ecce, sincere domine noster, regratiari nobis debetis, quia vos cum debito honore duximus in vestram civitatem. » Et alia multa irridendo laetantes ingeminaverunt. Mansitque episcopus in Leodio stricte custoditus per Leodienses, ne evaderet.

Karoli cum Galliae rege dissensiones et consilia.

Interea Karolus, dux Burgundiae, cum exercitibus suis apud Peronam castra metatus fuerat contra regem. Postquam rex reconciliatus fuerat Karolo, duci de Barry, fratri suo, ut dictum est, iratus nimis eo quod voluit rehabere omnes expensas factas propter ipsum, et alia specialia quaedam incognita, et quia illa tractanda non terminassent proceres et consulatus regis inter regem et ipsum, cum bene potuissent, et ipse cum maximis expensis frustra cum suis ibidem permansisset, indeliberato animo Karolus, dux Burgundiae,

misit quemdam virum strenuum, dictum Haggenbach, magistrum curiae suae, cum pauca familia, ad regem quaerens et scire volens, quid praetenderet cum tam longa protelatione et dilatione causae suae. Eum benigne admonuit fratrem suum secum pacisci ad placitum suum. Et omnia fecit, ad quae de jure obligatus fuerat, et plus pro profectu et honore regis et regni. Quid ergo praetenderet? Secum petiit benigne responderi, et quod illa vice semel pro semper dignaretur intimare sibi intentum mentis suae. Et nisi hoc faceret, altera die intraret cum omnibus suis Franciam, et iret apud fratrem suum ducem de Barry. Rex vero Ludovicus illa audiens, admirans magnanimitatem ipsius, praecepit magistro curiae ducis semper manere apud ipsum in tentorio suo ad audiendum tractanda inter ipsum et Karolum nepotem suum. Praecepit igitur rex omnes suos praecipuos consiliarios venire apud se sine mora. Quibus congregatis, praecepit rex magistro curiae Karoli ambassiatum suum exponere sibi in praesentia illorum. Cumque concludendo perorasset, quod indilate petiit responderi a rege affirmative vel negative de suis causis. Illi vero talia audientes, indignati fere omnes de tanta praesumptione, convenerunt et revolventes causam commode, indilate ad hominem regis non voluerunt dare responsum. Quod audiens rex iratus est illis dicens : « Multoties audivimus, si nos et ipse essemus concordes et unanimes, ut decet, nullus in universo orbe tam potens molestaret nos, quia ditior et potentior vobis omnibus est. » Irati illi se mutuo inspicientes fremebant contra regem.

Igitur rex convocatus magistrum curiae ducis Karoli, ait illi in praesentia principum et consiliatorum suorum : « Praecede, et statim sequar te visitando corporaliter cum paucis principibus dulcem nepotem meum dominum tuum, dando sibi oretenus salubre et bonum responsum. » Erant enim aliqui, qui susurrando mala et discordiam seminando pauca bona consuluerunt inter regem et ducem, et libenter sub forma honestatis procurassent et vidissent eos guerrantes contra se ipsos. Sed Ludovicus de Lutzenborch, comes Sancti Pauli, princeps egregius, habens tres nobiles filios, elegantes viros servientes Karolo duci Burgundiae nepoti ipsorum, videlicet comitem de Marle primogenitum, comitem de Fiennes et dominum de Roussy, etc., ideo ipse semper laboravit, omni conatu quo potuit, ad concordandum praefatos principes. Erat enim connestabulus Franciae, et ultra modum bene creditus regi, similiter et duci. Qui multoties de rege ad ducem et e contra equitavit ad concordandum eos.

Tandem idem illustris comes enarravit regi multitudinem et fortitudinem et pulchritudinem exercitus ducis Karoli. Et licet rex plures armigeros haberet, ut dicebatur, quam dux, quia, ut famabatur, rex habuit circa ducenta millia principum et armigerum, et Karolus dux ultra centum millia principum comitum nobilium et armatorum pugilium: rex vero illa audiens a comite, licet bene accommodavit fidem verbis ejus, tamen explorare per se desiderans et videre ac experiri volens, animi solacio, incognitus quodam sereno tempore equitavit, ut domesticus et familiaris comitis Sancti Pauli, cum eodem comite per exercitum ducis. Sed comes sagaciter sub fide praeavisavit Karolum ducem de adventu occulto regis.

Ludovicus explorat Karoli exercitum.

Dux vero paucis hoc revelans, praecepit omnes suos illa die pulchre armatos et ornatos stare in aciebus suis. Rex vero tam perfectum et tam egregie armatum exercitum videns, valde mirabatur et delectabatur. Dux vero comitem nomine regis nobiliter recepit et honoravit. Regem vero, tectum in facie ne agnosceretur, indutumque popularibus vestibus, ille tunc non honoravit. Sed post multa colloquia supplicavit comiti, ut se et suos regi fideliter commendaret, offerens se humiliter paratum et promptum cum omnibus suis regi servire contra quoscumque invasores regni. Haec audiens rex a duce, multum gaudebat, mente revolvens in se omnia beneficia sibi collata a Philippo duce, patre ejus, et ab ipso Karolo jam duce. Cepit quoque cordetenus odio eos susurratores, qui semper suggillaverunt mala inter ipsos. Et sic redierunt ad Francorum principes, ignorantes fere omnes istam regis explorationem.

Karolum visitat.

Igitur recedente magistro curiae ducis, rex aït hilari vultu duci Borboniae, fratri suo domino de Beau [1], et archiepiscopo Lugdunensi, fratri ipsorum [2], comiti Sancti Pauli et aliquibus principibus: « Celeriter praeparentur equi vestri, cum equo meo, volumus enim coenare cum dulci fratre et nepote meo. » Quod et factum est, mirantibus et tristantibus caeteris plerisque principibus. Karolus vero, dux Burgundiae, praesciens adventum regis, praeparavit se occurrere regi cum nobilibus suis, ut decuit. Videusque a longe regem

[1] Legendum arbitror: *domino de Beaujeu* (Pierre, sire de Beaujeu).

[2] Carolus de Bourbon, ex augustissima Borboniorum principum stirpe, filius Caroli Borbonii et Arveniae ducis ex Agnete Burgunda, ab Eugenio IV nominatus archiepiscopus Lugdunensis, quum undecimum aetatis annum vix attigerat, eam ecclesiam in commendam accepit, donec canonicam aetatem haberet. Anno 1470 demum consecratus est episcopus; hoc circiter tempore a rege Ludovico XI missus est pro pace cum Carolo Burgundiae et Francisco II Britanniae ducibus conciliandа.

cum paucis principibus venire, descendit de equo suo cum omnibus suis pronus flexis genibus adorando regiam majestatem, salutavit regem multum pie et benigne. Statimque rex prosiliens de regali caballo suo et elevando ipsum ruit in amplexus ejus, et osculabantur se mutuo dulciter : et facta est laetitia magna per totum exercitum. Et sic post magnas reverentias sibi mutuo factas et exhibitas, rex et dux cum caeteris principibus, ascensis equis ipsorum, dux regem et suos equitando duxit in Peronam oppidum ducis, et laetati sunt invicem illa nocte.

Altera vero die, discussis inter se multis causis, pacem firmam, ut nobiles principes, inter se statuerunt perpetuis temporibus servandam, de caetero nunquam contra se ipsos disceptare et discordare. Et ut firma pax jugiter inter ipsos maneret, juraverunt, ac litteris et sigillis validis confirmando promiserunt, quod si ex aliqua parte aliqui etiam quantumcumque magni sinistri aliquid referrent, quod esset in praejudicium et discordiam alterius, ille statim et sine dilatione occideretur, tanquam pacis et concordiae ipsorum aemulus et invidus ac inimicus.

Pax confirmata inter utrumque principem.

Itaque Karolus dux obtinuit a rege ducenta millia coronarum Franciae pro expensis et reysis [1], quas nunc binies pro honore regni perpetraverat. De quibus statim rex in promptu dedit Karolo centum millia, antequam recesserunt, quae rex praecepit sine mora venire et duci dare. Insuper impetravit dux praeposituram de Mondydier cum plerisque dominiis, quae omnia rex potuerat cum certis summis pecuniae redimere, perpetuis temporibus pro se et suis haeredibus possidere et haereditare.

Summa pecuniae Karolo concessa.

Igitur pace sic inter eos firmata et roborata, feria quinta mensis Septembris, die altera scilicet feria sexta, episcopo celebrante missam de Sancta Trinitate, rex et dux confessi, in signum foederis, salutis et saluberrimae pacis communicati fuerunt de uno eodemque sacramento dominici corporis, et diem illam ad laudem Dei perfecerunt in magna laetitia.

Karolus et Ludovicus rex ad sacram communionem simul accedunt.

Sabbato vero cum rex et dux cum caeteris principibus sedissent honorifice ad prandium, pariter supervenit nuntius quidam, qui oretenus nuntiavit episcopum Leodiensem cum multis suorum occisum a Leodiensibus in oppido Tungrensi. Haec audientes principes valde dolebant, et praecipue fratres sui

Karolo nuntiatur episcopum Leod. occisum.

[1] *Resa* vel *reyse*, ex voce vernacula *reize* (iter). Vocem illam potissimum usurpari pro expeditione atque adeo pro excursione militari, pluribus exemplis probat Du Cange, in *Glossario*, verb. cit.

flebant; iratus rex obtulit se promptum cum suo exercitu destruere et devastare civitatem Leodiensem cum incolis ejus in vindictam mortis episcopi nepotis sui.

Sed Karolus, nimium turbatus propter crudelitatem et infidelitatem Leodiensium regratiabatur regi cum magna gratiarum actione sibi, allegans quod non esset opus, eo quod sufficientem et copiosum exercitum haberet ad subjugandum et destruendum ipsos. Et sic prandio facto et finito, rex redire ad suos deliberans, accepta licentia a Karolo duce, cum suis principibus valde dolentibus rediit ad suum exercitum.

Karolo nuntiatur Leodienses ad rebellionem ab ipso rege Galliae concitari.

Dominica vero die cum Karolus sederet ad mensam, et in Perona pulsarentur campanae, et magni ignes comburerentur prae laetitia pacis factae solemniter inter ducem et regem : ecce supervenit quidam miles, nuntians sub fide militari episcopum Leodiensem non mortuum sed captum, et quidquid actum foret a Leodiensibus a principio usque in illum diem, foret et esset factum auctoritate et instigatione regis Ludovici, et confirmavit hoc praesentatione unius literae captae et subreptae a nuntio regis misso per regem Leodiensibus, continentis quod deberent se strenue defensare contra complices ducis Burgundiae et capitaneos ejus; ipse in tantum in Francia illum molestaret, quod non valeret praestare subsidium suis; et finaliter ipse sua potestate protegeret, defenderet et liberaret eos contra ipsum. Quae quidem littera scripta distincte fuit munita sigillo regis, et subscripta in simili forma ac si rex subscripsisset. Qua littera visa et perlecta a Karolo plurimum coepit perturbari, dolens et arbitrans se deceptum a rege, eo quod sibi invicem fuerant confoederati in vinculo pacis. Prae nimia tamen sui animi magnitudine equitans furtive sive secrete cum paucis ad regem, objecit sibi prius verbotenus praedicta [1] blande et benigne. Quae cum rex honeste et nobiliter denegaverat juramentis et verbis regalibus et honestis, dux praesentavit sibi illam litteram perlegendam. Quam cum perlexisset valde dolens, commotus fuit jurans et affirmans, se nunquam audivisse de littera illa, nec eam subscripsisse, ut nec suo consensu eam sigillatam fuisse, et irato animo nunquam se quiescere juravit, donec sciret quis scripserit aut sigillaverit eam. Et convocatus scriptores et sigillatores in praesentia ducis, sciscitabatur ab illis quis ipsorum illam litteram miserat versus Leodium nomine suo. Illi autem perlecta et bene examinata, aspicientes se mutuo responderunt regi constanti animo, quod nullus

[1] Scilicet epistolae a Ludovico Leodiensibus missae verba seu sensum.

ipsorum eam scripserat vel sigillaverat aut miserat. ut in veritate perciperetur, cum pluribus aliis verbis terribilibus. Ita quidem dux magnificus, ista audiens et videns, peroptime contentabatur. Aïtque rex duci : « Ecce, dulcis » frater, ut melius valeas scire, quod nunquam fuit de mente mea, quod » Leodienses se tibi opposuerunt, et quod nullatenus sperarent per me habere » auxilium et succursum contra te vel nepotem meum, episcopum ipsorum, » pergam peregre tecum ad visitandum Virginem Mariam in Halla [1], deinde » proficiscar tecum cum exercitu meo ad devastandum eos, ac ad improperandum ipsis quo temerario ausu talia nomine nostro contra te confingere » praesumpserunt, cum tales litterae nunquam missae fuerunt per nos, nec » de consensu meo. » Et contentabatur Karolus dux illa audiens, infremens contra malitiam Leodiensium. Attamen supplicavit regi benigne, ut nullo modo cum exercitu suo secum pergeret, eo quod haberet copiosum exercitum ad conterendum eos. Et sic rex, dispositis omnibus in pace in regno, equitavit cum ducentis lanceis et cum Ludovico, comite Sancti Pauli, connestabulo Franciae, cum duce Borboniae, et cum domino de Barry, fratre ducis Borboniae, versus Leodium cum Karolo duce Burgundiae. Qui cum venissent prope civitatem Ambianensium, occurrit rex sibi in adjutorium cum tribus millibus balistariorum sive arcuariorum ex Francia, ad pergendum secum contra Leodienses.

Sed pace facta, ut dictum est, inter regem et ducem, celeriter misit dux Anthonium bastardum Burgundiae, fratrem suum, dominum de Blammont, marscalcum Burgundiae, dominum de Sabaudia, dominum de Arguwes, filium principis Araniae, et quemdam dictum de Haggenbach, magistrum curiae suae, cum magna parte exercitus sui ad obsidendum Leodienses, ideo quod admiserant praefatos exules, adhaerendo eis contra jusjurandum et promissa. Qui venientes in oppido Tungrensi, fere illud oppidum spoliaverunt, imputantes eis traditionem, et quod praesciverant de adventu Leodiensium. Quibus factis, equitavit Leodium dominus de Haggenbach, magister curiae

Descessus ad obsidendum Leodium.

[1] Ludovicus, quum Galliae delphinus esset, in Brabantiam perfugerat ad declinandam patris sui indignationem. A duce Philippo honorifice exceptus, inhabitavit arcem Genappae, non longe ab Hallensi oppido, in cujus ecclesia, quae beatissimae Virgini Mariae sacra est, infantulum suum Joachimum, circa annum 1460 defunctum, sepulturae mandavit. Cfr. de Reiffenberg, *Mémoire sur le séjour que Louis, dauphin de Viennois, depuis roi sous le nom de Louis XI, fit aux Pays-Bas, de l'an 1456 à l'an 1461*; NOUV. MÉM. DE L'ACAD. ROYALE DE BRUXELLES, TOM. V.

principis, et convocans Vincentium de Bueren, dominum Johannem de Wilde, milites, et caeteros omnes exules, qui Leodium intraverant, dicens eis : « Ecce » habeo in commendis a domino illustrissimo duce nostro, quatenus prae- » ciperem tibi sub poena mortis exire sine aliqua cunctatione et dilatione, et » permittentes cives Leodienses in pace. Sin autem, miranda....... [1] in per- » niciem et destructionem vestram videbitis et experiemini. » Illi autem extenso collo respondentes, fere indignanter dixerunt « se velle manere in » Leodio, nec exire propter minas ejus aut ducis. » Quibus auditis, praedixit eis adventum ducis et regis, qui eos obsiderent strictissime in destructionem et exterminium ipsorum. Et cum parvi pendendo verba sua nollent acquiescere monitis suis, ipsis pie valedictis, equitavit apud suos, enarrans ipsis visa et audita. Deinde praefati domini armati, cum suis exercitibus et cum multis ingentibus et terribilibus machinis, venerunt ante Leodium, et obsederunt ipsam ex una parte. E contra Johannes de Wilde, cum suis Leodiensibus eis occurrens, decrevit eos repellere et obsidionem ipsorum dissolvere; et inito conflictu particulari, Leodienses potentia Burgundionum victi fugam maturaverunt, quos cum magno livore subsequentes usque ad portam civitatis multos prostraverunt. Corruit autem ibidem dominus Johannes de Wilde, miles egregius, cum LXVII^c Leodiensium et ultra, quem militem caeteri Leodienses secrete sepelierunt, affirmantes ipsum captum a Burgundionibus. Et sic quotidianis assultibus et privatis bellis ex utraque parte multi corruerunt. Istud accidit sabbato in profesto sancti Severini, episcopi et confessoris, hora fere vesperarum.

Rex et dux adveniunt. Interim dum ista fierent, rex et dux paulatim subsequebantur cum copiosa multitudine principum et armigerorum, ad debellandum et ad devastandum exleges Leodienses.

Cumque rex et dux venissent in extremitatibus territorii Leodiensis, et pernoctarent in castro dicto Vallys, feria tertia ante destructionem civitatis, ecce Leodienses miserunt ad regem unam litteram per quam petebant, propter regalem suam potentiam, quam toto corde diligebant, ipsis gratiam fieri de commissis et vellent stare contenti suis arbitriis, et vellent satisfacere nobiliter omnia forefacta, et offerentes se promptos et obedientes omnibus suis praeceptis. Compunctus rex, istis perlectis et auditis, ivit feria quinta sequenti

[1] Verba quaedam desunt in MS. cod.

valde mane, cum adhuc dux audiret missam suam, intimans ei contenta litterae, petens ut ex potentia ipsius gratiam eis ista vice adhuc faceret, salvo illo quod emendarent omnia commissa per eos contra suam potestatem. Cui dux aït : « Serenissime mi domine rex, non adhibeatis eis fidem, quia fal- » laces et inconstantes sunt, nullam servantes fidem. Attamen omnia ordi- » nabuntur et disponentur secundum regalem magnificentiam vestram. » Acta fuerunt ista in castro praefato post elevationem dominici corporis sub missa.

Circa noctem ejusdem diei, Leodienses mutati in proposito praefato, ex suggestione diabolica, miserunt ad ducem aliam litteram contumeliose sonantem, quod ipsi bene praevisi desideranter exspectabant adventum ipsius et suorum complicum, et essent de singulis requisitis praevisi, quod esset ipsis beneventus. Cujus tenorem audiens rex valde commotus, dixit duci Karolo : « Pulcher dulcis frater, pergamus sine tardare versus Leodium; amens et » insensatus fio de istis traditamentis istorum nefariorum Leodiensium. » Cui dux : « Numquid bene dixi? non est ipsis adhibenda credulitas nec fides. » Igitur venerunt feria quinta, quae fuit profestum sanctorum apostolorum Symonis et Judae, cum residua exercitus sui parte ante Leodium circa noctem. Et statim altera die expugnassent civitatem potenter, sed non valuerunt propter continuas pluvias et nives, quae sine intermissione ruebant et cadebant. Attamen Karolus dux in omnibus animum gerens indefessum, terribiles machinas ad urbis interitum praecepit erigi et adaptari, quibus muros noviter erectos et restauratos infringeret, et portas contereret, et civitatem sibi finaliter subjugaret.

Epistola contumeliosa Duci missa.

Leodienses vero audaces, audientes regem et ducem esse in obsidione ante civitatem, perplexi, ignorantes quid agere deberent, consilio inito, humillime et obnixe supplicabant Ludovicum, episcopum ipsorum, quem secum habuerant captum vel obsidem, quatenus dignaretur intercedere pro eis; ipsi vellent stare conditioni regis et ducis, et nunquam transgredi illam sub privatione vitae et bonorum ipsorum. Et spopondit episcopus, vere gaudens se sic evasisse manus ipsorum : exivit civitatem ad praefatos principes ad impetrandum gratiam pro illis. Quem videntes rex et dux ceperunt ipsum tenentes contra voluntatem ipsius cum magno honore, dedignantes audire primitus aliquid de pace ordinanda. Attamen episcopus salubriter institit pro pace ordinanda inter principes et suos subditos petentes veniam; sed nihil profecit.

Leodienses iterum veniam petunt.

Clam veniunt ad ducis pretorium.

Sabbato vero principes praefati expugnassent civitatem, sed iterum propter intemperiem aëris et pluviae aut nivis non potuerunt. Et sic tardata fuit expugnatio civitatis, non propter timorem sed propter pluvias, usque in dominicam diem. Attamen episcopus et alii in tantum laboraverunt, et tantas interpellationes fecerunt coram principibus pro civitate, quod sperabatur, quod omnia absque belli tumultu reformarentur. Sed, proh dolor! sabbato ejusdem diei in noctis conticinio, circa decimam horam, quidam Leodiensium circiter quadraginti vel quingenti viri audaces vel strenui, e portis obsessae civitatis erumpentes, forensem exercitum totaliter invadendo disturbarunt et prostrarunt, cum signati fuerunt signo ducis Karoli, scilicet cum signo crucis sancti Andreae. Qui cum venissent prope exercitum regis et ducis, et prope servantes excubias sive vigilias nocte, quaesiti a vigilatoribus quinam essent, responderunt placidis verbis : *Burgundiones, Burgundiones;* et sic admissi venerunt ante domos, in quibus corporaliter residebant rex et dux. Ubi dum prosecuti a vigilatoribus exercitus vacillantibus et dubitantibus de iis, quinam essent; quidam denuo quaerebant et sciscitabantur ab eis, qui essent, et quid quaererent, responderunt : Nos quaerimus vos! Et statim degutturaverunt Jacobum de Lannoy, dominum de Vilgernal et Wilhelmum Sternindr, qui servabant excubias et vigilias exercitus principum, et fere omnes qui eos comitabantur. Et clamaverunt caeteri *Burgundia! Burgundia!* provocantes complices principum ad arma. Accurrentes autem Burgundiones videntes eos signatos cruce sancti Andreae, et clamantes *Burgundia! Burgundia!* ignorabant qui essent Leodienses vel qui non, et mutuo se trucidaverunt invicem Burgundiones, antequam balistarii regis et ducis per certa signa eos noscere et discernere potuerunt. Quos insequentes fere omnes cum magno livore occiderunt. Attamen innumerabilem..... [1] prius interfecerunt ex parte ducis. Fuerunt autem ante ostia domorum regis et ducis, et nisi ibidem praelium incepissent, cepissent regem et ducem dormientes, quia erant domus rurales fere sibi invicem contiguae et non munitae, et faciliter infregissent ostia domorum ad habendum liberum introïtum et exitum, eo quod noverant situm illarum domorum. Corruit autem in illo conflictu nobilis de Verneburch; ut fertur, occisus fuit improvise ab amicis regis.

Rex et dux a somno excitati.

Rex vero et dux suscitati per suos inopinate propter fraudem et traditio-

[1] Deest vox *multitudinem* vel similis.

nem Leodiensium, commoti valde eo quod quidam nobiles ex parte Leodiensium cum episcopo ipsorum per amicabile interloquium pacem conabantur restaurare inter principes et civitatem, et ex gratia Dei perfecissent, nisi ista intervenissent; et hoc praecipue propter honorem et praesentiam regis, licet rex permaxime iratus foret ipsis. Itaque rex Ludovicus, cum venisset ante civitatem, misit solemnes dominos in civitatem ad sciendum qua praesumptione et temeritate, diffamando ipsum, divulgabatur per totam patriam, quod ipse eos animasset verbis et scriptis contra nepotem suum ac dulcem fratrem Karolum, principem Burgundiae, cum eis nunquam misisset minimam litteram. Et cum cujusmode et honeste nequiverant respondere ad objecta, nisi quod sic animavissent et trepidassent ut pusillamines, ut praecipue quia magnam confidentiam in eum habebant, ut eo melius exterrerent suos aemulos et adversarios; de quibus omnibus humiliter offerebant se ad quaevis sua praecepta paratos in emendam suae magnificae regalis offensae, petentes benigne protegi adhuc alis suae potentiae, et satisfacere sibi et duci de omnibus commissis pro ipsorum viribus. Haec audientes commissarii regis condolentes ipsis, fideliter enarrabant regi et suis primatibus visa et audita. Et sic rex, aliqualiter remitigatus illis auditis, forsan procurasset pacem ipsis, nisi ista reysa obstitisset.

Igitur Karolus dux audiens comitem de Verneburch et alios multos nobiles occisos juravit per sanctum Georgium militarem dicens : « Ex quo » contumeliose visitaverunt nos ista nocte, denuo crastina die visitabo eos » expugnando civitatem ipsorum, etiam si amitterem medietatem exercitus » mei. » Itaque altera die, scilicet dominica die, quae erat profestum sancti Quintini martyris et penultima dies mensis Octobris, Karolus dux ex magnanimitate animi sui praecepit vehi quatuor magna vasa vini ante domicilium suum et copiosum panem cum caeteris requisitis. Jussitque buccinare per totum exercitum, praecone clamante post sonitum buccinae, quod omnes venirent ad potandum gratis de vino principis Karoli ducis stante et praeparato ante mansionem suam. Insuper quod unusquisque praepararet se circa horam infra nonam et decimam ante meridiem ad expugnandum potenter civitatem. Ducis juramentum.

Igitur Karolus dux, ut rebelle vulgus Leodiense compesceret, et debitam vindictam de eis acciperet, decrevit civitatem tribus exercitibus debellare. In quorum primo ipse Ludovicus, rex Franciae, Karolus, dux Burgundiae, Lu- Expugnatur Leodium.

dovicus, comes Sancti Pauli, connestabulus Franciae, cum pluribus aliis praepotentibus nobilibus et armigeris fuerunt.

In exercitu secundo a parte Trajectensium fuerunt dux Borboniae, archiepiscopus Lugdunensis et dominus de Beaujeu, fratres, Philippus de Sabaudia, frater ducis Sabaudiae, cujus sororem rex Franciae habuit in uxorem et reginam, dominus de Arguwe, qui habuit in uxorem Mariam de Borbonia, sororem praedictorum quatuor principum et fratrum, cum Trajectensibus et aliis multis nobilibus dominis et scutiferis.

In tertio fuerunt dominus de Blammont, marscalcus Burgundiae, Anthonius, bastardus de Burgundia, Adolphus de Clivis et Marka, dominus de Ravenstein, frater ducis Clivensis, cum multis comitibus, baronibus, militibus et domicellis, et scutiferis ac armigeris.

Omnibus denique sic dispositis, hora praedicta, emissis omnibus bombardis, Burgundiones intrepide illatam contumeliam omnibus modis ulcisci volentes, formidolosum bellum contra Leodienses in expugnatione civitatis profanae aggressi sunt, cum tubis frementibus et vexillis irradiantibus. Cives vero ad arma convolantes eis ubique restiterunt egregie bombardis, balistis et fundibulis, et civitatem aliquo tempore potenter defensarunt. Itaque in expugnatione civitatis fit ingens clangor armorum, magnus stridor balistarum, nam Leodienses cum clavatis lanceis et praeacutis venabulis et gesis multos straverunt : itaque ex utraque parte commiserunt magnae depopulationis excidium. Denique tam horrendus sonitus et validus clangor bombardarum et tubarum continuus ibi fuit ac fremitus tympanorum, quod nullus alterum audire potuit. Insuper ex utraque parte tot jacula et tela continue emittebantur, in aggressu et in expugnatione, quod aër videbatur obtenebrescere, ac si grandis nix cecidisset desuper. Demum post oblongum conflictum, dux Borboniae cum fratribus suis et caeteris principibus et cum Trajectensibus, occisis et effugatis Leodiensibus, contra partem suam, quam expugnaverant, intraverunt potenter civitatem. Quod alii Leodienses, in aliis locis civitatis praeliantes, percipientes, fugam celerrime maturaverunt, et fugerunt armati extra civitatem cum Vincentio de Bueren. Et ita victa civitate, intrantes satellites et armigeri regis et ducis trucidaverunt omnes Leodienses eis occurrentes, et quotquot armatos invenerunt. Insuper aliquas mulieres, quae apportaverunt in impetu pugnae Leodiensibus lapides et caetera bellica subsidia, cum impetu trucidaverunt, eo quod adhuc jaciebant illa cum calcibus super excercitum ducis intrantem civitatem.

Ludovicus vero rex, signatus signo ducis, scilicet cum cruce sancti Andreae, reprehendit suos clamantes : *Vivat rex, vivat rex!* dicens quod clamarent : *Vivat Burgundia, vivat Burgundia!* licet sui non advertebant.

Ecclesiarum spoliatio.

Burgundiones vero et omnes armigeri et satellites, intrantes ecclesias armati, trucidaverunt cives aliquos in choris, tempore missae, post elevationem Sacramenti, eo quod in fine missae intraverunt civitatem et ecclesias. Atque spoliaverunt omnes ecclesias atque monasteria et conventus sanctimonalium clenodiis, pecuniis, reliquiis, capsulis, cyboris, effundentes corpus Dominicum absque timore et reverentia, calicibus, libris et omnibus ac singulis requisitis cum ustensilibus eorumdem. Et proh dolor! honestas matronas violaverunt, stupraverunt sanctimoniales, defloraverunt virgines, viduis vim intulerunt opprimentes illas, et absque respectu Dei et absque humanitate ac reverentia omnia perpetraverunt sicut volebant. Non pepercerunt Carthusiensium, regularium et aliorum contemplativorum virorum monasteriis, quae violenter spoliaverunt omnibus calicibus, libris et capsulis ac clenodiis.

Et, ut fertur, antequam dux Karolus intravit ecclesiam sancti Lamberti, quidam temerarii armigeri, accedentes capsulam pretiosam, in qua venerandum ac sanctum corpus gloriosi sancti Lamberti pretiosi episcopi et martyris pausando requiescit, volentes eam aperire absque reverentia et capere partem reliquiarum ejus, apponentes manum ad feretrum, statim ceciderunt retrorsum, veluti Judaei qui Christum capere praesumebant. Et unus illorum permansit mortuus. Alii territi fugerunt, sentientes ibidem adesse majestatem Dei.

Episcopus Leod. duci et regi obvius.

Statimque Ludovicus, episcopus Leodiensis, capta civitate, equitavit armatus cum fratribus suis obviam regi et Karolo duci, introducens eos ad interiora civitatis, et rege equitante ad curiam episcopi. Ipse dux Karolus timens Deum, equitavit ante ecclesiam sancti Lamberti, quam pedester intrans, ut eam defenderet, accessit ad summum altare ejusdem ecclesiae. Et facta oratione, steterunt canonici ejusdem ecclesiae valde perplexi et timorati, offerentes ei sacramentum Dominici corporis ad osculandum, genibus flexis, petentes salvari propter Deum et recipi in gratiam suam. Dux vero, urgente conscientia sua, judicans se indignum in tali proposito osculari creatorem suum, benigne et humiliter renuit, et cepit eos in gratiam suam, defendens eos quantùm potuit. Et vexillifer ejus dictus Roesqyn semper tenuit principale vexillum suum post tergum suum. Surgensque ab oratione sua, praecepit

Dux S. Lamberti ecclesiam in tutelam suscepit.

vexillum suum figi in navi ecclesiae, praecipiens sub poena capitis, ne aliquis etiam quantumcumque magnus eam violaret vel spoliaret, propter reverentiam sancti Lamberti: et evaginato gladio, ipsemet fugavit ex ea raptores et spoliatores quantum potuit. Et fuerunt innumerabiles Leodienses occisi cum impetu tam in plateis quam in locis sacris, multi submersi, multi capti illa die. Et erat miserabile spectaculum. Ubique gemitus, ubique de intraneis pavor, suspirium et ululatus; jacebant enim Leodienses occisi in plateis insepulti multis diebus, ita ut supra nuda corpora occisorum equitaverunt, et cum aurigis et curribus perrexerunt absque humanitate, ac si supra planam terram aurigassent.

Regis et ducis hospitium.

Fuerunt autem rex et dux hospitati in palatio episcopi. Sed rex noluit quovis modo hospitari in superiori camera episcopi, in qua dudum Karolus dux hospitatus fuerat, deferens honorem duci : quod tunc dux admisit causa honoris.

Altera vero die rex et dux, cum comite Sancti Pauli et aliquibus aliis dominis, equitaverunt cum paucissimis servitoribus per plateas, speculantes et intuentes pulchritudinem civitatis.

Deinde Karolus audiens, quod sanctimonialium et beginarum conventibus sui non pepercissent, conduxit naves suis expensis, in quibus praecepit omnes viros ultra LX annos ac pueros cum honestis mulieribus et religiosis poni, et omnes absque ulla exactione navigare quorsum vellent vehi. Sanctimoniales vero ac alias religiosas virgines suis expensis versus Trajectum praecepit navigio duci et ibi manere, donec cessaret horribilis illa civitatis quassatio.

Civitas tota spoliatur.

Heu! heu! quotidie satellites principum explorantes domos burgensium causa spoliationis depraedantur omnia, et invenientes aliquos fortes viros, latitantes in angulis sub tectis domorum prae timore angustiae et mortis, praecipitabant et projiciebant eos ex fenestris supra plateas, et absque aliqua misericordia, et fractis cervicibus et caeteris membris interierunt, vel pejus degutturaverunt eos, vel mutilaverunt, et sic veluti invalida et foetida cadavera projiciebant eos semimortuos supra plateas, et sic monstruose immo miserabiliter permanserunt in plateis longo tempore, eo quod non erat qui sepeliret eos, occupati et vacantes spoliis et depraedationibus.

Rex in Galliam redit.

Demum in festo Animarum rex, valedicto Karolo duce, cum suis remeavit versus Franciam.

Pars civitatis concrematur.

Cumque per octo dies spoliata ac damnata fuisset civitas, praecepit dux

partem civitatis ultra Mosam, favillatenus dirui et conflagrari. Quod et factum est. Et invenientes multos Leodienses, occultatos in privatis locis prae timore mortis, fere omnes submerserunt in Mosa, non valentes dare pecuniam in promptu vel in paucis diebus.

Rex vero Ludovicus, victa civitate, equitavit Aquisgrani cum regali comitiva, volens devote peregre visitare Virginem Mariam, obtulitque pretiosa munera ibidem, licet novam capellam funditus fundaverat et dotaverat Aquisgrani ob honorem Virginis gloriosae Mariae, sicut in Trajecto superiori in ecclesia Sancti Servatii fundaverat.

Mansit autem Karolus dux in Leodio fere per duodecim dies, in quibus multas domus principalium transgressorum praecepit funditus destrui. Et praeficiens residuis partibus civitatis Leodiensis dominum de Witthem militem strenuum, ipse cum exercitu suo perrexit Trajectum.

Interea cum dux in Trajecto residebat, et fama percrebuerat ad aures exulum Leodiensium congregatorum in territorio de Franchemont, eo quod ibidem refugium habebant, sperantes tute ibidem residere, eo quod nullus unquam episcoporum vel principum illud territorium intraverat potenter cum exercitu, quia inaccessibile fere est. Est enim territorium forte situm intra montana, habens obliquas parvas vias, per quas patet accessus et exitus, sic quod secure aut tute nullus praesulum Leodiensium praesumebat intrare contra voluntatem ipsorum in eo habitantium, quia erat vallis repleta multis fortibus villis, et duobus fortibus castris. Et dicebatur *Franche-Mont*, quasi libra montana, et erat territorium valde populosum. In illud enim territorium fugiebant Leodienses victa civitate, quorum multi audientes ducem cum exercitu in Trajecto perseverare, redierunt secreto Leodium, sperantes fossas et occultatas ipsorum pecunias cum clenodiis refodere ac recipere et tunc recedere. Qui secreto nocturno tempore Leodium intrantes, quotquot, prius privatae et postea manifeste, de parte ducis invenerunt, trucidaverunt; et acceptis suis utensilibus, vilibus cum omnibus aliis, quae commode portare et accipere valebant, recesserunt fugientes in territorium de Franchemont, denuo quasi ad locum securum. Cumque dux ista percepisset, et quod refugiebant in Franchemont, quam patriam nullus unquam praesumebat debellare, decrevit et statuit illatam contumeliam stricte vindicare, ne ipso absente diurnatim suos expugnarent. Franchimont.

Sed antequam recessit a Trajecto, praecepit magistrum Amilium burgi- Decollatio burgimagistri Leodiensis.

diligentium deinceps vitam quietam, atque inprimis gravissimo dispendio legati, qui utpote vir sapiens divinaverat eum reditum omnem clementiam ac benignitatem a corde principis Caroli exempturum. Ne tamen legatus pacis speratae penitus diffideret, hortatus est exules quanta potuit instantia, ut se urbe abstrahentes denuo exulatum irent, alioquin felicem ac quietum statum urbis se nunquam visurum, seque nihilominus apud clementem principem pro eorum pacifico reditu sedulo deprecaturum. Illi vero ulterioris exilii pertaesos cupere se omnibus modis ac conditionibus pacis cum episcopo suo in nativa urbe vivere, aut pro patriae desiderio ad unum omnes interire responderunt. Divulgabatur interea ubique gentium reditus exulum Leodiensium in urbem, unde haud dubio innovatum bellum. Hic licet cernere cuilibet ordinem rerum contemplanti quam is reditus legato infaustus fuerat, utpote qui de maxima spe pacis deciderat in summas angustias mentis, quod conjiceret legationem suam optato fine minime perfuncturam. Carolus igitur, intellecta Leodiensium exulum invasione, pacisci cum rege maturavit, quo concitatum ira animum ex Leodiensium rebellione, in eosdem ocius effunderet, et quos anno praecedente muris ac armis nudaverat nunc gravi supplicio afficeret, denique urbem incendio consumeret. Nulla igitur legati culpa tanta urbs tam misere afflicta est, sed paucorum exulum, qui clementis principis ac salvare cupientis animum ad tantam indignitatem provocaverunt. Interea Leodiensium temeritatem animadvertere contendit. Legatus autem in tanta rerum perturbatione versatus, diffidens sane rebus Leodiensium, eosdem tamen ad humiliationem adhortari conatus est. Jam enim civitas obequitari cepta est. Leodienses autem Tungrensi successu inflati, adversus sanas prohibitiones legati moenia egressi a Burgundis facile superati caeduntur. Quapropter legatus a Leodiensibus obsecratur, ut ad Burgundos proficisceretur, si quid boni sua prudentia posset efficere. Legatus igitur Burgundorum castra petiturus episcopum Leodiensem secum educit, quo praetextu gratior ejus adventus Burgundis foret. Nam Borbonius cunctis Burgundis proceribus attinebat, qui se a Leodiensibus necandum formidaverat, si dux in eos atrocius vindicaret. Legatus quoque cunctis Burgundis invisus fuerat, quod nimium Leodiensibus favere creditus sit. Sed quid posset aliud legatus in tanta rerum desperatione efficere, ubi viderat maximam potentiam armatam adversus exhaustam diuturnis calamitatibus ac miseram urbem infestis signis proficiscentem, quam opus legationis suae fideliter adimplere, quod erat errantes

reducere ad viam rectam, misericordiam implorantes apostolica auctoritate absolvere, rudem plebem erudire, facinorosos a sanguine prohibere, potentioribus jura vasallorum ostendere, atque universos fideles subditos domino suo efficere. His rationibus quia legatus diutius cum Leodiensibus versatus est, a Burgundis Leodiensium partium fuisse insimulatus est. Igitur cum jam tamen non destitit bonus ac sollicitus pater, inquirendo vestigare quibus posset modis tam impendenti calamitati subvenire, quamvis diffideret se, remanentibus in urbe exulibus, principis parem fore. Carolus igitur, percusso cum rege Gallorum in civitate Pironae foedere, cum omni exercitu, quem ad tam potentem regem debellandum comparaverat, divertit ad miseram urbem extirpandam, et quod cunctis mortalibus indignissimum visum est, non solum dux, qui jam multos annos cum Leodiensibus bellum gessit, sed etiam rex, adversus tamfideles clientes et promptos satellites, cujus signa gestaverant, auspicia sequebantur, adorabant majestatem, hostis accessit. Praemiserat jam dux robur exercitus sui Tungrim, unde primo quoque die civitatem incursionibus infestarent, ipse prope diem cum rege subsecuturus. Leodienses autem, cognito hostium adventu in civitatem Tungrensem, rem audaciae magis quam fortitudinis plenam aggressi sunt. Quippe trecenti exulum inermium fere, quia dux eos armis privaverat anno superiore, noctu conscendentes aggeres civitatis, nam dux muros antea dejecerat, octo millia equestrium, alios quidem captivos abduxerunt, inter quos fuerat legatus et dominus eorum Borbonius, qui pacis causa eo convenerat, legatus Guido Humbercortus Leodiensium inimicissimus; alios interemerunt, in quibus fuerat Robertus, sigillifer domini Leodiensis; alii fuga elapsi sunt. Dux hac insigni contumelia suorum intellecta nihil irarum ex animo remisit; quin imo, quantocius in tam procacem legatus, comitatus episcopo Leodiensi, castra Burgundorum noctu prosequeretur, a domino de Argue cui soror Borbonii nupserat, cum omni familia sua captus est, bonis direptis, denique gravissima pecuniaria mulcta imposita, verum cuncta a duce jussa restitui. Interim tamen non destitit cuncta perlustrare, si quis casus eum in tanto strepitu armorum ad ducem perduceret. Per id enim tempus dux sui copiam legato haud fecit, sed ut Cicero prudentissime in Milone ait, cernens legatus leges inter armatos silere atque dignitatem suam inter sanguinarios satellites versari multisque periculis esse expositam, ducis primum deinde proprio consilio fretus, coactus est ab exercitu cedere. Perveniens itaque magnis periculis Trajectum, tantisper illic remansit, dum

miserae urbis excidium ab Alberto apostolico nuntio, qui liberius inter armatos versatus est, recitante perdidicerit. Hic pensandum est quo animo existimemus talem virum patriam urbem repetiisse, ad quam se rediturum ingenti gloria antea putaverat. Et quamvis nullius delicti se conscium agnoverat, tamen quia humana judicia plerumque ab eventis ac casibus rerum fortuitarum pendent, idcirco sit, ut cum unus quidem multorum criminibus virtute par esse nequeat, in eumdem omnium delinquentium peccata impingantur. Cupiens igitur prudentissimus legatus pontifici primum, deinde toti Romanae curiae ac universo populo rationem suae legationis ostendere, accivit ex omni Italia doctissimum poëtam Angelum Viterbiensem, qui heroïco carmine rem omnem ab egressu urbis luculenter perscriberet. Usus est autem visissim mea opera in hoc labore legatus, verum poëma Angeli in hoc usque tempus, suppressum extitit, et mihi id magnopere requirenti incognitum fuit. Fraudatus igitur poëta laude est, nam id taliter provenisse haud dubium est. Cum enim liber jam confectus esset, contigit Paulum summum pontificem subito e vita decedere, ad cujus gratiam promerendam ab Honofrio condendo libro impensae diuturnae factae fuerant. Erat autem summus pontifex vehementissime legato infensus, ita ut ne publico honore, quo legati assolent, in urbem reciperetur; qua indignitate effectum est, ut omnimodis rebus a se fideliter ac sapienter gestis consuleret. Fata enim (ut in proverbiis rerum infeliciter succedentium est) illi adversa fuerunt. Sublato igitur de medio Paulo, atque suffecto in sede apostolica Sixto quarto, contigit Honofrio partim languore animi, partim laboribus atque anxietatibus in legatione perpessis, in gravissimam aegritudinem incidere, unde etiam consumptus est. Tamen Sixtus pontifex multo clementius cum homine egit; agnoscens enim sanctissimus pater maganimitatem, atque in rebus agendis viri dexteritatem, quo animum ejus paulisper allevaret, pollicitus est illi cardinalatus dignitatem, nam eo semper in vita anhelaverat. Sed cum nullis consolationibus bona valitudo praestari posset, eodem anno quo Paulus, defunctus est. Apparet igitur liquido Angelum his rationibus perturbatum, cum gemino principe orbatus foret, librum suum postea minime emisisse. Ego autem multiplici ratione persuasus, non destiti originale tantae historiae post obitum Honofrii summo studio per multos annos perquirere, primum quo honori domini mei etiam post fata assisterem, tum quia de patriis calamitatibus est, quod non magis mihi vitio dari posset, quam Josepho patriam cladem atque urbis nativae excidium

perscribenti; postremo quoque ne tam cultum multarum noctium carmen per inertiam atque negligentiam simul cum auctore interiret, sed traderetur illis perlegendum quibus tua dignatio impartiretur. Releges igitur, reverendissime praesul, Leodinam historiam vel, si ita malis appellare, miserae urbis excidium calamitosum. Unde facile pernosces, qua mente summi pontifices in Leodiensem ecclesiam ac populum exstiterunt; quibus consiliis ac periculis legatus Leodii conversatus sit; quam inquietum regnum dominus Borbonius per omnem fere administrationem peregerit; quibus difficultatibus ac sumptibus dux Carolus eumdem populum humiliaverit; demum quam gravem ruinam urbs pro rebellione sustinuerit. Deus autem optimus maximus dignetur annuere, quo haec ultima sit, quatenus tam clara Belgicae nationis urbs, ad pristinam nondum faciem reparata, cum potenti populo perenni pace perfruatur.

XV.

DE CLADIBUS LEODIENSIUM, EXCERPTA EX CHRONICO ADRIANI DE BUT, EIUSQUE CHRONICI NOTIS MARGINALIBUS.

—

Igitur anno Domini M° CCCC° LXIII° oriri coepit inter Leodienses et eorum episcopum gravis discordia. Scientes autem episcopum eorum fore de sanguine Philippi ducis Burgundiae, timuerunt publicam tam cito indicere guerram. Sed missa perpulchra ambassiada, petierunt a Ludovico rege Francorum jamdudum promissam ab eodem rege assistentiam sibi prius dari. Rex autem Ludovicus dissuadens guerram usque ad tempus opportunum, mandavit differri, donec res aliter deduceretur. Sciebat enim cautiorem invadendi modum. Putabat enim per generalem crucesignationem, quae fiebat ex mandato universalis ecclesiae per Pium papam, plures et quammaxime praestantiores nobiles et barones evocandos fore ex omni dominio Philippi ducis, sicuti copia bullae missae videbatur declarare..... His verbis[1] in tantum persuasus exstitit illustrissimus princeps noster Philippus dux ut, nisi a suis abductus fuisset, haud dudum juxta propositum suum iter arripuisset. Sed dissuasiones

[1] Scilicet verbis diplomatis pontificii.

omnium suorum nobilium diverterunt animum tanti principis in tempus aliud, sic quod confusus summus pontifex non percepit ab eo, quam promiserat assistentiam. Nihilominus excusavit se per aegritudinem, quam incurrerat, et per commotionem Leodiensium.

Anno domini 1464, regressus est terra, qui mare perrexerat pugnaturus super Turchos, dominus Anthonius, naturalis filius ducis Burgundiae. Hic fortiter agere coepit, ut Leodienses impugnarentur, eo quod illi de Dynanto se reddiderant infestos. Similiter comes Caladrensis de mandato patris sui maximam colligere coepit armaturam.

(1465). Leodienses exierunt, ut villam de Lemburch acciperent, et cum percepissent a rege succursum, ut putabant, ignem in diversis locis Brabantiae posuerunt. Deinde Dinantenses aestimantes comitem de Charloes extinctum bello, patibulo constructo suspensum cum armis Burgundiae comitem praefatum erexerunt, conviciando parentes suos. Deinde perduxerunt ante Bovines, quae villa se tenuit ex parte Burgundorum. Sed cum haec non impune facerent, doluit comes cum esset occupatus in suis.

XV[a] octobris senescallus Brabantiae comes de Nassou, ballivus Hannoniae et alii nobiles Brabantiae, Flandriae et Hannoniae cum XVIII[c], ingressi patriam Leodiensium, conflitum fecerunt apud Montenaken, ubi XXII[c] interfecti fuerunt Leodienses.

Comes Caladrensis perrexit cum toto exercitu suo ad debellandum patriam Leodiensem, sed concordia facta est sine clade, quae paucis diebus duravit.

Armipotens Carolus Legios subicit sine clade [1].

Senescallus Brabantiae, dominus de Breda, comes de Nassou, dominus de Perwys et dominus Ludovicus de Gruuthuze, gubernator Hollandiae, Leodienses apud villam de Montenaken fere usque mille et quingentos occiderunt, antequam armatura Karoli de Francia descendisset.

[1] Idem fere versus legitur in libro *Karoleidos*. Cfr. *Bulletins de l'Académie royale des sciences et belles-lettres de Bruxelles*, tom. IX, part. 2, p. 266, vers 255.

Unde sequenti anno Karolus contra Dinantenses perrexit. Durante autem obsidione fere novem diebus, capta est villa de Dynanto et igni funditus conflagrata [1].

Dynant praeclusa mox est calcata Leone
Mille quadringentis decies sex sex notat annos.
1466, 14 augusti.

Porro Dynantenses et Leodienses exierant in initio mensis maii, non obstante contractu pacis, datis obsidibus, et Namurcenses et Hannonienses inquietare coeperunt. Nihilominus in vinculum excommunicationis inciderant, prout eorum episcopus impetraverat, unde rebellionem publicam ostendendo concitaverunt ducem Philippum vetulum, qui in propria disponens se iterum maximam colligi fecit armatam, cui praefecit conestabularium Franciae, sed restitit bastardus Anthonius, propter quod discordia evenit.

Versus de destructione Dynanti.

Hi de Dinanto communes sunt populares,
Insontes, stolidi credulitate sua,
De terra ferri servantes ferrea corda;
Sint licet ut ferrum, nil agit in calibem.
Ipse quidem Karolus saxo sic excutit ignem,
Dum vult malleolis quam cito cudet eos.

Aggressu primo cujus dedit undique vallo
Nocte dieque locum castigans pulvere forti,
Furtive properans et ejusque suburbia captans,
Intrat ablatis spoliis, cautique recedunt.
Et caeteri melius nequeunt quam reddere sese
Ad nutum Karoli pleni pietate modesta.
Non attendentes commotus qualiter ante
Offensis multis verbosis, sed magis actis,
Incursando quidem fecerint interficiendo,
Reddunt seque tamen tractatu non bene facto.
Tunc prius emissis fragili sexu puerisque,
Fit vindex ignis consumens omnia praesto.
Quodque remansisset manibus perit hoc operosis.
Donec dicatur: « Dynant prius hic fore visa
Hos ita perdemuit, qui malleus indomitorum,
Filius ut Martis Karolus quia diligit arma. »

[1] Cfr. infra p. 368.

In versiculo infra nota annos Domini. (1466.)

DInant aCCensa MoX non pLaga CUnCta repressa.

Planctus.

Quomodo sola manet Dynant quondam populosa,
Facta velut Troia nunc sine vestigio;
Illic defluxit Xanctus sicut, hic modo Mosa,
Quam paucis similis, attamen excidio.
Ylion aut ubi nunc Hector totidemque potentes
Talibus heu! caruit insipiens populus.
Quin potius contra Priamus pater et suus Hector;
Nec sibi praesidio Penthasilea fuit.

Planctus.

O viduata viris, Dynant, orbataque natis,
Et sexus fragilis nescit habere locum.
Esurit atque sitit primo qui splendida sumpsit,
Et modo veste caret cui primus ampla satis.
Heu! Dynant, miseranda jaces, indulgeat ipse
Omnibus indulgens qui patienter amant.
Quisquis amat, timeat, patienter et aspera portet,
Ut Deus exaltet hunc regione sua.

Rege igitur et duce Burgundiae Villam de Perona pariter ingressis et ad horam trahentibus morulas, delata sunt illico nova super facto Leodiensium. Qualiter videlicet Raso capitaneus cum magno numero Leodiensium villam Tongrensem in deditionem acceperat, et episcopum Tricariensem cum episcopo eorum ac quibusdam nobilibus captivum abduxerat Leodii, caeteris interfectis. Quae res commotos reddidit regem et caeteros principes, unde dux Carolus, qui dudum suspectum regem Franciae veluti fautorem exceperat, jam contra Leodienses invasorem secum accepit. Nam tota se duci regia obtulit majestas in oppugnatiomem et eversionem praefatorum Leodiensium. Igitur prae stupore cunctos utriusque exercitus admiratos tuba proclamavit. Levatis igitur exercitibus, per Viromandiam et Hannoniam venitur ante Leodium fere xxiij die mensis octobris. Videntes autem Leodienses regalia signa eminere fortissimumque ducis Caroli dispersum exercitum sub moenibus appropinquantem ad capiendam in manu forti civitatem, spe pacis aut concordiae captivum emiserunt episcopum. Quo salvo, proceditur bellicis machinis contra civitatem et a

tribus locis obsessa fortiter impugnatur. Defendentibus autem se Leodiensibus, fictum fore Francorum adesse regem existimantes inter oppugnantes opprobria dedere. Quibus omnibus non obstantibus non sine damno Burgundorum, qui acrius oppugnabant, vi civitaspraefata capitur, spoliatur ac devastatur. Verum inter oppugnandorum obsidionem miranda quorumdam Leodiensium audacia tentavit fere quingentorum virorum fortium noctu irruentium regis ac ducis ingredi tentoria; sed armorum vi cum damno tamen repulsi sunt, ac infra civitatem se dare coacti. Sequenti vero diluculo, dominico quidem die, factus est generalis assultus in quo pluribus prostratis, aptatis scalis et erectis in manu forti, fugientibus pluribus tam per Mosam quam per portas patentes, civitas in deditionem miseranda strage reducta est. Rex igitur Francorum chimiram sive signum Sancti Andreae, quod erat ducis Burgundiae, suscipiens, cum suis omnibus ingressus, evaginato gladio, donec in medio fori venisset, clamavit in signum victoriae: *Vive Bourgoingne! Villegangnie!* Quae res inaudita creditur accidisse, et inter ejusmodi temporis miranda valde reputatur evenisse. Hinc Francis, illinc Burgundis per totam civitatem dispersis in caede vel flamma nec non submersione crassantibus, vix sexui indulgetur in impetu. Tandem ne tractentur irreverenter matronae sacratique viri cum virginibus, ex edicto tam regis Francorum quam ducis Burgundorum prohibetur. Sed illo non obstante, caedibus et rapinis inhiantes nulli pepercere sexui, quin etiam sacras violarent domos, donec pene cuncta portabilia seu mobilia bona navibus ac curribus injecta abducerentur. Et tunc pars maxima civitatis ejusdem igni conflagrata est. Sic recedens cum butino suo Francorum rex in Franciam, perrexit dux Burgundiae versus Ardennam, fugitivos et fortalitia patriae demoliturus. Compertum enim habebat plures Leodiensium aufugisse. Regressus autem per vastatam civitatem, jussit quod residuum erat, demptis ecclesiis, flamma consumi et solo adaequari. Rasis igitur portis et muris omnibus, relictisque stipendiariis cum capitaneo, movit exercitum a patria illa desolatissima et per Brabantiam intravit Flandriam et in Gandavo se recepit, ubi ad eumdem ducem plures e diversis mundi climatibus applicuerunt. Inde Brugis veniens, in signum victoriae Peronam, alias a civitate Leodiensi delatam, supra bursam erigi fecit, cui versus hi legebantur insculpti :

Desine sublimes in auras tollere vultus,
Nosce meo casu nec dare firma Deos.
Nobilitatis ego Leodis venerabile signum

Gentis et invictae gloria nuper eram.
Sum modo spectaculum ridentis turpe popelli
Et testor Caroli me cecidisse manu.

Fertur autem infaustissimo tempore malum hoc civitati Leodii evenisse cleri demeritis, qui proprium episcopum Ludovicum de Borbonia, nepotem Caroli ducis, pluries reppulerat, necnon vulgus contra ducem in pugnam excitarat, memor veteris querelae, dudum ante annos quinquaginta et novem per Johannem ducem Burgundiae simili fere de causa illatae, propter electum eorumdem Johannem de Bavaria. Nempe belli finis cum sit pax, quonam modo tractatum sit inter ducem Burgundiae et nepotem suum Leodiensem episcopum supra nominatum, quibus autem articulis patria illa post eversionem redacta sit in subjectionem, ad plenum enarrare longum et prolixum valde foret. Hoc tantum sufficit relictum scire dominium ejus in manibus ducis Caroli, qui usque hodie suos in eo collocavit justitiarios.

Fuit autem his temporibus magister quidam ex Hannonia de Angia, qui super excidio Leodiensium in honorem ducis quaedam metrice composuit [1], inter quae haec descripta repperi :

Magnificus princeps, dudum qui fortius egit,
Indomitos Legios nunc legibus instruit apte,
Pontificique suo concordans ante rebelles.
Si tempestive correxissent malefacta
Et bona justitia superasset tunc violentes,
Non pervenissent quo perveniunt miserandi,
Exemplar facti cunctis fere qui modo vivunt !

Heu, male consulti Legii, sed lege carentes !
Cur defamastis, quem decet altus honor?
Nam Leo rugitum dans totum clima movebat ;
Nunc tulit impune praenocuisse suis.
Quis nisi mentis inops illi resistere vellet,
Quem regesque duces et metuunt et amant?
Nemo modernorum valuit superare potentem,
Nec debellavit fortior ullus adhuc.
Non sua possedit praestantior omnibus usque,
Dux leo quam Karolus, quo pie nunc regimur.

[1] Ille igitur magister ex Hannonia de Angia dicendus est auctor libri *Karoleïdos*, quem nuper edidi. Cfr. *Bulletins de l'académie royale de Bruxelles*, t. IX, part. 2, p. 253.

Haec de Leodiensibus dicta generaliter sufficiant.

Sciendum quod ante eversionem praefatae civitatis Leodii stella quaedam caudata futuram in ea calamitatem visa fuit praenosticasse. Fuerunt ventositates validae circa idem tempus, et ictu fulminis die apparitionis Salvatoris nostri turris percussa est incendio de Hulst, ruentibus in laminas de campanili vasis omnibus et liquefactis.

* * * * *

(1466.) Videntes autem Leodienses regem [1]... debaccari, levaverunt itero se contra episcopum eorum, fratrem ducis Borboniae, et eum a villa de Huyo fugaverunt, interfectis quibusdam de parte ducis Burgundiae, quos idem dux posuerat ibidem pro conservatione patriae. Sic e converso rebelles facti contra contractum et juramentum quod fecerant cum Philippo duce Burgundiae ac Carolo filio suo, quaecumque poterant mala perpetrati sunt. Dux autem Burgundiae Philippus apud Bruxellam facta congregatione valida nobilium, arma levavit contra Leodienses, sed propter debilitatem et senium in propria non valens exire, totum belli onus filio suo Carolo comiti Caladrensi commisit. Rex Francorum dum audiret comitem Caladrensem Leodienses invadere debere, misit quosdam stipendiarios in auxilium per Campaniam et Ardenniam ipsis Leodiensibus. Porro Carolus comes Brabantiam exire parabat. Contractis undique copiis nobilium et armigerorum, primo cepit Dinantum. Qui dum aciem suam dirigeret in subversionem villae Sancti Trudonis, plures ad impediendam obsidionem se moverunt de Leodio cum bellicis instrumentis et quadrigis ac victualibus, quos quidam de parte ducis Burgundiae venturos nuntiavere. Quare comes Carolus, aciebus ordinatis, cinctaque villa praefata et adventu Leodiensium audito, clamor ad pugnam et sonitus terribiliter proclamatur. In aggressu Leodiensium, eo quod debilior esset, prima custodia comitis cessit, fortassis ex industria, prout postea belli exitus declaravit, quoniam ex adverso praesensiit adjutorium, et Anthonium bastardum fratrem comitis adventare continuo recognovit, cujus adventu durior fit aditus pugnae. Sed quia in crepusculo quasi noctis congressus iste fiebat, totus Leodiensis exercitus diruptus et distractus est; plures igitur eorum terga verterunt, caeteris prostratis et captis curribus, victualibus unacum bellicis instrumentis quorum copiam adduxerant. Et tunc bellum intercipitur

[1] Franciae Ludovicum XI.

fuga, quingentis fere interfectis viris. Prosequitur post hoc intentum suum comes Carolus et villam Sancti Trudonis dura jam obsidione penitus quassatam in deditionem accipiens quosdam gladio jugulari, quosdam illaesos et in gratiam capi jubet. Hac villa funditus eversa, movit idem comes exercitum suum vastando fortalitia hinc inde, donec Tongris pervenisset; quae villa se submisit obedientiae suae cum pluribus aliis. Et procedens tramite suo castrametatus est ad milliare civitatis Leodiensis, sic quod illi de civitate omnem ejus exercitum orto sole viderent longe lateque se dispergentem ad assultum sine mora praebendum. Civibus igitur aspicientibus se cingi ac locis aptioribus bellicas machinas collocari, sicque primo obsidionis aggressu taliter coartari, ut vix egredi valerent aut praesumerent, consilium inierunt, ut trecenti aut quadringenti de notabilioribus eligerentur, qui exirent civitatem et procederent nudi, lineis tantum induti, veniam petituri. Quod factum est. Nam tamdiu prostrati jacebant ad pedes comitis et episcopi caeterorumque nobilium, donec responsum audirent. Tali igitur pacto concordia sumpsit exordium, ut videlicet tres capitanei comitis, scilicet frater comitis dominus Anthonius, et nepos ejus dominus Adulphus, nec non dominus de Gruuthuze, cum omnibus suis armigeris ad tres portas intromitterentur, servatis ac salvis bonis et vita omnium in Leodio existentium, in qua quidem civitate tam diu moram traherent hi praenominati capitanei, donec ad pacis unionem omnia tractata essent. Cives igitur annuerunt huic petitioni comitis et Dei gratia mediante, brevi dierum spatio, firmata est pax et sedata commotio, susceptoque comite nec non episcopo eorum domino Ludovico de Borbonia, promiserunt fidem et stabilitatem semper observandae pacis, fugato Rasone de Linteris, qui caput ferebatur principale totius discordiae. Imposita igitur erat pecuniarum maxima emenda, nec non ipsi Philippo duci Burgundiae per vices quadraginta cives obsides assignati sunt ad majorem confirmationem, qui alternatim, donec taxatio persoluta esset, deliberabantur et restituebantur.

Bonus dux Philippus cum exercitu descendit usque Namurcum et circa finem Augusti fecit filium suum Carolum cum exercitu praeire ad obsidendam villam Dynanti. Dux vero sequutus usque in Bovines, sommari fecit capitaneos de deditione; facta simul approximatione machinarum, quam, dum respuerent, ab omni parte sic oppressit, ut post fouburgorum ruinam et ingressum velut amentium hominum bellicosorum ducis, omnes capitanei vel stipen-

diarii villae, omnibus relictis, aperta quadam porta discederent. Cives igitur inconsulte sic reddiderunt ut ad voluntatem ducis prae multitudine introeuntium et fumigantibus machinis ac si in inferno strepitus fierent, quo fugerent ignorarent. Comes igitur de Charolois a patre suo petiit spoliare villam, et ordinavit secundum capitaneos tres a tribus locis depraedari villam, post igne conflagrari, tandem muros dirui ac portas subverti jussit, ut vix lapis super lapidem remaneret. Verum illi de Bovynes ex collectis lapidibus ponte constructo se fortificaverunt, cessitque praeda magna stipendiariis ducis. De qua cum se planxisset conestabularius Franciae, scilicet Ludovicus, comes sancti Pauli, pro antegardia deputatus, dux ei villam de Thuino concessit, et inhabitatores ejus mox, ne destruerentur, sese liberaverunt maxima denariorum summa concessa etc. Deinde conestabularius Franciam petiit, indignatus super comite de Charlois ac fratre suo Anthonio, bastardo de Burgundia. . . . .

Comes de Charolois armatam suam non dissolvit, sed in praesidia misit capitaneos. VIII igitur septembris, iterum datis obsidibus Leodienses promiserunt observare pacem, quam, audita morte boni ducis, rumpebant iterum.

Nota marginalis. XIIII octobris anno LXVIII pax iterato fit inter regem Ludovicum et Carolum novum ducem Burgundiae et sub jurejurando firmatur ad servandum, sicut nuper apud Conflantium in conventione principum, sed ultra id specialiter roboratur, de non praestando homagio, sive de parlamento regali placitantium, nam mox idem dux Carolus novum parlamentum ordinavit apud Machliniam. Rex ergo multa concessit. Sed prout prius nihil observare voluit, dicens irrita quae vi vel extorsione dabantur. In tamen firmitatem observandae pacis ipse rex in propria se dedit ad Leodium destruendum, quod XXVI[a] octobris subversioni miserabili subjacebat. Priusquam vero talis desolatio fieret apparuit signum in aëre, percutiens cum cauda super civitatem ad instar cometae, quae vel mortem aut mutationem grandem praenosticaverat. Sed non erat qui cognosceret, et volunt flagella Dei notari a sanctis et bonis, prout in ea civitate fuisse viros aestimatur. Tot igitur ecclesiae, tot monasteria vel sacrae domus perierunt ut merito plaga Dei, cujus instrumenta Deus permisit reos et criminales homines punire putare. Omnes tamen qui in destructionem civitatis aut patriae venerant ante decennium perierunt: nam et imprimis conestabularius Franciae Parisiis truncatus capite fuit, deinde dux

Carolus in obsidione de Nansy succubuit, postea gubernator patriae Leodiensis, dominus de Humbercourt, unacum cancellario dicti ducis Caroli, Gandavi decollati fuerunt. De caeteris autem vel in miseria tenebantur, vel in captivitate servabantur, ut puta de Burgundia Anthonius, naturalis frater ducis Caroli, et frater Balduinus, bello Lotharingorum, cum multis aliis nobilibus, qui in expeditione Leodiensi affuerant. Brugis etiam propter demerita decollatus fuit bastardus de Condeto, frater domini de Hametes.

XVI.

DE EXPUGNATIONE LEODIENSI, EXCERPTA EX COMMENTARIIS JACOBI PICCOLOMINEI, CARDINALIS PAPIENSIS [1].

—

Dum in hoc statu res Italae agerent [2], lacrymabile interim nuntium Romam affertur, quo animi omnium non mediocriter sunt contristati. Significatum est enim, civitatem Leodiensem magnitudine atque opibus claram, quae in omni casu ecclesiae fidem Romanae Sedis erat secuta, ferro atque igni ad internecionem deletam, nulla aetatis, sexus, vel sacrorum habita ratione : eam vero cladem unico Caroli Burgundorum ducis, et Ludovici Gallorum regis impetu irrogatam, qui ad tantum facinus animos et arma junxissent. Eam ego non ab re censui quarto huic libro mandandam, quo nostris pontificibus esse documento possit, quantum saeculi principibus oporteat credi, quantumque adhiberi curae conveniat, ne ii pastores plebibus dentur, quorum vel aetate, vel ambitione pro pane lapis et pro ovo scorpius juxta verbum Domini offeratur. Igitur sedente nuper Calisto tertio, petebat Philippus, Caroli pater, ut Ludovicus, qui in Borboniorum familia genitus erat ex filia, Leodiensi praeficeretur ecclesiae, quam Joannes annorum jam

[1] Fuit ille Pio II pontifici maximo conservus et familiaris, ejusque commentarii rerum suo tempore gestarum ab anno 1464 ad annum 1469, exhibent supplementum ad commentarios ab ipso Pio II conscriptos. Narrationem hanc de bello Leodiensi deprompsi ex editione, quae anno 1614 Francofurti prodiit in-fol., p. 396—402.

[2] Enarraverat auctor controversiam de Sorani ducatu actam et inde secutam animorum acerbitatem atque indignationem.

multorum praesul, missis ad pontificem documentis parabat dimittere. Sed ea res cum propter juvenilem aetatem, quae vigesimum nondum annum attigerat, pontificiis legibus esset contraria, Calisto parum et patribus probabatur, videbanturque uno consilio omnes non assensuri, nisi majores causae ad impetrandam rem non afferrentur. Erat eodem tempore praecipuum pontifici studium parandae classis in Turcos, quae ad redimendam Constantinopolim duceretur, miseratque propterea in omnem Italiae partem sacerdotes quaestores, qui futuri operis praedicatione condonationibusque peccatorum, cujusquemodi subsidia compararent. Ad ripam quoque Tyberis Vaticano proximam comportari materiam, et triremes fabricari sine intermissione curabat, nulla de re alia vel loquens gratius, vel audiens. Id vero studium cum ad Philippum significationibus multis esset perlatum, senili et ipse obsequens animo, quod jure de Ludovico negatum erat, promissis artificiosis aggreditur. Spondet, si impleatur quod cupit, missurum se terra et mari grandia ad conceptum opus subsidia, quae et facilia sibi futura essent, et magnopere conatum ecclesiae adjutura. Totam hanc sponsionem ea dictorum scriptorumque constantia firmat, ut nil minus jam putaretur, quam non facturum illum, quod tam asseveranter aiebat. Credidit senex Calistus primus explendo desiderio intentus, mox etiam in eamdem sententiam traductis patribus Philippo est obsecutus, civitatisque tam populosae administrationem juveni credidit, munerum ecclesiae omnino experti : aestimans annorum paucorum jacturam emolumento tanti boni compensari aequo animo posse. Sed accidit divino judicio, ut malo inchoata initio calamitosum mox exitum caperent. Nam neque tantarum promissionum fructus perceptus est, et fundamenta sunt posita totius, quae superinducta est, cladis. Hunc ergo pastorem plebs illa, et si longe inferiorem priore suo annis meritisque videbat : gratiam tamen magni ducis secuta acquieverat facto, sperans mox ut per aetatem licuisset, sumpturum sacra Ludovicum, atque eorum antistitem pleno civitatis imperio praefuturum. Aliquandiu igitur in hunc modum sine dissensione processit res, cum tamen Ludovicus fortuna suorum elatior, Leodiensium legibus, quas ante eum servarant caeteri, adversaretur saepe, et ab ecclesia errans, lasciviorem vitam tanto indignam sacerdotio ageret. Procedentibus annis idoneus jam ad consecrationem factus, ad eam peragendam, celebrandam, unanimi omnium voluntate est postulatus. Quod ille, sive quod a religione adhuc esset aversus, sive quod a suis eam necessitatem imponi

gravate acciperet, cum contumacius pernegasset, oriri inter eos apertae contentiones sunt coeptae, atque ita in dies adauctae, ut minus jam natura elatus populus revereri ejus dignitatem timereque jurisdictionem inciperet. Verebantur ne sacrorum delatio eo traheretur consilio, ut secularis administrationis inducta consuetudine episcopum suum dedisceret civitas, vicinique ducis paulatim subiret imperia : quam illi rem morte quavis graviorem putabant. Conflictantibus in hunc modum episcopo et plebe, crescebat in dies adversus ecclesiam rebellio, jamque ministris ejus potestates quaedam ademptae erant, quae nullis denuntiationibus reduci in locum pristinum poterant. Itaque Philippus, qui natura vehemens erat, superarique genus suum civili contentione dolebat, magnis precibus a pontifice petit, ut dignitatem impugnatae ecclesiae adimi per subditorum violentiam non sinat, sed temeritatem populi superbientis censurarum irrogatione contineat. Quod ille cum Leodiensi sedi, et communi aliorum dedisset exemplo, non multo post contempta etiam Romani patris potestate, civitati et agro, sacris est interdictum, invocatusque ad praesidium per judices dux bellum Leodiensibus intulit. Pugna autem non longe a muris commissa, occisis quam plurimis reliqui in fugam conversi sunt, ac civitas eodem impetu capta. Quae ut ad novam posthac contumaciam calamitatum continuatione languidior fieret, dirui in circuitu muros jussit, tributumque imperavit, quantum redimendis comparati exercitus stipendiis satis judicio videretur : quodque omnibus acerbius habitum est, eos qui per aetatem ferre arma jam poterant, uno edicto in exilium expulit, paucis quibusdam ad rei familiaris custodiam cum muliebri sexu intus relictis. Hac tanta clade Romam perlata, miseratus pontifex ecclesiae plebisque fortunam, legatum ex referendariorum ordine proficisci illuc jussit, qui et obtemperari Ludovico episcopo, et dissidentes animos suo interventu conciliari curaret, reducendis quoque exulibus, levandisque tributis quam posset operam penderet. Erat is Honofrius, Tricaricensis praesul, homo Romanus, in familia locupleti, quae Sanctae Crucis dicitur, natus. Ad hunc igitur cum Agrippinam Coloniam maturato itinere pervenisset, Leodiensis legatio adventus hujus praescia accessit, summis obsecrationibus petens, ut quanto posset celerius Leodium properaret, reliquiasque dispulsae plebis redditis sacris consolaretur. Quorum ille desideriis obsecutus, ad oppidum Aquisgranense processit millia passuum viginti a Leodio positum. Ibi dierum nonnullorum mora cognoscendum putavit, quo animo praesul et populus ad suscipienda monita

Romani pontificis esset. Eos ut sentire idem, et in omnia paratos cognovit, itinere continuato a quarto milliario praesulem clerumque, et magistratus urbanos obvios habuit, singulosque jurejurando adigens parituros decretis quaecumque ipse tulisset, poenas apostolicas substulit, benedicensque populo summa omnium exultatione civitatem ingressus est. Cumque is dies vigiliarum esset apostolorum Petri et Pauli, ad aedem cathedralem procedens, solenne sacrum vespertinum cantavit, assistente plebe, quae ut in paucitate frequens ad visendum convenerat. Postridie quoque Ludovicus ipse, qui monitu legati consecrationem episcopalem jam acceperat, primis suis missarum solemnibus est operatus, dominicumque sacramentum tota urbe legato et populo prosequente, manibus suis circumtulit. Erant gaudiorum plena omnia, respirareque tum primum ex longa fatigatione miseri videbantur, dissensionem omnem initio hoc sublatam putantes. Id modo supererat, ut exulum quoque et tributorum sua ratio haberetur, amodoque civitatis moenibus parceretur, quae ducis imperio sine intermissione dejiciebantur. Postremo ut leges patriae redderentur, sine quibus nil quietis habitura reliqua putabantur. Igitur horum causa ad Carolum filium, defuncto interim patre, profectus legatus est : sed in tempora incidit, quae rebus agendis multum erant contraria. Ducebat ille per eos dies uxorem Britannorum regis filiam, minusque diligenter propter nuptiarum solemnia alienum quidquam intelligere poterat. Iis vero absolutis, cum etiam tantum audisset Legatum, nil ob eam causam certum decrevit, quod bellum adversus regem Gallorum gerens sociis Britonibus in auxilium properabat, quos magnis copiis premi nuntiabatur. Id tantum de postulatis Legato concessit, ut cum praesule et populo quae viderentur componeret, conventaque referret ad se confirmanda decreto suo, vel respuenda. Hac promissione Tricaricensis reversus, tractare de omnibus cum praesule et exulibus coepit, sperans conditionem se aliquam inventurum, qua semianimem populum suscitare, quietemque statuere suspensis animis posset. Sed dum in his sine intermissione laborat, episcopus morae impatiens suas juveniles cupiditates secutus, ad propinquum oppidum suae ditionis Trajectum secessit, cujus rei occasione simul quod diuturnius inter regem et ducem futurum bellum judicabatur, plurimi exulum, qui in proximas silvas ex praelio aufugerant ad numerum quinque millia, resistente nemine, Leodium rediere, quos statim et reliqui sunt consecuti inermes ac nudi, silvestribus tantum truncis, et fundis, lapidibusque armati. Reditus hujus po-

pulari quidem multitudini id consilium fuit, ut clerum omnem, cujus nomine tanta mala acciderant, uno impetu spoliarent: gravioribus autem paucis, ut poenitentiae significatione reditum sibi in patriam pacemque deposcerent. Itaque horum suasu ad legatum una voluntate omnes accedunt multa per novitatem facti timentem, orantque ut se deprecatore jam tandem vitae eorum misereatur episcopus, plebemque dispersam ac bestiarum more in latibulis agentem perire in silvis fame non sinat, creditasque animas una cum corporibus interire : sibi quidem id animi esse, ut illius subsint imperio, at tanquam ministrum Dei dominumque civitatis accipiant : porro ut opificiis intenti in sudore vultus panem quaerant, et quotidianis obsequiis famulentur. Hortantur quoque ut supremas has preces miserae plebis non negligat, quam eo calamitatis adductam intelligant, ut si se contemptam nunc videat, timendum sit ne civitatem et clerum sacraque, et se insuper ipsam una impietate involvat. His auditis, Legatus miserans multitudinis faciem, quae vestitu in silvis discisso, capillorumque et barbarum promissione silvestrium hominum instar habebat, omnes in forum ad concionem vocatos benignis verbis alloquitur. Docet quanto in honore haberi episcopos velit ecclesia : quid in contemnentes sacrae leges decernant : illos quidem in patrem hunc suum paulo contumaciores fuisse, diutiusque quam par videretur in contentionibus perstitisse : quam ob causam coactus ille sit avunculi ducis praesidium implorare : magno eos victos praelio tulisse conditiones, quae imperari victis a victoribus soleant : missum se a pontifice ad consolandum populum, et sublevanda onera esse, fecisseque in eam diem, quae tulerint vires : reddita jam civitati sacra : ad consecrationem Ludovicum inductum, cujus dilatae causa tanta mala accidissent : ad tollenda reliqua se etiam ad ducem profectum esse, facultatemque tractandorum omnium accepisse : opus hoc totum bona spe inchoatum : sed vereri ne hic eorum repentinus ad urbem accessus successum suis laboribus adimat : proinde deponant quam primum arma, quietique rerum exitum praestolentur. Cogitent vero si tumultuari pergant, quid episcopo in eos, et quid sibi, et quid duci futurum indignationis merito sit, qui praelio pulsos, murisque nudatos tanta in se audere nunc videat : ipsum quidem, nisi monitis pareant, abiturum illico civitate, nuntiaturum pontifici, quantum obstinationis apud eos invenerit, ad quorum salutem procurandam sit missus. Ad has ejus exhortationes cum respondisset quidam necessitate impulsam multitudinem, quod vivere in silvis non posset, domum

reversam, ducique et episcopo quaecumque in se essent paratam praestare : pati autem non posse alienis quam ecclesiae dominis civitatem subesse, mortemque, si ita opus sit, hujus unius rei causa intrepide adituram. Legatus eos iterum consolatus, ut disceptationibus in tanto periculo finem faceret, magna voce, quae a tota concione exaudiri posset, postulavit, an parati essent, positis armis, suis et episcopi imperiis, ut ante promiserant, auscultare? Ad quam vocem multitudo omnis diuturno miseriarum taedio in quaestus et lachrymas commota, protensis ad eum manibus, pacem et misericordiam acclamabat, precans identidem ut conciliarentur tandem episcopo, et in patria esse cum parentibus et liberis liceret, ne laniati a feris passim per silvas impio mortis genere necarentur, arma quae retinendae vitae causa sumpsissent, quamprimum jusserit posituros. Id vero cum ad ejus imperium statim fecissent, legatusque proptera salutem eorum curae sibi futuram dixisset, quievere paulum omnia, civitasque ab impetu furentis populi est conservata, externis post paulo cladibus occasura. Igitur legatus, assumptis secum principibus multitudinis hujus Trajectum se ad episcopum confert, et causam miserorum quam maximis potest precibus agit. Jamque dierum nonnullorum diligentia rem eo redegerat, ut reconciliatus Ludovicus ad oppidum Tungram, quod inter Leodium Trajectumque medium est, secum accederet, indeque repetendam civitatem statueret. Convenerat autem ut turba omnis poenitentiae significanda causa, effusa obviam inermis et supplex a transeunte misericordiam precaretur : illi vero liceret quanto apparatu bellico vellet civitatem intrare, dominatumque in se omnes suscipere, et sua voluntate omnibus moderari. Ea dum ad certam designatam diem perfici debent, dux interim, qui accepto tam audacis motus nuntio vehementer erat commotus, ad episcopum scribit, ut tractatum omnem, quicumque cum Leodiensibus haberetur, abrumperet, seque ultorem prope diem exspectaret : atque (ut sine periculo fieri id posset) quatuor millia delectorum militum in ejus praesidio mittit. Erat duci jam pene explorata spes constituendae cum rege pacis : quae cum sociis Britonibus jam constituta, quorum causa bellum susceptum erat, faciliorem suam videbatur efficere. His ergo intellectis, Ludovicus quod in potestate Caroli esset, dicto obsequitur, cunctaque dissolvens, praesidio quod erat missum, eodem loco se continet, majorum copiarum adventum operiens. Id ergo conspicati Leodienses, quorum in utramque partem et ad humilitatem, et ad contumaciam vehemens erat natura, aliam (ut in despe-

ratione rerum fit) salutis rationem adorti, proxima nocte armata duorum millium manu, Tungram maximo silentio accedunt, oppidumque ingressi, quod in recenti ducis victoria dejectis muris aditus per ruinas habebat, eodem silentio ad episcopum penetrant, suamque primum, tum aliorum, qui secum erant, domos circumsistentes impetum in praesidiarios faciunt, nudosque, et re subita perturbatos facile opprimunt. Si qui effugere in tumultu casu aliquo poterant, ii contendebant Trajectum : erantque clamoribus et gemitu morientium omnia perturbata. Episcopus vero suorumque nonnulli, qui ad intimam custodiam excubabant, perfosso statim conjunctae domus pariete, in qua divertebat Legatus, intra cubiculum ejus refugerant, fortunamque aliorum pavidi expectabant. At legatus, qui ab initio tumultus inermis in vicum erat progressus, cognitis statim Leodiensibus, duces eorum, qui caede fugientium bacchabantur, vocari ad se multis suasionibus contendebat, casuque peranxius erat, eos tandem venientes cum lacrymis rogat quamnam ob causam eo miseri accessissent, atque inter deprecatae pacis tractatus tantum nunc scelus admitterent? Illi ut erant madentes sanguine, et exitu adhuc rerum suspensi, perturbata voce respondent : quod ad episcopum tanta viderint missa praesidia, ultionemque suam sint veriti : illuc eos venisse mala consilia praeventuros, ne interim obtentu impendendae veniae civitati exitium pararetur : petere id quod ad salutem reliquum arbitrentur, ut ipse cum episcopo eo ex loco Leodium properent : quoniam et revereri utrumque, dominumque civitatis Ludovicum statuere certum sit omnibus : id ni fiat, propositum multitudini esse, eos atque oppidum uno ejus noctis incendio absumere. Legatus instantem necessitatem cognoscens, quod animos ad ea quae minitarentur incensos videret, accepta fide ne quem ultra occiderent, de accessu ad civitatem agere cum episcopo coepit. Quo statim (ut in tanto periculo necessarium erat) in sententiam traducto, nullo tumultu ambo Leodium rediere, comitante multitudine, non quae vicisset, sed quasi quae dominos suos ex aliorum captivitate per vim receptos domum reduceret. Laetabantur omnes, et tota Leodiensis ecclesia restituto praesule erat in gaudio. Ii quoque qui in Tungra superfuerant caedi, libertati pristinae reddebantur, cum honoribusque remittebantur ad suos. In iis erat dux praesidii paulo ante ad episcopum missi, quem in latebris adinventum, ut ad Carolum proficisceretur veniamque et pacem multitudini oraret, magnis obtestationibus induxerunt. Dux vero qui nondum his acceptis ad ultionem nihilominus tu-

multuosi reditus properabat : audita etiam Tungrensi audacia, nullo furori concesso spatio, pacem illico cum rege constituit, impetrata conditione, ut praesentia sua atque exercitu conatum hunc adjuvaret. Itaque ambo in Leodiensem civitatem moventes a milliario vigesimo constitere, praemissis tribus millibus Burgundorum, qui urbi appropinquantes duces cum reliquis copiis exspectarent. Leodienses tanto hominum numero ad se iri videntes, quantum vix Galliae reliquum per id tempus in armis habebat, necessario vel moriendum etiam vel relinquendam excidio patriam cognoscebant. Itaque ut eorum erat in magnis rebus ferocia, ratione aliquando parum expensa, ad extrema perferenda se firmant, Tungrensemque fortunam sperantes, adoriri noctu propinquos Burgundos instituunt, quos non totis octo millibus passuum abesse constabat. Itaque de secunda vigilia populariter egressi magnis animis in eos tendebant. Illi vero proximo ad Tungram casu admoniti vigiles in armis agebant, protinusque cognito per exploratores consilio progressi obviam praelium acerrimum commisere, quod ad lucem usque magna hominum caede productum est. Tandem Leodienses coacti sunt cedere. In eo certamine ceciderunt Burgundorum permulti, in iis fortissimus quisque ac nobilissimus, sed ex Leodiensibus longe plures, quod noctis itinere fatigati, minusque armati iniqua pugna erant congressi. Quae res civitatem omnem alioquin malis fessam maxime consternavit, cum et luctibus passim replerentur omnia, et orta luce miserando spectaculo referri humeris patres, fratres, et filii exanimes manante adhuc sanguine viderentur. His tantis malis confusus legatus, ac plane jam inops consilii, quod unum ad deprecandam vitam reliquum erat, convocato iterum ad concionem populo in conspectu omnium lacrymans : « Videtis, inquit, cives fortunam vestram ferocibus consiliis, non mea culpa ad supremum adductam. Imminet propinquum exitium. Iratus est dux et duci adjunctus rex potentissimus ad vos ambo instructo exercitu properant. Urgens necessitas longam orationem non poscit. Audite, filii, ut extremam vobis quam possum pietatem impendam, paratus sum, si ita opportunum putatis, ad Ducem nunc proficisci, mecumque episcopum ducere. Obvii ambo exercitui, atque humi strati misericordiam lacrymis nostris precabimur : cum personam ego feram pontificis, ille regi ducique junctus sit sanguine, inveniemus forsan, quod respirandi spatium praebeat, nam imperandi nunc interminandique tempus non est. Precum esse redemptionem oportet. Legitima de vobis meo et vestro nomine repromittam omnia. Si placet

LETTRE DU MÊME EMPEREUR AU SUJET DE LA SENTENCE PRÉCITÉE (14 JUILLET 1437).

Sigismund, etc. Az honorables eschevins de la cité de Liége, à nous et nostre sainct empyr subjects et bien aymés, grâce avec bien. Comme nous, etc. [1] Et nous ayant bénigne respect az fidèles et grates obsèques, qu'à nous et sainct empyr, par ladite cité pouldrat démonstrer, et que par cy-après studieusement démonstrerat, lesdites peynes, à nous appartenantes, az honorables burgemaistres, proconsuls, consuls de ladite cité, avons donné, que pour icelles convertir à l'utilité de ladite cité de Liége, et pour ce que nous ayant de vostre industrie bonne confidence, vous commectons par ceste présente de nostre auctorité impériale et districtement injoindons et commandons que quant à ce serés requis, les peynes ensquelles lesdits Walthyer, Wilheame et leurs complices (comme dit est), à nous, comme on doit, sont incorrus, cognoissés, décidés et deutement jugés selon les franchises et status, par les saincts empereurs romains et roys, à ladite cité concédés, et selon le contenu de noz lettres confirmatoires dessus concédées, et que le jugiet et décideit par vous sortist son plain et entier effect. En oultre, voulons que tout ce qu'adviendrat desdites peines, les mesmes ferés en nostre nom ministrer aux prédicts burgemaistres, proconsuls et consuls, et communaulté, à convertir et appliquer à l'utilité de ladite cité. Donné à Egre, etc. [2].

Bibliot. royale de Bruxelles, n° 14303; *Ms. de Wachtendonck.*

[1] L'exposé des motifs est le même que dans la lettre précédente jusqu'aux mots : *et eslargier lesdites peynes.*

[2] La fin comme dans la lettre précédente.

XXII.

MISE EN GARDE DE LOI DE LA LETTRE CONTENANT L'ALLIANCE DES TRENTE-DEUX MÉTIERS, AU SUJET DE LA CONDAMNATION DE WAUTIER DATIN (17 MAI 1447).

—

A tous cheaulx qui ces présentes lettres veront et oront, le maire et les eskevins de Liége, salut en Dieux permanable et cognissance de vériteit. Sachent tuis que pardevant nous, comme pardevant chieff haulte court et justice comparurent personeillement, pour faire ce que chi-après s'enssiiet, vaillans et hounouraubles Fastreit Bareit Surlet, escuyer, et Thilman Waldoreal, maistres pour le présent delle cité de Liége, et auvecques eaux plusseurs et grand quantiteit des jureis, gouverneurs, consseil et bourgoix delle dicte cité, lesquelx en nom de ladicte cité apportarent et exhibuarent là-meismes pardevant nous une lettre saine et entière seellée du grant seel et des trengte-deux mestiers delle dicte cité, parmy laquele ces noz présentes sont infichiez et annexéez, contennante icelle lettre les allyances, par manière de status, faittes entre les trengte-deux mestiers delle dicte cité tochant les enquestes, jugemens et crys, fais sur les personnes de Wauthier Datin, Willeame Datin et leurs complices, ensi que en icelle lettre est plus adplain contenut, qui fut là-meismes lyette [1] et publiié. Si requisent amiaublement lesdis maistres, jureis, consseil, gouverneurs et bourgoix, en nom de ladicte cité généralement, à Henry Delle Chachie de Geneffe, souvrain mayeur de Liége, que parmy leurs drois payans, lesdictes lettres, allyances, et tout ce que en icelles est contenut, volsist mettre en nostre warde, et ledit mayeur, à la requeste desdis maistres jureis, gouverneurs, consseil delle dicte cité, favoraublement condeskendant, mist lesdictes lettres, allyances, et tout ce que en icelles est contenut, en le warde et perpétuele mémore de nous les esquevins de Liége, qui ad ce faire fûmes présens, et en payont leurs drois. Et sauvons et wardons que ledit mayeur, ad le requeste desdis maistres, jureis, gouverneurs, consseil et bourgois mis en nostre warde, demourant le hauteur et seignourie spirituelle et temporelle monseigneur de Liége, les priviléges et liberté des églises, loys,

[1] *Lyette, lecta,* lue.

paix faites, status, franchieses et liberteis en leurs force et vertu. Et partant que ce soit ferme chose et estauble, si avons-nous, le maire et les esquevins desseuredis, fait appendre à ces présentes lettres nos propres seelx, en signe de vériteit, sur l'an de grâce mille quatre cens et quarante-sept, du mois de may le diiesseptiesme jour.

Archives de la province de Liége, registre du grand greffe des echevins, n° 250, case 13ᵉ.

XXIII.

COPIA CONSERVATORIAE A NICOLAO V PAPA, QUARTO IDUS OCTOBRIS 1451, CONCESSAE ABBATI S. LAURENTII LEODIENSIS ET DECANIS ECCLESIARUM SS. APOSTOLORUM COLONIENSIS ET S. JOANNIS TRAJECTENSIS.

—

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Laurentii extra muros Leodiensis, et sanctorum apostolorum Coloniensis ac Sancti Johannis Trajectensis ecclesiarum decanis, salutem et apostolicam benedictionem. Quia refrigescente caritate multorum adeo iniquitas abundavit, ut quorumdam succensa velut ignis impietas contra ecclesias et personas ecclesiasticas tanto validius inflammentur, quanto rariores qui eas tueantur contra pravorum incursus invenit objectores, nos, quibus ex debito pastoralis officii, ipsarum ecclesiarum et personarum sollicitudo curaque incumbit, ibi fortius insurgere cogimur, ubi impiorum iniquitas magis et periculosius exardescit. Sane dilectorum filiorum decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum et personarum collegiatarum civitatis et dioecesis Leodiensis ecclesiarum conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi aliique ecclesiarum praelati et clerici ac ecclesiasticae personae, tam religiosae quam seculares, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laïci, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum ac aliae singulares personae civitatis et dioecesis partiumque diversarum contra laudabiles consuetudines a tempore, cujus contrarii memoria non existit, inviolabiliter observatas, necnon privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates et francisias ipsis de-

canis, capitulis, canonicis, personis et ecclesiis in genere vel in specie etiam a sede apostolica concessa venientes, ipsos et dictarum ecclesiarum supposita communiter et divisim eo fortius et gravius repugnare praesumunt, ac majores injurias, molestias et jacturas eis inferre conantur, quo per illa sunt donati majori libertate. Quare pro parte eorumdem decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad praefatam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi illo volentes eisdem decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium, seu alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et judices praefatis decanis, capitulis, canonicis, personis et praesuppositis communiter vel divisim efficacis defensionis praesidio assistentes non permittatis eos vel eorum aliquem contra consuetudines et francisias, ac privilegiorum, indultorum, exemptionum, libertatum et immunitatum hujusmodi formas et tenores a praedictis vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina vel injurias irrogari facturi dictis decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo desuper fueritis requisiti, de quibuslibet molestiis, gravaminibus atque injuriis praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem, summarie de plano sine strepitu et figura judicii; in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, justitiae complementum praesumptores, molestatores, et injuriatores hujusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel nobilitatis fuerint, quandocumque, quotiescumque expedierit, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia oportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii papae octavi praedecessoris nostri, in qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam diaetam a fine dioecesis suae evocetur, seu ne judices et conservatores a sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut ali-

quos ultra unam diaetam a fine dioecesis eorumdem trahere praesumant, dummodo ultra duas diaetas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quam de illis, quam de manifestis injuriis et violentiis ac aliis quae judicialem requirunt indaginem, pejus in eos, si secus egerint, et in id procurantes adjectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a romanis pontificibus, tam de judicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis aut aliis editis, quae vestrae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter et divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae jurisdictioni explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Caeterum si per summariam informationem super his per vos recipiendam vobis constiterit, quod praesumptorum molestatorum, injuriatorum, contradictorum et rebellium atque aliorum de quibus expedierit praesentia pro monitionibus et citationibus de ipsis faciendis secure vel commode haberi nequeat, nos vobis monitiones et citationes quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis et vicinis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum praesumptorum molestatorum, injuriatorum, contradictorum, rebellium et aliorum praedictorum notitiam pervenire valeant faciendam plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem, ac volumus et auctoritate praefata decrevimus, quod monitiones et citationes hujusmodi perinde arctent ipsos monitos et citatos, ac si eis intimate et insinuate personaliter et praesentialiter legitime exstitissent. Et insuper volumus, et dicta auctoritate decrevimus, quod quilibet vestrum prosequi valeant articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum, in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis praesentibus et futuris, perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis praesentibus et futuris, et pro prae-

dictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et jurisdictio vestra et cujuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset constitutione praedicta super conservatoribus et qualibet alia in contrarium edita non obstante, praesentibus perpetuo duraturis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quarto idus octobris, pontificatus nostri anno quinto.

Ms. de la bibl. royale, n° 10898—10952.

XXIV.

EJUSDEM NICOLAI V BULLA REFORMATIONIS ECCLESIARUM SECUNDARIARUM, 14 KAL. NOVEMB. 1451 DATA AD ABBATEM MONASTERII S. LAURENTII LEODIENSIS ET DECANOS ECCLESIARUM SS. APOSTOLORUM COLONIENSIS ET S. JOHANNIS TRAJECTENSIS.

—

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Laurentii extra muros Leodiensis, et sanctorum apostolorum Coloniensis ac Sancti Johannis Trajectensis ecclesiarum decanis, salutem et apostolicam benedictionem. — « Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam in apostolicae dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino constituti, ad universos nostrae vigilantiae creditos tanquam universalis dominus et gregis pastor commissae nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, manus operarias libenter apponimus, ut inter fideles quoslibet, praesertim sub quavis jurisdictione ecclesiastica degentes, ita dirigatur justitia et illius vigeat cultus, quod abusibus repressis et moribus reprobis extirpatis mores plantentur et succrescant boni, ac virtuosae actionis praemium boni sentiant, malique pro demeritis condigne puniantur; illaque rursus apostolici muniminis ampliori adminiculo communivimus quae praemissorum consideratione percepimus consultius processisse. Sane pro parte dilectorum filiorum, decanorum et capitulorum secundariarum ecclesiarum Leodiensium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum venerabilis frater noster Johannes, episcopus Leodiensis,

et dilectorum filiorum majoris Leodiensis, cui etiam tunc praeerat, ecclesiae praepositi singulorumque archidiaconorum et capituli officiatis in sua Leodiensi seu quavis eorumdem filiorum curia, forisque deputatis bene agendi et non inquietandi nec gravandi ejus subditos normam remediumque dare et adhibere volens, nonnulla per bonae memoriae Adulphum episcopum Leodiensem praedecessorem suum, tempore quo ipse dictae dinoscitur ecclesiae praefuisse, contra abusus officiatorum hujusmodi et excessus, edita necnon synodalia statuta, innovando et confirmando quamplura alia statuta consideratione majoris et aliorum capitulorum hujusmodi atque cleri civitatis et dioecesis Leodiensis, de consilio etiam et consensu majoris capituli hujusmodi provide edidit, in eisque voluit, statuit et ordinavit, quod licentia testandi, alicui beneficiato seu presbytero ab episcopo concessa, per cessum vel decessum ejusdem episcopi expirare non deberet, et quod de bonis mobilibus beneficiati sive presbyteri absque tali licentia seu ab intestato defuncti inventarium confici, illaque solutis exequiis atque debitis suae dispositioni cedere deberent, ac deductis oneribus realibus beneficiorum, vicesimus denarius valoris ipsorum beneficiorum pro absentia atque ratione beneficii, si cum cura unum scutum vetus, si vero sine cura foret, quatuor grossi veteres, et non ultra pro placet reciperentur, et semel tantum de valore beneficii doceri deberet, nihilque abusive pro placet et absentia ac tantum duo grossi antiqui pro suis registrationibus reciperentur. Quodque unicuique canonico alicujus dictarum secundariarum ecclesiarum absentiam ratione beneficiorum suorum aliorum pro tempore petenti, et vicesimum, de quo praefertur, denarium annis singulis ante festum Sancti Lamberti offerenti absentia concedi deberet, et quod fructus beneficiorum, in quibus rectores residerent, non sub ficto colore absentiae nec etiam illorum beneficiorum, a quibus rectores essent absentes, dummodo beneficiis ipsis in divinis laudabiliter sic deserviretur aliquatenus arrestarentur. Alioquin si secus attentari ac ad excommunicationem, suspensionem vel interdictum contra rectorem aliquem procedi contingeret, arrestum tolleretur, et rectori absolutio impenderetur, sibique super his litterae darentur ubique gratis necnon expensae, in quibus forte propter arrestum seu processum hujusmodi collector vel procurator condemnatus foret, statim per illum solvi seu deponi in judicio deberent; collector quoque fructuum beneficiorum, quorum rectores sine licentia absentes forent, antequam ad exercendum collectoriae officium in judicio vel extra

admitteretur, juraret quod fructus aliorum beneficiorum, quorum rectores personaliter residerent, sub ficto colore absentiae talium rectorum arrestari non procuraret, et quod ipsis absentium rectorum beneficiis in divinis laudabiliter deserviri facere eorumque onera etiam realia supportare ac diminutos negligentia sua eorumdem beneficiorum fructus reaugmentare deberet; quodque si licentia abessendi arrestationem procederet, pro ipsa arrestatione seu illius litteris collector nihil, et si eam licentiam ipse consequeretur, quo casu arrestum sublatum foret, pro ea seu illius litteris collector ipse sive subcollector duos grossos duntaxat percipere deberet, ac quod de synodo et excessibus synodalibus fiscaliumque examinatione et institutione procuratoris ac sententiariorum articulatorum, copiatorum, notariorum ac fiscalium et non fiscalium procuratorum salario et scripturis, ac hominibus volentibus cedere bonis, prout de his omnibus in synodalibus praefatis aut suae curiae Leodiensis statutis, dictique Adulphi modificationibus, necnon pace Tongrensi et aliunde provisum et ordinatum foret servaretur. Quodque articulator propter diversos excessus contra unam personam diversos processus facere non deberet, staretque articulator ipse pro juramento ac responsionibus ad articulos unius excessus salario prout de illo, ut praefertur, ordinatum est, excessuum vero plurium juxta decretum judicis contentus, et quod excommunicatus propter contumaciam pro ipsa contumacia non ultra valorem sex grossorum turonensium; si vero presbyter esset, duodecim grossorum summam, excommunicatus vero per annum et amplius judicis arbitrio plecterentur; quodque pro diffinitiva sententia signanda et sigillanda vicesimus denarius condemnationis vel absolutionis, pro interlocutione autem duo grossi et non ultra, reciperentur; et quod non essent nisi quindecim procuratores curiae in curia Leodiensi et tantum unus procurator in qualibet curia praepositi et archidiaconorum praedictorum; ac quod nullus eorum esset sigillifer vel notarius illius curiae cujus fuerit procurator, suoque esset quivis officio contentus; quodque deservitor pro licentia deserviendi beneficio nihil solvere deberet, et quod nullus super excessibus ad Leodiensem vel alicujus archidiaconi curiam citaretur, nisi articuli excessuum cum citatione mitterentur, vel ex tenore citationis hujusmodi citatus instrui posset, super quibus in judicio conveniretur; ac quod non caperetur vel incarceraretur aliquis citatus ad civitatem Leodiensem juri stare seque defendere volens, nisi crimine confessus vel in illo comprehensus seu convictus de eo esset; nec beneficiatus aliquis in beneficio suo

residens pro quocumque crimine caperentur, de quo convictus non foret, neque ipsius beneficii fructus arrestarentur; quodque executores litterarum monitorialium sub sigillis his executiones illarum ac modum et formam diemque et horam executionum hujusmodi una cum personarum designatione speciali rescribere tenerentur. Et ne pro resignationibus beneficiorum admittendis ac institutionibus seu admissionibus aliquid reciperetur, sed pro trium proclamationum sex, institutionum vero seu admissionum litteris duodecim grossi cum uno grosso pro audientia recipi possent, quodque in visitationibus, quas archidiaconi per se vel suos facerent, visitatores taliter se haberent, quod nihil contra canonicas sanctiones sive synodales constitutiones aliquatenus facerent aut fieri permitterent, sed quae sibi licita forent, his duntaxat contenti essent, nihil penitus curialitatis seu procurationis nomine a provisoribus mensae Sancti Spiritus aut fabricae, altaristis, appendentiis non separatis seu filiabus ecclesiarum capellis, hospitalibusque recipiendo; nec reus aliquis super excessu in causam tractus componere volens ad jurandum compelli deberet, neque ex ratione alicujus juramenti per eum non praestiti aliquid exigi ab eo, quodque litterae statutorum nuncupatae per practicos expertos dictarum et signeto officialitatis signari deberent. Nec occasione litis super beneficio per biennium pacifice possesso movendae, illius fructus subtrahi vel arrestari deberent, neque ejus rectori absentia denegari; et quod in singulis aliis a Bilsensi, Tongrensi, Trajectensi et Sancti-Trudonensi conciliis non esset nisi unus officialis foraneus et unus archidiaconus foraneus. Quodque super matrimoniis seu sponsalibus contractis nulli concordiam aliquam facere vel tractare seu fieri procurare aut concordiis talibus interesse praesumerent, sed sententia desuper judicis competentis expectaretur; nec aliquis litigantem habentem procuratorem litium citari facere praesumerent ad aliquem actum, neque absque expressa commissione judicis notarius aliquis responsiones ad positiones faciendas sive testes perducendos extra curiam Leodiensem audiret, reciperet vel examinaret, et quod absque evidenti necessitate alicui presbytero deservitura duarum parochialium ecclesiarum non condependentium non committeretur, habentes autem plura beneficia et illis simul deservientes propterea non vexarentur, nec quidquam exigeretur vel reciperetur ab eisdem, dummodo satisfacere possent et cum effectu satisfacerent beneficiorum oneri eorumdem; quodque placet concessum curato residenti pro coadjutore atque absenti pro deservitore post eorum obitum esse duraturum usque ad festum

Sancti Johannis Baptistae ex tunc immediate sequens, nullique rectori alicujus beneficii seu altaris licentiam petenti fructus beneficii vel altaris hujusmodi in augmentum convertendi licentia ipsa denegaretur; et quod placet gratis concederetur deservitori rectori, quodque propter executiones mandatorum in beneficio residere non audenti abessendi licentia daretur gratis, et ne quis in eadem curia simul et semel judex et sigillifer sive vicarius et componens aut eorum aliquis conjugatus esset, neque decani rurales christianitatum nuncupati sub colore visitationis ficto vel illius remissionis de quartis capellis per ipsos non personaliter visitatis, aliquas pecunias annuas recipere, sed de visitatis per eos capellis tantum quarta parte illius, quod archidiaconis pro visitatione integrae ecclesiae debetur pro ipsorum capellarum visitatione, et eadem etiam parte pro cathedratico et obsonio, necnon octava parte eorumdem fructuum pro placet et absentia ac proclamationibus et admissionibus ratione capellarum earumdem contentari deberent, et eorum quilibet in suo concilio salvis privilegiis apostolicis et aliis conditionibus tunc adjectis personaliter residere. Et ne sigillifer Leodiensis pro deliberatione chrismatis vel olei sacri sive infirmorum, neque pro illorum ministratione, decani rurales praefati quidquam reciperent vel etiam exigerent, praeter et contra synodalia statuta; nec etiam eorum deliberatio alicui decano denegaretur propter deportationem vel executionem ecclesiasticorum mandatorum; et ne archidiaconi et decani christianitatum causarum coram eis intentarum decisionem et diffinitivam sententiam nec officialis Leodiensis per appellationem ad eum devolutas neque ultra semel simplicis querelae coram se intentatas causas aliquas committere praesumerent, nec etiam pro praesentatione ad aliquem sacrum ordinem sive illius litteris ultra sex grossi reciperentur; quodque curatus rescribens decano sive vicedecano, prout moris est, deberet semel in anno duntaxat et non amplius rescribere beneficiorum in parochiam suam consistentium, suorumque rectorum et etiam deservitorum et excommunicatorum per annum et amplius nomina et cognomina, una cum valore annuo beneficiorum eorumdem, nec deberet ex officio talis sic rescribens citari super ulteriori rescriptione; et quod nullus presbyter super incontinentiis citaretur, nisi mulier nominata in citario, cum qua diceretur incontinens, esset primo ad synodum provocata; plerisque aliis variis et diversis, etiam tunc adjectis quae omnia et singula idem Johannem episcopus etiam voluit et sub certis poenis mandavit inviolabiliter observari, prout in litteris super his confectis, et per ipsum Johannem epis-

copum anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto die quarta Junii concessisse, suoque et majoris capituli hujusmodi sigilli signatis, dinoscitur plenius contineri. Quare pro parte ipsorum decanorum et capitulorum secundariarum ecclesiarum fuit nobis humiliter supplicatum, ut praefatis statutis et aliis in dictis litteris contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati statuta praedicta et alia in praedictis litteris contenta rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus si qui intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis et communitionis infringere vel ei ausu temerario contraïre, si quis vero hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quarto decimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto. »

Cupientes igitur ut votivus dictarum litterarum succedat eventus, et ut litterae praedictae irrefragabiliter observentur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, dictas nostras litteras ac omnia et singula in ipsis litteris contenta, ubi et quando expedire videritis ac quoties pro parte decanorum et capitulorum praefatarum ecclesiarum desuper requisiti fueritis, eadem apostolica auctoritate solemniter publicantes, executioni debitae demandantes, ac decanis et capitulis earumdem ecclesiarum super his oportune ac efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis, ipsos aut quemlibet eorum a quoquam, cujuscumque etiam archiepiscopalis, episcopalis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, contra ipsarum effectum litterarum quovis quaesito colore aliquatenus intercipi vel impediri, aut decanos et capitula ecclesiarum hujusmodi vel illorum aliquem contra dictarum litterarum continentiam et tenorem sive formam quomodolibet vexari, impediri vel molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et quaevis alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordationis

Bonifacii papae octavi praedecessoris nostri, quibus cavetur ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali, quam aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica fuit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra dicta loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quarto decimo kal. novembris, pontificatus nostri anno quinto.

MS. de la bibl. royale, n° 10931.

XXV.

EXHIBITIO COMMISSIONIS DOMICELLI LUDOVICI DE MARKA, SUPER PRAEPOSITURA DE BULLONE (8 MARTII 1455).

—

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, die sabbati octava mensis Martii, hora capitulari de mane, praesentibus in loco capitulari retro chorum ecclesiae Leodiensis, domino Anselmo de Hamalia, domino de Trassigny, etc., Wilhelmo de Waroux, seniore, Fastrardo Bare Surlet, Johanne dicto le Rute de Boveria, Theoderico de Bastonia, scabino Leodiensi, Aegidio de Metis, Thielmanno dicto Waldoreal, olim magistris civium Leodiensium, Wilhelmo de Belfroid, Renikeno del Ghoff, Johanne de Vaulx, domino temporali de Vaulx, magistro Alexandro de Lohiervilhe, dominis Wilhelmo Schevarts et Roberto Bercelot, claustrariis, et multis aliis testibus, domicellus Ludovicus de Marka, dominus temporalis de Novocastro, de Rochefort et d'Agymont, litteras commissionis suae sibi factae per dominum Johannem, Dei gratia episcopum Leodiensem, ducem Bulloniensem et comi-

tem Lossensem, super praepositura et receptoria ducatus de Bullone, coram praedictis dominis meis decano et capitulo exhibuit per Wilhelmum de Belfroid, qui verbum tulit. Quibus per me lectis, idem Domicellus Ludovicus, attento quod praetactae litterae mentionem faciunt de quitantia debitorum, in quibus forte dictus dominus noster Leodiensis, aut quicumque alius ex quacumque causa bonae memoriae domicello quondam Everardo de Marka, suo patri teneri poterat, idcirco litteram quittantiae hujusmodi suo proprio sigillo sigillatam, ibidem similiter exhibuit et produxit. Quibus similiter per me lectis, idem domicellus Ludovicus petivit se per dictos dominos meos ad praestationem juramenti soliti recipi et admitti; paratus enim erat illud praestare. Unde iidem domini mei volentes super praemissis deliberare, commonuerunt praedictum domicellum Ludovicum, et alios secum existentes, praetactum capitularem locum exire. Ipso igitur post longum morae intervallum ad praetactum capitularem locum revocato, praedicti domini mei, per organum vivae vocis venerabilis viri magistri Johannis de Stembeir, canonici et scolastici Leodiensis, praedicto domicello Ludovico responderunt in haec verba : « Domicelle Ludovice, praedecessores vestri praepositi de Bullone, certas cautiones, obligationes et securitates coram nobis praestiterunt, de quibus de praesenti non sunt bene memores. Et ob hoc domini mei informabunt se de illis, et die crastina post processionem vobis respondebunt. » Deinde adveniente die crastina dominica, scilicet nona supradicti mensis Martii, atque eorum praedictis dominis decano et capitulo in eorum capitulari loco praescripto praesentibus testibus superius nominatis, necnon Hugone de Seranio de Huy, Surlet et Baldewino de Hollonia, scutiferis, comparuit praedictus domicellus Ludovicus, petens se ad praestationem supradicti soliti juramenti admitti, paratus enim esset, et paratum se obtulit illud praestare, ac cautionem, securitatem, promissiones et obligationes facere tales, sicuti sui praedecessores et praecessores praepositi de Bullone in eorum admissionibus praestiterunt. Et lecto ibidem per me tenore et forma praetacti juramenti per me in gallico translati de latino et pro illo firmius observando, dictus domicellus Ludovicus promisit per fidem suam loco juramenti in manu mei notarii publici infrascripti corporaliter praestitam, necnon sub omnium bonorum suorum obligatione, se praetactum juramentum firmiter et plenarie servaturum, ac praedictum castrum fideliter custodire et reddere exigente casu juxta formam juramenti praetacti. Et insuper ad preces et instantiam praedicti do-

micelli Ludovici, Wilhelmus de Waroux, Fastrardus Bare Surlet, Johannes le Rute et Theodericus de Bastonia, ibidem praesentes, obligarunt sese tam conjunctim quam divisim ac omnia bona sua, quod praedictus domicellus Ludovicus praetactum juramentum necnon promissionem et obligationem suas praetactas realiter et debite observabit, tenebit et adimplebit, et ministrarunt omnes et eorum singuli omnibus exceptionibus, etc., ut in forma meliori. Quibus factis, praedictus domicellus Ludovicus personaliter legit et praestitit juramentum praetactum, solemniter tactis per eum manualiter sacrosanctis evangeliis ac imagine Dei crucifixi. Quo praestito per eum, Johannes de Vaulx, dominus temporalis de Vaulx, ibidem praesens, qui, prout dictus domicellus Ludovicus dixit, erit et est per eum deputatus suus castellanus et locumtenens, simile praestitit juramentum, et obligavit similiter propterea se ipsum et omnia sua bona. Super quibus omnibus praenarratis supradictus dominus scolasticus, nomine praedictorum eorum decani et capituli, petiit instrumentum, et similiter Wilhelmus, Fastrardus, Johannes le Rute et Theodoricus de Bastonia, supradicti, petiverunt similiter instrumentum. — Nota. Supradicta littera quittantiae remansit mihi copianda in libro cartarum et reponenda in archivis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, nos 109 et 110.

XXVI.

PROTESTATIO DOMINORUM DECANI ET CAPITULI LEODIENSIUM, DIE 31 MAII 1456 FACTA.

—

Anno quinquagesimo sexto, die lunae ultima mensis maii, hora capitulari de mane, praesentibus in loco capitulari retro chorum ecclesiae Leodiensis dominis Wilhelmo Schevarts, et Thielmanno de Clerx, claustrariis, et Wilhelmo de Belfroid, testibus constitutis coram dominis meis decano et capitulo in eorum capitulari loco praetacto Eustachio Chaboth villico, Johanne de Cornu, Gerardo de Seranio le Paintier, Johanne de Fallois [1]. . . . . , scabinis

[1] Locus etiam vacuus in Ms.

Leodiensibus, et Johanne le Pollen, eorum secretario, praenominati domini decanus et capitulum per organum vivae vocis Johannis Faber, praelocutoris eorum consiliarii, exponi fecerunt et exposuerunt dictis scabinis in haec verba :

« Vous nous aveis demandeit si le loy doit estre overte, ou si vous deveis » faire loy, attendu que nous estons présentement sans signeur, nous avons » sur ce quérut dedens noz chartes et registres, mais riens n'en avons troveit ; » et pour tant vous poreis savoir ce que vous en saveis et wardeis, fachiés » solonc ce si à point et si bien que ons ne vous en sache que dire, et que » n'ayés nul reproche, car nous ne volons avoir ne porteir nul charge. Et de » ce faisons protestation et en demandons instrument. »

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, nos 109 et 110, fol. 52 verso.

XXVII.

RECEPTIO ET ADMISSIO DOMINI LUDOVICI DE BOURBONIO, ELECTI LEODIENSIS, FACTA DIE 26 JUNII 1456 [1].

—

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, die sabbati xxvi^ta mensis junii, hora primarum vel circiter, praesentibus in loco capitulari retro chorum ecclesiae Leodiensis situato, reverendo patre et venerabilibus viris domino Johanne, episcopo Atrebatensi, domino Johanne d'Enghien, domino temporali de Castergate, milite, magistro hospitii, magistris Nicolao Clopper, canonico Tornacensi, licentiato in decretis, consiliariis, et magistro Johanne Scoep, secretario domini Philippi ducis Burgundiae, Brabantiae, etc. Johanne de Gronsselt, legum doctore, Johanne Ricoul, licentiato

[1] Haec verba in codice adscripta leguntur; — « Nota quod, resignatione episcopatus Leodiensis per procuratores domini Johannis de » Heynsbergh olim episcopi Leodiensis facta, » multa acciderunt de quibus in isto registro » seu manuali nullam facio mentionem, quia » unum registrum ad hoc specialiter ordinavi, » in quo omnia conscripsi; sed admissio novi » domini subscribitur. »

in jure canonico, dominis Wilhelmo Schevarts et Henrico de Alken Sancti Martini, magistro Henrico Bye, domino Theoderico de Lana, parvae mensae in dicta ecclesia Leodiensi canonicis, domino Thielmanno de Odeur, capellano, et Mathia de Fay, matriculario in eadem ecclesia, apparitoreque curiae ejusdem capituli, testibus, coram venerabilibus dominis decano et capitulo ecclesiae Leodiensis in praetacto capitulo et loco capitulariter congregatis, personaliter comparens, venerabilis vir magister Johannes de Lysura, praepositus ecclesiae beatae Mariae ad gradus Moguntinensis, decretorum doctor, et almae universitatis studii Lovaniensis rector, tanquam reverendissimi in christo patris et illustrissimi domini Ludovici de Borbonio electi confirmati Leodiensis procuratores, qui de suo hujusmodi procurationis mandato per certum publicum procurationis instrumentum manu propria signoque et nomine solitis et consuetis egregii viri magistri Petri de Mera, clerici Cameracensis dioecesis, publici apostolica et imperiali auctoritatibus notarii ibidem praesentis, subscriptum et signatum, quod ego notarius ibidem in meis manibus tunc tenebam, edocuit et fidem fecit. Et eo nomine procuratorio per vivae vocis oraculum praedicti reverendi patris exposuit qualiter satis noviter ecclesia Leodiensis, ex eo quod reverendus in Christo pater dominus Johannes, tunc episcopus Leodiensis, omni regimini et administrationi dictae ecclesiae Leodiensis, cui tunc praeerat, per certos suos procuratores ad hoc ab eo specialiter constitutos, in manibus sanctissimi domini nostri papae sponte et libere cessit, ipseque dominus noster papa cessionem ipsam duxit admittendam, vacante, idem dominus noster papa praefatum dominum Ludovicum in administratorem ipsius ecclesiae Leodiensis in spiritualibus et temporalibus sub certis modo et forma fecit, constituit et etiam deputavit, et deinde de persona ipsius domini Ludovici dictae ecclesiae Leodiensis per praefatam cessionem providit, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Leodiensis in eisdem spiritualibus et temporalibus sibi plenarie committendo, prout haec et alia in apostolicis litteris provisionis hujusmodi per dictum dominum nostrum papam desuper concessis latius et plenius continetur.

Quapropter idem procurator, quo supra nomine, memoratos dominum decanum et capitulum rogavit, quatenus praedictum dominum Ludovicum ad praedictam ecclesiam Leodiensem ejusque possessionem, curamque regimen et administrationem ejusdem solito more recipere et admittere vellent et dignarentur, salvis juribus, juramentis, statutis et consuetudinibus ecclesiae

Leodiensis praedictae, unde procurationis instrumento primo, et deinde litteris apostolicis supratactis et etiam certis aliis litteris apostolicis per praefatum dominum nostrum papam praelibatis dominis decano et capitulo specialiter directis riteque bullatis coram eis productis, quorum omnium tenores de verbo ad verbum pridem audiverant legi, et ibidem adhuc iterato ad ipsorum vota in parte legi ibidem reproductis, praelibati domini decanus et capitulum, habito per et inter eos maturo consilio super praemissis, volentesque tanquam obedientiae filii, ut dicebant, apostolicae sedis mandatis in hac parte obtemperare per omnia, ut tenentur, praelibato procuratori, quo supra nomine, per organum vivae vocis venerabilis viri magistri Johannis de Stembeir, scolastici Leodiensis, in utroque jure licentiati et ibidem praesentis, responderi fecerunt et responderunt in haec verba aut saltem similia in effectu : « Ob reverentiam sanctissimi domini nostri papae ejusque sedis apostolicae et domini nostri electi, etiam contemplatione et intuitu illustrissimi principis domini ducis Burgundiae, Brabantiae, etc., ejusdem domini nostri electi avunculi, necnon dicti domini episcopi Atrebatensis et aliorum dominorum sibi associatorum hic praesentium, domini nostri decanus et capitulum praedictum dominum nostrum electum in patrem et pastorem animarum nostrarum, ad curam quoque, regimen et administrationem ecclesiae Leodiensis, in personam dicti magistri Johannis de Lysura, sui procuratoris ipsumque procuratorem nomine procuratorio ejusdem domini electi recipiunt et admittunt, salvis juribus, juramentis, statutis et consuetudinibus ecclesiae nostrae in talibus debitis et consuetis. »

Quibus sic habitis et peractis memoratus procurator tactis per eum manualiter sacrosanctis evangeliis ac imagine Dei crucifixi, juramentum per episcopos et electos Leodienses in eorum receptionibus et admissionibus praestari solitum et consuetum, cujus tenor hic inferius annotatur, solemniter praestitit juxta morem; illoque praestito, mox praefatus magister Johannes de Stembeir scolasticus, de mandato atque nomine praedictorum dominorum decani et capituli, associatis ei venerabilibus et generosis viris magistro Johanne de Seranio decano praedicto, domino Waltero de Corsverm (*Corswarem*), archidiacono Ardennae, et nonnullis aliis canonicis Leodiensibus, praedictum procuratorem ad chorum dictae ecclesiae Leodiensis deduxit, et ibidem praefatum dominum electum in personam ipsius procuratoris, et eumdem procuratorem nomine ejusdem domini electi, in stallo seu sede episcopali, balde-

kino seu pannio aureo decorato, posuit et induxit. Et deinde ad capitularem locum eumdem reduxit, ponens ipsum in loco episcopali inibi, ut est moris. Super quibus omnibus et singulis praenarratis tam domini decanus et capitulum quam procurator praedicti divisum petiverunt a me notario instrumentum unum vel solum.

Nota. Sciendum est quod domini voluerunt habere cautionem relevaminis pro capitulo et singularibus personis ejusdem. Etiam domini fecerunt certas ordinationes, quas voluerunt per procuratorem supradicti domini electi jurari :

Videlicet de tollendo impedimento facto contra pacem regis Philippi Franciae et contra jurisdictionem ecclesiasticam, non solum contra pacem Namurcensem, sed etiam in Brabantia et in aliis dominiis contra dioecesim, si quae sint, et etiam in patria per barones milites, militares et bonas villas.

Item de tollendo abusus curiae Leodiensis, et de ponendo amodo sigilliferum, officialem et cancellarium in ecclesia Leodiensi.

Item de faciendo se ordinari presbyterum quam primum attigerit xxv^{um} annum, quodque non uteretur dispensatione in contrarium obtenta nec obtinenda.

Item quod contra imperatorem et suos successores assistet appellationis prosecutioni, si appellaretur a concessione decimae.

Item quod non acceptabit guerram contra aliquem principem, nec colligantiam aut confoederationem faciet sine consilio et consensu trium statuum.

Item de reparari faciendo castra in suis defectibus ruinosa, juxta competentiam reddituum eorumdem.

Item de prosequendo vasallos in feudis relevandis, quod ea relevent, privato favore postposito.

Item de diaetis tenendis expensis suis, et praesertim iis quos ex capitulo mitti expediet.

Item per modum avisamenti, ne officia curiae venderentur aut impensionarentur, quia hoc cedit in dedecus et scandalum domini episcopi et dominorum capituli Leodiensis, et praejudicium seu detrimentum pauperum ; et quod ydiotae et minus sufficientes in officiis destituerentur, litteratique et honesti viri ad ea deputarentur.

Item de non sustinendo quod ecclesia et patria sit onerata seu gravata aliqua pensione, seu fieret tributaria, et de assistendo et adhaerendo capitulum, si super hoc ipsum appellare contingat.

Nota. Praemissis a procuratore praedicto petitis, dominus episcopus Atrebatensis, dominus Johannes d'Enghien, magister Nicolaus Clopper, et magister Johannes de Lysura promiserunt per fides suas, in manu mei notarii recipientis praestitas, quod omnia puncta praemissa (praeterquam ultimam clausulam de reservatione pensionis super qua nil responderunt, sed protestati fuerunt ut hic [1]) facient per supradictum dominum electum teneri et observari ac adimpleri, sed noluerunt jurare.

Item iidem quatuor domini similiter promiserunt supradictum capitulum Leodiense et singulares personas illius occasione admissionis et receptionis praetactae perpetuo conservare indemnes.

Nota. Insuper sciendum est quod dominus Walterus de Corswerm, archidiaconus Ardennae ibi praesens, respondit pro juribus quum praefati quatuor domini promiserunt ut supra relevare. Praesentibus testibus supradictis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n°s 100 et 110, fol. 35 verso.

XXVIII.

INTROITUS REVERENDI PATRIS DOMINI LUDOVICI DE BORBONIO ELECTI CONFIRMATI LEODIENSIS, DIE 13 JULII 1456.

—

Anno quinquagesimo sexto praedicto, die martis decima tertia mensis julii praefatus dominus electus discessit ab oppido Trajectensi Leodiensis dioecesis hora quarta de mane, equitans recto tramite ad monasterium sanctimonialium de Veteri Vineto [2]. Ibi quinque horarum spatio continuarum permansit. Tandem ipse cum sua comitiva ascendens equum intravit Leodium, hora tertia post meridiem vel circiter, in cujus comitiva erant reverendi patres domini [3]........... episcopus Cameracensis, Johannes, episcopus Atrebatensis [4],......... praepo-

[1] *Nota.* — Item sciendum est quod supradicti domini decanus et capitulum, per organum vivae vocis supradicti domini scolastici, protestati fuerunt quoad factum pensionis, si qua forsan reservata sit super ecclesia Leodiensi, non acceptant, nec eam ratificant, nec approbant quovis modo.

[2] Vivegnis.

[3] Locus etiam vacuus in Ms.

[4] Idem.

situs ecclesiae Sancti Servatii Trajectensis, dominus Jacobus comes de Hoerne, dominus Johannes, dominus de Bergis supra Zomam, dominus Anthonius ejus frater, dominus Anselmus de Hamalia, alias de Eldris, dominus de Trassigny, dominus Wilhelmus de Alfteren, dominus de Hamalia, dominus Rasso de Waroux, dominus de Varoux, dominus Arnoldus de Corswerme, dominus de Nyel, magister hospitii seu curiae dicti domini electi, dominus Eustachius de Streelez, dominus Franciscus des Cambges, omnes milites Leodiensis dioecesis, Wilhelmus de Ordingen, dominus de Waremia, Adam de Tudegoven, ejus socer, Eustachius Chaboth, dominus d'Omeseez et de Colonster, villicus Leodiensis, et quamplures nobiles adhuc milites et militares, quorum singuli habebant decem, quindecim, viginti, xxv, xxx equos et familiares de eadem librata. Et detulit pinchellam praedictus dominus de Hamalia, et ante personam domini electi detulit vexillum. Et intravit idem dominus electus equitando inter dominos magistros civium Leodiensium, videlicet Johannem de Boveria dictum le Ruter a dextero, et Amelium de Velroux, militares, à sinistro lateribus; eratque indutus idem Johannes hupplanda brevi de serico blaveo a dextero et rubeo a sinistro lateribus, Amelius vero viridi a dextro latere et alba a laevo, et omnes ipsorum familiares panno similium colorum, et gestabant dicti magistri civium pennas strutionis similium colorum super pileis. Et dum praedictus electus appropinquaret civitatem, domini decanus et capitulum, praecedente cruce, exiverunt chorum, et a latere dextero exeuntes ecclesiam, per pervistum seu ambitum iverunt supra gradus ante domum dictam *al griffe* [1]. Et deinde super gradus ante districtum una cum cruce permanserunt, adventum praedicti domini electi praestolantes. Tandem hora tertia vel circiter, ut praefertur, idem dominus electus, inter praedictos dominos magistros civium venit ante gradus praedictos, ibique descendit et ascendit gradus et intravit districtum, domum scilicet scabinorum Leodiensium, et ibidem hupplandam brevem de rubeo veluto, qua intrarat Leodium, exuit, quam dominus Wilhelmus Schevarts, canonicus Sancti Materni et claustrarius domini decani, habuit, quia ad claustrarium spectat; et ibidem induebat hupplandam longam de [2]................ coloris. Et deinde recto tramite, dominis et beneficiatis ecclesiae decantantibus tractim *Deum time*, etc.,

[1] Illa domus in alio instrumento anni 1484, vocatur *hospitium pedis griffonis*.

[2] Locus vacuus in Ms.

intravit per pervistum a latere dextero versus chorum, et intrans inter dominos Johannem de Seranio decanum et dominum Walterum de Corswerm, archidiaconum Ardennae, ecclesiam Leodiensem, processitque inter pilaria et capellas ab eodem latere dextero ipsius ecclesiae fere usque ad antiquum chorum. Et ibidem inter ultimum pilare et antiquum chorum hujusmodi per medium ecclesiae sub corona procedendo intravit chorum, et veniens ante altare ad distantiam forte sedecim pedum, ubi sedes posita fuit baldekino aureo cooperta, cussino praeposito, ibi posuit se ad genua super cussinum hujusmodi; et ab utroque latere ad distantiam trium pedum vel circiter positi fuerunt duo cussini, unus a dextero super quo decanus, et alius a sinistro lateribus super quo dictus archidiaconus genicularunt, positi exstiterunt. Et facta ab ipsis dominis electo, decano et archidiacono oratione brevi, circumstantibus dominis episcopis, decano et canonicis capituli Leodiensis necnon militibus et militaribus et magistris civium antedictis et multis aliis, accessit summum altare, cujus fenestrae seu januae apertae fuerunt, multis imaginibus argenteis, quatuor candelabris cum candelis ardentibus super id ipsum altare positis, et tapeto ante illud strato, ibique primus liber cartarum fuit positus super illud, in quo juramentum praestari solitum per episcopos et electos Leodienses in eorum introïtu est conscriptum. Et quia in hujusmodi continetur juramento, quod episcopus debet illud praestare decano legente, interrogavit eum praedictus dominus decanus, an ipse dominus electus illud legere vellet? Qui respondit, quod ipse dominus decanus illud legeret, et incontinenti, licet juramentum scriptum sit in tertia persona, utputa : *Dominus episcopus jurabit quod jura, proprietates conservabit* et similiter, tamen dictus dominus decanus legit in secunda persona dicendo : « Vos juratis, quod canonice estis adeptus episcopatum, et quod clerum, terram et patriam ac jura Sanctae Mariae, sanctique Lamberti defendetis pro viribus contra omnes homines, etc., » semper in secunda persona usque in finem. Quo facto, praefatus dominus electus manu sua dextera super imagine Crucifixi et sacrosanctis evangeliis in praetacto libro descriptis posita dixit se jurare, et juravit sic in effectu : « Sic ego juro. » Deinde vero incontinenti venerabilis vir magister Arnoldus de Eldris, cantor Leodiensis, praesentibus et sequentibus dominis decano et canonicis ac omnibus supradictis installavit et intronizavit eum in choro in sede episcopali ad latus dexterum superius, baldekino aureo ibidem pendente, et cussino posito. Consequenter absque dilatione quacumque, domini decanus et

canonici praedictum electum per ostium chori anterius, quo intrarat, eduxerunt sub nova et magna turri, ibique feodales et custodes ecclesiae stantes cordam campanae bannalis in eorum manibus tenebant, et dum domini cordam ipsam dicto domino electo tradere voluissent, feodales et custodes ibidem stantes dixerunt, quod non dimitterent cordam, nisi pro eorum juribus habito responsali, quia hupplanda illa qua tunc indutus erat spectabat ad eos [1]. Sed supradictus dominus archidiaconus respondit pro juribus, et sic praetactam cordam dimiserunt, quam dominus Reynerus de Palant, custos Leodiensis, ac domini decanus et archidiaconus dicto domino electo tradiderunt, qui juvantibus eum aliquibus circumstantibus traxit cordam, ut sonaret. Sed utrum unum ictum vel plures campana dederit ignoro. quia propter strepitum et vociferationes adstantium impossibile fuisset nos potuisse audire. Et deinde recto tramite transeundo ecclesiam ex transverso versus et per portale, versus palatium tendens et aspiciens, transtulit se ad palatium episcopale. Et tunc ego recessi. Sed super juramento praestito supratacto et reliquis aliis subsecutis, tam domini decanus et capitulum quam dominus Johannes episcopus Atrebatensis, nomine praedicti electi, petiverunt hinc inde instrumenta. Etiam supradictus magister Amelius, magister civium, nomine civitatis petiit instrumenta.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, nos 109 et 110, fol. 37 verso.

XXIX.

COPIA LITTERARUM 26 OCTOBRIS 1456 CONCESSARUM CLERO DIOECESIS LEODIENSIS IN JUCUNDO ADVENTU DOMINI NOSTRI LEODIENSIS.

Ludovicus de Bourbon, Dei et apostolicae sedis gratia electus confirmatus Leodiensis, dilectis vobis in Christo dominis decanis seu vicedecanis et capitulis ecclesiarum nostrarum collegiatarum, tam secundariarum Leodiensium

[1] In nota margini adscripta legitur : « Dicebatur, quod dominus archidiaconus eam redemit nomine et ad opus domini electi pro et mediantibus quinquaginta florenis rhenensibus. »

quam forensium, totique clero patriae et dioecesis nostrarum Leodiensium, salutem in Domino sempiternam. Gratum subsidium vobis pro supportatione gravissimorum onerum et expensarum sumptuosarum, quae et quas in camera apostolica et in adventu jucundissimae receptionis nostrae ad ecclesiam Leodiensem sustinuimus gratiose et uberrime per vos concessum, aliaque merita vestra nos inducunt, ut vobis ad gratiam reddamur liberales. Volentes itaque praemissorum intuitu vobis gratiam facere specialem, jura, privilegia et consuetudines, francisiasque, libertates et exemptiones vestras et ecclesiarum vestrarum praetactarum, necnon reformationes dudum per reverendum patrem dominum Johannem de Heynsberch, praedecessorem nostrum, de et super abusibus tollendis, de et cum consensu venerabilis capituli nostri Leodiensis editas atque sigillis ipsorum domini Johannis et capituli rite sigillatas, ac per sanctam sedem apostolicam confirmatas, volentes et pollicentes vos et quemlibet vestrum in illis manutenere et conservare, necnon ab omnibus et singulis vexationibus, oppressionibus et molestationibus, vobis et cuilibet vestrum per quascumque personas tam spirituales quam seculares de facto et injuste ac contra ecclesiasticam libertatem francisiasque et exemptiones supratactas factis et illatis, faciendisve vel inferendis, possetenus defendere atque attentata revocari facere et realiter procurari, cum integra restitutione ablatorum, concedimus, approbamus et confirmamus. Insuper tenebimus vos immunes, ac defendemus pro posse nostro ab omnibus pensis, talliis seu impositionibus, per quascumque personas spirituales aut seculares concessis seu concedendis. Item non permittemus per aliquem seu aliquos in et circa monasteria ac ecclesias nostrarum patriae et dioecesis Leodiensium fieri visitationes, nisi juxta et secundum formam et tenorem statutorum synodalium curiae nostrae Leodiensis. Item volumus et mandamus statuta synodalia hujusmodi et alia, una cum modificatione domini quondam Adulphi episcopi Leodiensis, praedecessoris nostri, observari, quodque illa partibus eisdem pro defensionibus jurium et causarum indigentium et petentium ac volentium in judicio exhibere illorum originalia seu in et sub auctentica forma non denegentur, neque per procuratores fiscales curiae nostrae Leodiensis aut alios quoscumque negentur. Quod si facere praesumpserint, corrigantur et in expensis condemnentur. Item indulgemus tenore praesentium singulis canonicis praedictarum nostrarum ecclesiarum collegiatarum forensium et de confraternitate ecclesiarum nostrarum secundariarum antedictarum, existentibus praebendatis et

residentibus, simile privilegium quod canonicis praebendatis et residentibus earumdem secundariarum ecclesiarum in reformationibus domini Johannis de Heynsberch supratactis, super non denegantium absentiam et placet concesso, dempto et salvo quod sine causa legitima rebelles contra nos nostramque jurisdictionem et dominium ipso privilegio hujusmodi rebellione durante minime gaudeant, nec illud eis seu cuilibet eorum suffragetur. Mandantes sigillifero nostro et aliis praelatis, prout in dictis reformationibus circa praetactum privilegium continetur et per praefatum dominum Johannem praedecessorem nostrum mandatum fuit et est. Item volumus et pollicemur assistere vobis in conservatione turni seu collatione beneficiorum alternatis mensibus vobis per felicis recordationis dominum Eugenium papam concessis, ipsumque turnum seu collationem defendere et manutenere realiter et cum effectu, salva semper sanctae sedis apostolicae obedientia. Item volumus et consentimus, quod subsidium nobis concessum supratactum levetur infra claustrum ecclesiae nostrae Sancti Petri Leodiensis, prout consuetum est, juxta valores beneficiorum prout in registro super subsidio domino Johanni de Heynsberch praelibato novissime concesso confecto, descripti sunt atque verificati, salvo si interim aliqua beneficia diminuta fuerint, in eo casu solvatur juxta veros valores eorumdem beneficiorum sic diminutorum; super quibus stabitur juramento rectorum ipsorum beneficiorum. Item volumus et mandamus, quod rectores beneficiorum, quorum fructus tempore solutionis dicti subsidii fiendae fuerint in manibus praelatorum, non vexentur super solutionem hujusmodi subsidii de ipsis beneficiis, sed solvent illud ipsi praelati seu eorum collectores de fructibus eorumdem beneficiorum in manibus sic existentibus pro termino et rata solutionis tunc fiendae competentibus. Item quia supratactum subsidium ex veris et intimis affectione et amore, quos erga nos gessistis ac geritis, ac etiam contemplatione alti sanguinis nostri et non ex debito nobis sub magna et plus solita taxa, videlicet unius antiqui blaffardi valoris nummi currentis concessistis, ideo volumus, quod hujusmodi taxa vobis in posterum non praejudicet neque in sequentia trahatur. In quorum testimonium praemissorum praesentes litteras sigilli nostri ad causas jussimus appensione communiri. Datum Leodii sub anno a nativitate Domini M° quadringentesimo quinquagesimo sexto, mensis octobris die vicesima sexta.

Ms. de la bibl. royale, n° 10898-10952.

XXX.

SUPPLIQUE ADRESSÉE A L'ÉVÊQUE DE LIÉGE, LOUIS DE BOURBON, EN 1456, PAR WATHIER DATHIN ET GÉRARD DE GOREUX, TANT POUR EUX QUE POUR LEURS COMPLICES.

—

Très-hault et très-puissant prince et nostre très-honoré Sr, monseigneur l'esleu de Liége, duc de Boulhon, conte de Looz, etc. Remonstrent vos humbles et obéissans Wathier Dathin et Gérard de Goreux, pour eux et leurs complices, comment par longe espace de temps, de vingt-quatre ans et plus [1], aulcuns qui ont eu le gouvernement en la cité de Liége, les ont pris et usurpé leurs biens et héritaiges, sans cause de raison, ou jugement de loy ne de droit; mais du tout à l'encontre de la loy de Liége, droit et franchise; et eux-mesmes, gouverneurs de Liége, de longtemps par avant avoient estés ennemis notoires ausdits remonstrans : comme tout ce est bien à cognoissance d'une grande partie des habitans de Liége, et aussi en ce cas ont été acteurs, produiseurs et jugeurs, et grande partie des biens convertis en leur prouffit, qui est choese très-dure d'estre traictié, tesmoigné et jugé par ses ennemis notoires. Et jaçois que lesdits remonstrans toujours ayent offert et offrent de steir en droit pardevant très-excellent, très-hault et très-puissant prince, monseigneur le duc de Bourgongne et de Braibant, etc., et pardevant son vénérable conseil, ou pardevant quelconcque justiece que leurs adversaires leur vouldroient poursuyre, et mesme qu'ilz eussiont offert dix ou douze des plus principaux d'eux d'entrer en ferme en la bonne ville de Huy ou d'aultre bonne ville du païs de Liége, par ainsi que leurs adversaires y entrassent pareillement, et par condition que bonne information se fisse par aulcuns députés de part révérend père en Dieu, monseigneur Jehan de Heynsbergh, pour lors prince et signeur du païs ou par aultres bonnes gens de la cité, sans suspection, et qui eust esté trouvé mauvais pour en recevoir sa punition selon son démérit. Laquelle choese leur fut signifié, et point n'y vou-

[1] Ce qui montre que cette supplique a dû être adressée en 1456 ou 1457.

lurent entendre, ains se sont tousjours fortifié pour eux lesdits remonstrans perpétuelement destruyre, journelement prendant et usurpant leurs biens (comme dit est), qui est del tout à l'encontre de l'entrée de leur prince et aussi des sérimens des eschevins de Liége, qui sont wardans et jugeurs de la loy de Liége, et aussi à l'encontre des sérimens qu'eux-mesmes ont faict à la réception de la maistrise de Liége, et de tous ceux qui ont porté et portent office et gouvernement de la cité. Et tout ce veulent lesdits remonstrans deutement faire apparoir, et par ainsi ce qu'ils font et ont faict est à recevoir devant tous bons juges, et par les raisons qui s'ensuyvent :

Premirement, maintienent lesdits remonstans que selon la loy de Liége, que les eschevins salvent et wardent, que nul (ne par nul cas quelconcque) ne peut forfaire ses biens, et fust la persone pris et jugé à mort par vilain cas, comme il appert évidemment par plusieurs jugemens faicts et rendus par lesdits eschevins de Liége, comme chieff de la loy et aussi par continuele usance. Car oncques plus ne fut veu que nul perdist ses biens par nul excès : ne que ceulx de la cité demandassent, ne calangassent nuls biens. Ainsi appert que ce qu'ils en font est du tout à l'encontre de la loy de Liége, et est chose de force et de volunté. Et de ce se rapportent à un bon jugement desdits eschevins de Liége.

Secondement, maintienent lesdits remonstrans, que selon l'ordonnance de la paix de Fexhe qui est promise à tenir et warder par le prince du pays, les vénérables seigneurs de la grande église de Liége par les eschevins, maistres et conseil de la cité, est tele et de tele condition, faisant expresse mention que tout homme doit estre mené par droit et par loy, et de ce se rapportent à l'ordonnance de ladite paix de Fexhe.

Tiercement, maintienent lesdits remonstrans que selon loy, droit et justice, nul ne doit estre condamné de corps ne de biens, sans qu'il y soit huchiés et appellés, pour avoir ses débats et allégances et contremonstrances, se avoir le veult : lesquelles choeses point ne leurs est advenu. Par ainsi appert évidenment que ce que faict, est à reprouveir et rejecter : de ce soy raportent à tous bons juges.

Quartement, pour justement approuver le premier article touchant les biens desdits remonstrans, il est vérité que depuis l'espace de cinq ou de six ans, un appellé Witheame de Laveur at esté prins et traicté par les eschevins de Liége à mort, comme de vilain cas, à sçavoir de meurdre, et justicié comme

murdreur. Lequel, après jugement et avant exécution de justice faicte de son corps, fist et ordonnat son testament de ses biens. Lequel testament deutement at esté approuveit et confirmé par loy, par lesdits eschevins de Liége. Et en partie de sesdits héritaiges, at laissé et almoneit à aulcun sien proisme qui pour le présent at gouvernement en la cité, sans ce que par monseigr de Liége ou par ceux de ladite cité aiet esté opposé à l'encontre. Par ainsi appert ledit article premier estre véritable.

Quintement. remonstrent lesdits Wathier et Gérard, que naguers, à sçavoir en fin de l'an 56[1], un appellé le joene Jean de Bernalmont at esté pris et jugié par lesdits eschevins de Liége pour vilain cas, et pour son démérit justicié et mis à mort. Lequel aussi, après jugement rendu et avant l'exécution de justice, fist son testament de ses biens et héritaiges, qui est choese notoire. Par ainsi appert semblablement le susdit article estre vraye.

Sextement, remonstrent les devantdits remonstrans que leurs biens n'ont point estés prins ne usurpées de part monseignr, Johan de Hynsbergh, pour lors prince et seigneur du païs, ne par ses officiers quelconques en nulle manière, mais par les mains de leurs adversaires.

Supplient pour ce très-humblement vos humbles et obéissants, comme à leur prince spirituel et temporel, que, pour l'amour de Dieu, en pitié et en faveur de droict et de justice, que de vostre bénigne grâce puissent estre réfectionés de droit, de loy et de justice, et qu'ils puissent jouyr de leurs biens en vostre païs, comme loy et raison le veut. Et en ce faisant, ferés œuvre de Dieu et aulmosne, et ils, lesdits remonstrans. prieront à Dieu pour vous et pour vostre très-noble génération, qui vous veuille maintenir victorieusement.

Au bas est écrit : *Xhenceval at l'originel.*

Bibl. royale de Bruxelles, n° 14565 ; MS. de Wachtendonck.

[1] Ou en 1455.

XXXI.

TESTAMENT DE WATHIER DATIN, 10 AOUT 1456.

—

En nom de Dieu. Amen. Je Wouter Datin, en mes bons sens, mémoire et parfaict entendement, Dieu merci, faict et ordonne mon testament et ma dernière volunté en la forme et manière que s'ensuyt :

Premièrement, recommande mon âme en la garde de la très-saincte Trinité et de la glorieuse vierge Marie et de toute la court de paradis.

Et après, veu et ordonne que mes exèques soyent faictes sans pompes, mes debtes payées, mes tort faicts, rendus et restitués, s'aulcuns trouvés estoient ou apparoir pouroient; et ce selon forme de nostre mère saincte église, et des plus apparans de tous mes biens que je laisseray et relinqueray.

Item, j'esly sépulture de mon corps en la chapelle que j'ay arenté en l'église St-Pière, à Louvain.

Item, je laisse pour Dieu et en pure aulmosne, az seigneurs et chapelains de ladite église, un muyd de bleid héritable, par ainsi que les chapelens de ladite église seront tenus perpétuellement chacun an, au propre jour de mon obit, de faire mon aniversaire, et de célébrer une haulte messe en madite chapelle et de prier Dieu pour les âmes de moy, de mes père et mère, de nos proismes amis et bienfaicteurs. Et là ce ne feront, je laisse ledit muyd de bleid au sainct Esprit dudit Louvain, pour cuyre du pain qu'on deverat distribuer le mesme jour de mon obit, pour l'amour de Dieu, aux pauvres.

Item, je laisse pour Dieu, et en pure aulmosne, à la fabricque et à ladite église St-Pière, la moitié de cent coronnes, tels que furent données en mariage avec damoiselle Catherine de Rotselair, ma femme, dont lettres apparent; et l'aultre moitié je laisse à l'église St-Martin dudit Louvain, voir en tel' manière et par ainsi, que si dame Jehenne, ma fille, de Rotselair n'auroit hoir de léal mariage, venant à parfaict eage de quinze ans, que cesdites coronnes, après décès de sa mère, d'elle et de son marit, retournent et parviennent héritaiblement ausdites églises et fabriques St-Pière et St-Martin, ainsi que dit est icy-deseur.

Item, je laisse encor à ladite église et fabrique S[t]-Pière, siex cent coronnes de France, et az frères de l'église dudit S[t]-Martin de Louvain, siex cent semblables coronnes, que me doibvent eschoir et eschéront après décès de dame Agnès, ma fille, veuffve de feu messire Jehan de Soye, chevalier, dont lettres appèrent faisantes mention, là lesdites douze cent coronnes ne seroyent payées l'année après que madite fille serat trespassée, qu'on peut mettre les mains à la terre et à tous les biens de Soye et des appartenances.

Item, je laisse encore à ladite église S[t]-Pière quarante ryders, une fois à payer, pour acquérir deux ryders deseurdits, et ce pour faire, après mon décès, oultre l'aniversare deseurdit, tous les ans et d'an en an perpétuelement mes aniversaires en le cheur et chanceal de ladite église, au mesme jour de mon obit, par ainsi que les chanoines de ladite église, qui ausdits anniversaires faire seront présens, ayent, à sçavoir un chacun d'eulx, un stuyver, et les chapelains de ladite église aussi qui à ce présens seront, chacun demy stuyver, et ce pour prier pour mon âme et les âmes de tous mesdits proismes et amis.

Item, je laisse encor pour Dieu et en pure aulmosne, à ladite église S[t]-Pière et auxdits frères de S[t]-Martin, deux cent vielles coronnes héritables, que j'ay acquis à damoiseau de Wesemale, dont lettres apparent, et desquelles Johan Datin, mon fils, est en vesturre. Si me plaist et veu qu'il les rapport sus et tout son droit qu'il y at, et en face après ceulx desdits S[t]-Piere et S[t]-Martin tout ce qu'il en pourrat faire. Voir en le bien entendu et pourveu, que je ne veu point que mes aultres biens meubles ny héritaiges soyent de rien tenus de les faire bon. Et par ainsi que lesdits chanoines de S[t]-Pière, par vertu des laisses [1] par moy à eux faictes, soyent tenus de faire et fonder un aultel en ladite église S[t]-Pierre, à l'honneur du S[t]-Esprit, par et en telle manière que à celluy aultel quotidiement et chacun jour, sans déport ou dilay nul, ils seront tenus, à leurs costes et despens, de faire dire une messe en rémission de mes péchés et pour prier pour mon âme et pour les âmes de tous mes proismes et bienfaicteurs. Et pareillement, veux que lesdits frères de Sainct Martin soyent tenus de faire et fonder par vertu des laisses, que laissé leur ay un aultel en l'honneur de Nostre-Dame la glorieuse vierge Marie, mère de Dieu, en leurdite église, et de dire et célébrer perpétuelement cha-

[1] *Laisses*, legs, *relicta*.

cun jour une messe pour prier pour les âmes Wilhaume Datin, mon père, de ma mère, déviés, et de tous mes proismes, amis et bienfaicteurs. Condition ès laisses ausdits de St-Pière et de St-Martin adjousté, en cas là ils ne fonderoient les aultels en leursdits églises, et qu'ils ne diroient les messes à la manière que ordonné sont, que lesdits deux cent coronnes héritables, parvenissent à la table du St-Esprit dudit Louvain.

Item, je laisse pour Dieu et en pure aulmosne, à l'église de Fetinne enprès la Boverie, deleis Liége, deux muyds de spelte héritauble que Colchon, filz Johan Colchon d'Angleur, soloit payer; pour laquelle dite laisse le vestit de ladite église, quiconcque le serat pour le temps, sera tenu à propre jour que trépasseray, de faire chacun an mon aniversaire, et de prier pour les âmes de Piron le Robeur et de damoiselle Helewy sa feme, de moy et pour tous âmes de nos amis, proismes et bienfaicteurs.

Item, je laisse pour Dieu et en pure aulmosne, Johan Datin mon filz, ma terre, signorie de Jehaing, avec tous les cens, rentes, chapons, vivier, preis et terres, que je tien en fieff de monseig^r^ de Liége, ainsi que les lettres sur ce faictes comprendent.

Item, je laisse encor audit Johan mon fils, ma terre de Bossuyt, gisante delez ledit Jehaing, avec les cens et rentes et les appartenances.

Item, je laisse encor le fieff del verge St-Lambert, qui vault environ soixante-quatre muyds de speaulte héritaubles, dont lettres apparent.

Item, je laisse encor audit Johan, toutes les héritaubletés que je tenoye avec damoiselle Maroye sa mère, réservé et excepté les maisons et les cens que s'ensuyvent : à sçavoir première, ma maison stissante en Chandelistrée, où je soulois demourer, laquelle je laisse à dame Agnès de Soye, veuffve de jadit messire Jehan de Soye, chevalier.

Item, encor à elle-mesme, la maison qui fut messire Wilhaume Gila jadit, séante à St-Servais, et ma maison sieze à St-Séverin, et aussi ma maison qu'on dist *la coppe d'or,* stissante devant la maison qui fut Bareit Surlet; et tous les cens et rentes que j'ay dedens la franchise de Liége.

Item, je laisse audit Jehan mon fils, toutes mes parçons de mes houilliers, teles que je les ay, et tous les cens, terraiges et ouvraiges et les appartenances; par ainsi qu'il peust redemander, s'il luy plaist, tous les arriérages, qui en ont estés prins et levés.

Item, je laisse encor audit Johan, quatre-vingt muyds de spelte héritau-

bles, qui me sont escheus de part damoiselle Yde de Flemale, ma sœur jadit.

Item, je laisse encor audit Johan, vingt muyds de bleid héritaubles, gisantz à Sayves delez Liége, que Drommar de Saives souloit payer.

Item, je laisse encor audit Johan, vingt escus et quarante-deux chapons héritaubles, que j'ay acquis à signeur de Furnemont, chevalier, et vingt ryders héritaubles que j'ay acquis à Wathieu de Lynsimeau natureit, comme lettres de ces deux derniers laisses apparent.

Item, laisse encore audit Johan, la moitié de touttes les pensions qui seront trouvés après mon décès; voir que je veu qu'il en soit acquis héritaige raisonable.

Item, je laisse encor audit Johan, deux milles lions d'or une fois à payer, par ainsi qu'il en soit acquis héritaige raisonable.

Item, luy laisse encor les cinquante-deux bonniers de terre que j'ay acquis aux enffans de Grevenboven, pour avoir après décès de damoiselle Catherine de Rotselair, ma feme, que sus at esté et est douwée.

Item, je laisse à la tantost nommée damoiselle Catherine, madite femme, pour ens avoir sa vicarie tant seulement les quattres ryders héritaubles que doibt Johan de Pont de Halley, comme lettres apparent; et en telle manière, qu'après trespas et décès d'elle madite femme, icieux dits quatre ryders héritables retourneront à mondit fils Johan. Et veu que sur tous mes biens meubles et héritage, présens et advenir, elle ne puisse plus rien sus avoir ne demander en manière nulle, et l'en prive et l'oste présentement pour adonc.

Item, je laisse pour Dieu et en aulmosne, à Gérard de Crehain, gendre en damoiselle Agnès ma cousine, fille de feu messire Johan del' Thour, chevalier, ma maison où je demeure, qui est stessante derier l'hostel du *Sauvaige homme* à Louvain, et qui jà fut Wilhaume Van Haren, avec les licts, sarges, lincieul, cossins, decips, de scapnes, pots, pailes, fastroux, tables, bancqs, lessons et tout aultres stenys d'ostel; réservé en ce juweaux d'or et d'argent, monoyé et non monoyé, pieres ou trilx et semblables juweaux, qu'en sont fours exceptés et exclus. Laquelle dite maison, avec ses appendices et appartenances, à luy ainsi laissée, doibt et rend par an à la susdite église de St-Pière siex florins de Rhin et seize aidans.

Item, laisse encor audit Gérard, la maison qui stat droit devant, à toutes ses appendices et appertenances, et la maison petite joindant aux deux maisons susdite, en laquelle dite petite maison Art, dit Vandendaele, soloit de-

mourer. Et doibt la maison qui est stisante devant madite maison chacun an, aux Blanches Dames[1], deux chapons et une placke.

Item, je laisse encor audit Gérard, ma signorie de Jeneffe, cens, rentes et chapons à icelle appartenante, que je tiens en fieff de monseig^{r} de Liége, comme appert par lettres sur ce faictes. Et est à sçavoir que mon intention et expresse volonté est telle, que ce que j'ay laissé à Johan mondit fils soit telement condit, vue et ordonné, veux et moi plaist, que s'il n'avenoit hoir légitime parvenant à parfaicte eage de quinze ans, qu'il voist et retourne à Gérard de Crehain, mondit cousin. Et aussi semblablement et pareillement, se il Gérard, trespasse sans avoir hoir légitime, audit parfaict eage de quinze ans, que les biens que laissés luy ay, ne mesme s'il luy estoit escheu de Johan mondit filz, aulcuns biens, qu'il ne les puisse vendre ny engaiger, s'il n'avoit hoir légitime parvenant audit parfaict eage de quinze ans. Et s'il advenoit qu'ils Johan et Gérard trespassent sans avoir hoir tel que dit est, que ces laisses ralassent à mes plus proismes de mon costé, adonc trouvé, de l'évesché de Liége ou de la conté de Looz, et nient altre part.

Item, je laisse pour Dieu et en aulmosne, à dame Agnès ma fille, veufve de messire Johan de Soye, chevalier jadit, cent chevaulcheurs une fois à payer, par ainsi qu'elle soit tenue de prier pour mon âme.

Item, je laisse à Wilhaume Datin, mon fils, chanoine de St-Johan Évangéliste, quarante-sept muyds de spelte de pension, que j'ay acquis à sa vie au signeurs de Malmédie, sur la terre, haulteur et signorie de Malmédie, trés-cens, cens, rentes, eauwes de Sclassin, dont lettres apparent.

Item, je laisse audit Wilhaume, toutes les maisons, cens, rentes, que j'ay à Montegnée, dont il en est environ de quattre-vingt muyds de spelte, voir par telle condition que ledit Wilhaume et Jean, mes deux fils, soyent tenus d'assigner à l'église et aux pauvres de Montegnée, sept muyds de spelte héritaubles, à sçavoir : cincque muyds ausdits pauvres et deux muyds à ladite église, pour faire les aniversaires Wilhaume Datin, mon père, damoiselle Agnès, ma mère, damoiselle Maroie, ma première femme déviée, et tous nous amis, et pour prier pour noz âmes. Et tout cens ces lasses, audit Wilhaume mon fils laissés, je veux que il les tiegne sa vie durante tant seulement, et que après son décès, retournent et partiennent héritablement à susdit

[1] Nom d'un couvent de femmes à Louvain.

Jehan, mon fils, et après luy, à ses hoirs légitimes adont trouvés en vie.

Item, je laisse à Arnoldus Kyp, mon bon ami, clerc secrétaire de la bonne ville de Louvain, cent ryders une fois à payer par condition telle qu'il soit tenu de mes légataires ayder, conseiller et advancer, si avant qu'ils auront droit et ainsi que j'ay la parfaite fiance.

Item, je laisse à Henri Masscuereit, mon varlet, quarante escus Guilhelmus une fois à payer.

Item, je laisse à Henri Martin, mon serviteur, diex escus Guilhelmus une fois à payer.

Item, je laisse pour Dieu et en pure aulmone à Wilckin, mon fils naturel, mille florins de Rins une fois à payer, du plus appareillé bien, or et argent que j'ay. Lesquels dits mille florins doibvent estre mis à la change de Louvain, pour achapter et acquérir rentes héritaubles, ou pensions, que doibvent estre mis en avant à plus grand proufit de l'enfant. Et veu que ledit enfant soit gouverné par conseil, Jehan mondit fils, Gérard, mon cousin et ledit Arnoldus Kyp; condition en ce adjousté, que il Wilkin, ne les peult vendre, engagier ne aliéner. Et aussi s'il trespasse sans avoir hoir de léal mariage, venant à parfaicte eage de quinse ans, ou qu'il ne fut ordonné à l'église, que lesdits biens à luy laissés retourneront par moitié à Johan mondit fils, s'il estoit en vie, ou à ses hoirs, si trespassé estoit, et l'autre moitié, audit Gérard ou à ses hoirs, si trespassé estoit.

Item, je laisse à Lisbette, sa mère, cent ryders une fois à payer, pour acquérir pension ou héritaige que mieux lui plairat, voir par telle condition qu'elle se tiegne honestement; et là ce ne ferat, je le prive dès maintenant pour adoncque, et veux qu'il retournent et parviennent audit Wilkin, mon fils naturel, en la manière et sur condition devant escripte.

Item, je laisse pour Dieu et en aulmosne, à Wouterken, fils naturel Jean mon fils, engendré ledit Wouterken en Marie Bandt, trente-deux chevaulcheurs de pension, sa vie durante, et veu que Jehan, sondit père, soit tenus de les assigner suffissamment sur les mesmes biens, et ce que laissé luy ay, anchois et avant qu'il met les mains à aulcuns de mes biens; par manière telle que je veu que il, Wouterken, ne les puisse vendre, aliéner ne engaiger en manière nulle, ains veu et me plaist qu'il soyent gouvernés et mis à proufit de l'enfant, à la change de Louvain. Et là ledit Wouterken ce ne voudroit souffrir ne consentir, dont le privé-je de laisse. Et aussi je veu, s'ainsi estoit

qu'il Johan ne faisoit audit Wouterken, sa donnée asseuré, qu'il soit privé, et le prive de ce que laissé luy ay.

Item, je laisse au susdit Gérard de Crehain, la moitié de toutes pensions que seront trouvés après mon décès ; voir que je veu qu'il en soit acquis héritaige raisonable.

Item, je laisse encor au dessusdits Johan Datin et Gérard de Crehain, vingt-six hanaps d'argent, pesant chacun hanap une marck, et treize hanaps d'argent, chacun pesant deux marcks, et un juweal doré appellé une fonteine, pesant environ dix-sept marcks, et encor avec ce certaines coppes d'argent, goddés et dragenes, pesant treize marcks; sur telle condition que de l'or et de l'argent et de juweaulx que leur ay laissé, il en soit achapté de la héritableté, que ilz deveront tenir leur vie durante tant seulement. Se donc n'avoient hoir légitime venant à l'eage de quinze ans, et si hoir n'avoient, comme dit est, que donc icieulx dits héritabletés retournassent et parvinssent après leurs décès à mes plus proches hoirs masle légitime du pays de Liége ou de Looz, qui adonc seront trouvés en vie. Et s'il advenoit que Johan Datin, mondit fils, trespassat sant relinquer et avoir tel hoir, que ce que dudit or et juweaulx luy ay laissé, retourne audit Gérard, mon cousin. Et s'il Gérard trespassoit sans tel hoir avoir, doncque veuille qu'il retourne à mesdits plus prochain proisme du pays de Liége, ou conté de Looz.

Item, je laisse pour Dieu et en pure aulmosne aux églises et fabriques de St-Piére et de St-Martin à Louvain, aux églises et frères de Bethleem emprès dudit Louvain, aux Carmélites, Prêcheurs, Mineurs et Augustins, et aux églises aussi de Saincte Cathérine et de Ste-Barbe, et chacun d'eux, pour sa rate et portion, comme il s'ensuyt héritablement, qu'est et sera acquis des quatre mille florins de Rin, convenanches en mariage de ma fille de Rotselair, voir là elle ne laisseroit hoir légitime parvenant à eage de quinze ans, ainsi que les convens dudit mariage font mention. Et, en cas ladit héritablement ne seroit acquis, si veux et me plaist que lesdites églises et fabriques St-Piere et St-Martin ayent et chacun d'eulx, deux mille florins de Rin une fois à payer : ceulx dudit Bethléem, cincque cent florins de Rin une fois à payer ; les Carmélites aussi cincque cent florins de Rin une fois à payer, les Prêcheurs, deux cent florins de Rin une fois à payer; les Mineurs deux cent florins de Rin une fois à payer; les Augustins deux cent florins de Rin une fois à payer; celles de Ste-Catherine et de Ste-Barbe, chacune desdites églises deux cent

florins de Rin, pareillement une fois à payer. Et pour de tous cesdits florins de Rin, à acquérir et achapter de la héritableté, et pour prier pour les âmes de moy, de mon père, de ma mère, de tous nos proismes, amis et bienfaicteurs. Et tout le surplus que trouvé serat de touttes mes debtes et de tous mes biens meubles et héritaiges, grands et petis, je laisse ens mains de dame Agnès, ma fille, de Soye, de Johan Datin, mon fils, et de Gérard de Crehain, mon cousin, et pour faire prier pour mon âme, les âmes de mon père, de ma mère, et de tous nos amis proismes et bienfaicteurs. Et par cestuy mon présent testament et volunté dernière, je rappelle et révocque tous aultres testaments et ordonances par moy cy-devant faicts. Et veux si aulcune ordonance après ceste trouvée estoit de ma propre main escripte, qu'elle soit de valleur et de vertu. Et si retien en moy plaine puissance et auctorité de ceste pièce à corriger, remédier et réformer, en partie ou en tout, ainsi que mieux me plairat, toutte fois et quante fois que besoigne serat et que faire le vouldray.

Et veux aussi que mes exécuteurs et les aultres, à qui j'ay ordonné, ayent cestuy présent testament ou volunté derniére pour ferme et de valeur, qu'ils l'entretiennent et accomplissent, si avant qu'en eulx est et sera; et que par ainsi un chacun luy suffit et soy contienne pour content de ce que laissé, ordonné et aulmosné luy ay. Et si aulcun d'eulx estoit rebelle et contrariant, dont le privé-je et luy oste ce que laissé luy ay, et que sa laisse parvienne à ceulx qui ceste ordonnance tiendront pour bon et de valeur.

Et veu aussi par teneure de ceste, et est mon intention, que ceux ou celluy qui, par lettres équivables de Louvain, trouvés seront adjugés par beléez à mes biens, qu'ils fassent entretenir et accomplissent mondit testament et dernière volunté après mon trespas, et que plus avant ne aultrement desdits beléez ne se puissent ayder ne ovrer en manière nulle : pourveu en ce, si ce que dit est fusse trouvé pour non testament vaillable, que non contrestant ceste ordonnance, ainsi qu'elle soy contient de mot à mot, soit exécuté par vertu desdites lettres esquivables de Louvain, en la meilleur forme que faire se pourat par loy.

Et pour lequel mondit testament à exécuter et accomplir deuement, je esly, ordonne et faict mes foidmens et exécuteurs le doyen et vice-doyen, avec deux des anciens chanoines de l'église de St-Pière, en nom du chapitre, monsr Emond de Mechoven, maistre de Chantraines, pour le temps de là, ordonné de St-Johan, Johan Datin, mon fils, Gérard, fils George de Crehain, mon

cousin, et Arnoldus Kyp, secrétaire de la bonne ville de Louvain. Lesquels exécuteurs doibvent et seront tenus de faire et d'exécuter madite ordonnance, si avant qu'en eulx est, et que droit et loy pourront porter, par vertu de cestuy mon testament, ou les lettres esquivables de Louvain dessus touchés. Et là ce faire ne vouldriont, est mon intention que celluy d'eulx, qui fust deffaillant, soit privé de ce que laissé luy ay. Et si en ceste mon ordonnance fust mis aulcun poinct, un ou plusieurs de double entendement ou dubitative, ou qu'elle ne fusse faicte en telle manière que on les puis clèrement entendre, si veu que l'interprétation de ce appartienne à mesdits exécuteurs ou de ceulx qui à ce vouldront entendre.

Item, est mon intention que Gérard de Crehain, mon cousin, puisse vendre, s'il luy plaist, ma maison que laissé luy ay, et les deux aultres, là près stissantes, pour mettre l'or et l'argent, que vendus seront, alle change, pour convertir et remettre en aultre héritaige raisonable, à plus grand proffit que faire pora, et pour estre icelluydit héritage conditioné à la manière que lesdits maisons sont icy-devant.

Ce fut faict, et par moy ledit Wauter Datin ordonné en mon hostel, le diexième jour d'aoust, l'an mille quatre cent cincquante-siex, selon le stiel de Liége, en tesmoing de mon nom cy-dessoubs escript de ma propre main et du notaire et des tesmoins dénommés et escripts sur ceste ordonnance, sayelé de mon propre seal cloz. — Johannes Dyck, presbyter notarius, etc. [1].

Bibl. royale de Bruxelles, n° 14565; Ms. de Wachtendonck.

[1] Dans le MS. de Wachtendonck se trouve, à la fin du testament, la note suivante : « Ledit damoseau Waltier Datin, trespassat à Louvain l'an 1457, indiction cincquième, du mois de may le 20, à quatre heures après midi.

» At esté ledit testament approuvé pardevant les S^{rs} eschevins de Louvain, a l'instance de nobles et généreux S^{rs} mons. Johan de S. Gaugerie, chevalier, tant en son nom que de son espeuse dame Johanne, fille légitime dudit feu Waltier, Johan Datin, fils dudit Waltier, et Gérard de Crehain, comme héritier, etc.

» At esté encor depuis, ledit testament approuvé par mons. l'official de Liége, l'an 1463, le 18 de mars, ats ses héritiers et légataires. C'est un grand volume; si vous en voulez davantaige, mons. Xhenceval l'at, auquel fault avoir recours.

» Ledit Waltier Datin portoit quartele, d'argent à un cheveron de geul, et d'argent à un lion de geul.

» Icelluy Waltier Datin, repose et est ensevely en la grande église de St-Piére à Louvain, derier le chœur, couvert d'une grande pierre, en laquelle est gravé son blason, avec son épitaphe en langue brabançonne, dont la substance est telle en notre langue françoise : *Icy gist ensevely Wathier Datin, signeur de Geneffe et de*

XXXII.

BULLA PII II DE ALTERNATIVA BENEFICIORUM IN DIOECESI LEODIENSI, DATA TERTIO DECIMO KAL. FEBRUARII 1458.

—

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Laudanda sedis apostolicae rectitudo, quae in suis actibus provida circumspectione dirigitur, illis ex praelatis et personis ecclesiasticis non immerito etiam inconcessis per eam declarationem adjecto beneficio spirituales favores et gratiam impartitur, quos facti evidentia indicante sibi devotos et obsequiosos fuisse et esse cognoscit, ut tales ad ejus beneplacita promptius in posterum se coaptent, et alii eorum exemplo ad fideliores essendum propensius exerceantur. Dudum felicis recordationis Eugenio papae quarto, praedecessori nostro, ob constantem venerabilis fratris nostri Johannis olim episcopi Leodiensis, ac aliorum ecclesiasticorum civitatis et dioecesis Leodiensis quam ad ipsum et praefatam sedem in arduis et periculosis casibus gesserant, devotionem, qua nimirum de ipso et de dicta sede benemeriti exstiterunt, inter caetera placuit quod de dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis secularibus vel regularibus cujuscumque valoris et quantitatis fuerint, quovismodo et ex quavis persona, exceptis infrascriptis reservationibus in civitate et dioecesi Leodiensi, ex tunc in antea vacare contigerit, ita disponentur, videlicet quod in mensibus januarii, martii, maii, julii, septembris et novembris, ad collationem sedis apostolicae, illa vero quae in reliquis videlicet februarii, aprilis, junii, augusti, octobris et decembris mensibus vacarent dispositioni ordinariorum collatorum civitatis et dioecesis praedictarum libere pertinerent. Placuit quoque praedecessori praefato, nullas reservationes dignitatum vel beneficiorum praedictorum generales vel speciales facere, neque factis tunc per se vel praedecessores suos uti, exceptis reservationibus in corpore juris clausis et exceptis dignitatibus et beneficiis sanctae romanae ecclesiae cardinalium necnon

Jehey, un des douze du pays de Liége et de Looz qui morut en l'an notre S^r mille quatre cent cincquante-sept, le 21e jour de may. — Nota qu'audit testament, le notaire dist qu'il seroit mort le 20 may, à 4 heures après midi. »

prothonotariorum sedis apostolicae auditorum, litterarum contradictarum correctorum auditorum, causarum palatii apostolici et auditoris camerae apostolicae necnon clericorum ejusdem camerae, accolitorum, cubiculariorum, abbreviatorum ad numerum centum, scriptorum grossae ad numerum centum et unius, scriptorum primariae ad numerum viginti quatuor, necnon omnium verorum familiarium continuorum commensalium suorum et cardinalium praedictorum, quamdiu vero familiaritas duraret. Placuit etiam praefato Eugenio praedecessori nostro electiones ad ecclesiam cathedralem et monasteria ac majorem post pontificalem et principales in collegiatis ecclesiis dignitates electivas per tempus et tempora a jure statuta exspectare, illasque approbare et confirmare vel infirmare, prout justitia et equitas suaderent, nisi ex aliqua rationabili et evidenti causa in litteris apostolicis exprimenda aliter visum foret providere, proviso etiam quod confirmati seu provisi per sedem apostolicam ordinariis praestarent debita juramenta et alia quae de jure et consuetudine tenentur.

Quum super praemissis quaedam dubia orta fuissent, idem praedecessor per quasdam alias suas litteras declaravit illorum dumtaxat ex familiaribus praedictis beneficia infra civitatis et dioecesis praedictas consistentia censeri debere reservata, qui actu veraciter et sine fraude sui et successorum suorum romanorum pontificum et cardinalium hujusmodi pro tempore existentium familiares continui commensales essent, et quod vera familiaritas hujusmodi censeri deberet dumtaxat durare, quamdiu familiares hujusmodi veraciter actu et sine fraude suis et eorum serviciis realiter insisterent, suisque et eorum expensis cum effectu viverent; et non alias quoquo modo, necnon quod scriptorum grossae et scriptorum primariae ac suorum et successorum praedictorum cubiculariorum beneficia sub reservatione hujusmodi includi deberent, dumtaxat quamdiu illi tales veraciter et actualiter existerent, et quod illis tales esse realiter desinentibus reservationes beneficiorum ipsorum omnino cessarent. Voluit quoque ac statuit et ordinavit ex tunc in antea illorum dumtaxat abbreviatorum beneficia intra easdem civitatis et dioecesis consistentia censeri debere reservata, qui de civitate et dioecesi Leodiensibus nativi essent, etiam si illi multo pauciores numero centum existerent, prout in eisdem litteris, quarum tenores praesentibus ac si de verbo ad verbum inserti forent haberi volumus, pro expressis plenius continetur. Nos igitur fidelitatis et constantiae episcopi et aliorum dictarum civitatis et dioecesis collatorum non ignari, cupientesque dilecto filio Ludovico, electo Leodiensi, ejusque

successoribus, et collatoribus antedictis materiam dare, ut in similibus casibus nostri eis ob hujusmodi devotionem collati beneficii memores studeant dictae sedi firma semper devotione parere, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate eidem Ludovico electo, aliisque ecclesiarum praelatis, et monasteriorum ac aliorum religiosorum locorum quorumlibet eorumque capitulis, conventibus, canonicis et personis, et aliis quibuscumque, ad quos majoris et aliorum civitatis, et dioecesis praedictarum ecclesiarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, et officiorum ac aliorum quorumvis ecclesiasticorum beneficiorum secularium vel regularium in eisdem civitate et dioecesi consistentium, cujuscumque qualitatis et valoris annui fuerint collatio, provisio, praesentatio, electio, seu quaevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, eorumque praedecessoribus pro tempore existentibus auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium concedimus, necnon statuimus et ordinamus, ut de eisdem canonicatibus et praebendis ac dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis et beneficiis, qui de caetero perpetuis futuris temporibus in februarii, aprilis, junii, augusti, octobris et decembris mensibus vacare contigerit, dummodo illa dispositioni apostolicae, per modos reservationum in eisdem Eugenii litteris expressarum generaliter reservata non sint, etiam si per similes alios modos reservata fuerint, plene et libere ac sine impedimento vel contradictione quacumque, auctoritate sua ordinaria disponere valeant, perinde ac si nullae ab eadem sede vel legatis ejus expectativae gratiae speciales vel aliae similes reservationes, et de sic reservatis conferendis mandata, uniones quoque et annexiones, incorporationes, suppressiones, appropriationes, praerogativae, antelationes, declarationes aliaeque ad vacatura beneficia quomodolibet concessae litterae, quae ipsis quomodolibet impedire valerent et quae in februarii, et aliis quinque alternatis mensibus supradictis, quibusvis in eis derogatoriis contentis clausulis non obstantibus, locum sibi nullatenus vendicare volumus pro tempore quomodolibet emanassent. Et quia certiores facti sumus, quod iidem collatores, post emanationem litterarum Eugenii praedecessoris, nostri, earum vigore suis collatoribus in eisdem februarii et aliis alternatis mensibus bona fide usi fuerunt, nos ad litium, quae exinde inter provisos ab eis et quosvis alios subortae sunt vel de coetero suboriri possent, succedendum anfractus, volumus omnes et singulos per ordinarios supradictos in eisdem februarii et

aliis alternatis mensibus de dictis canonicatibus, praebendis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, alias rite factas collationes et provisiones aut ad illa praesentationes vel electiones seu alias dispositiones quascumque, et quaelibet inde secuta, dummodo illa per modos superius exceptos generaliter dispositioni apostolicae reservata non fuerint, ita ratas et firmas remanere debere, ut earum vigore canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum officiorum ac aliorum beneficiorum hujusmodi possessores, contra quos etiam lites inchoatae sint, dummodo ad conclusionem in causa exclusive processum non existeret, super eisdem canonicatibus, praebendis, dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis de caetero per quemcumque etiam quarumvis apostolicarum commissionum obtentu molestari non possint; quas nihilominus omnes et singulas collationes, provisiones, praesentationes, electiones et alias dispositiones, nos si et in quantum opus sit, eorumdem canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum qualitates et veros valores annuos pro expressis habentes, ratificamus, revalidamus et approbamus ac plenum robur obtinere decernimus, necnon omnes et singulas lites hujusmodi coram quibuscumque judicibus seu auditoribus et ex quibuscumque commissionibus pendeant, illarum status pro expressis habentes et eas harum serie ad nos advocantes motu et auctoritate ac scientia praedictis penitus exstinguimus, necnon adversariis eorumdem perpetuum silentium imponimus per praesentes. Et insuper pariformiter placet nobis et de caetero intendimus electiones ad cathedralem ecclesiam ac monasteria et majorem in dicta cathedrali ecclesia post pontificalem, necnon principales in collegiatis ecclesiis dignitates, ad quas personae consueverunt per electionem assumi, per tempus et tempora a jure statuta exspectare illasque approbare et confirmare, vel infirmare, prout justitia et equitas suadebunt, nisi si forsan etiam cathedrales per translationem, aut monasteria et dignitates ipsae per promotionem ad aliorum monasteriorum regimina aut assecutionem aliarum dignitatum seu beneficiorum ecclesiasticorum auctoritate apostolica faciendum vacarent, aut illi, et modis reservationum praedictarum alias reservata forent, seu ex aliqua alia rationabili aut evidenti in litteris apostolicis exprimenda nobis et sedi praefatae aliter visum fuerit expedire, volentes quod confirmati seu provisi per sedem apostolicam ordinariis praestent debita ju-

ramenta et alia ad quae de jure et consuetudine tenentur. Volumus insuper, quod nulli canonicatus, praebendae, dignitates, personatus, officia aut alia beneficia ecclesiastica civitatis et dioecesis praedictarum, cujuscumque qualitatis fuerint, quae saltem duas marchas argenti secundum communem existimationem non valeant annuatim, sub quibusvis expectativis gratiis quibuscumque personis per sedem praedictam vel ejus legatos sub quavis verborum forma pro tempore concessis, quomodolibet comprehendantur. Nec possunt praetextu gratiarum hujusmodi acceptationes et provisiones per quemquam fieri de eisdem, sed ordinarii seu illi ad quos illorum spectat collatio, provisio seu quaevis alia dispositio, libere de illis disponere valeant et in quocumque mense vacaverint, decernentes quod praesentibus nostris concessioni, statuto, ordinationi, voluntati, decreto et litteris per quascumque alias constitutiones, regulas cancellariae aut litteras apostolicas quorumcumque tenorum et quascumque in se derogatorias clausulas continentes, etiam eisdem praesentibus cum illarum de verbo ad verbum insertione specifice et expresse derogantes, non derogetur nec quomodolibet derogatum censeatur, nisi tunc demum romanus pontifiex per trinas litteras praesentium seriem continentes eisdem collatoribus significandum duxerit suae mentis esse pro ea vice dumtaxat concessioni, statuto, ordinationi et declarationi hujusmodi derogare, necnon extunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis atque nostris, etiam si de illis de verbo ad verbum mentio facienda esset, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum concessionis, statuti, ordinationis, ratificationis, revalidationis, approbationis, decreti, exstinctionis, impositionis, intentionis, constitutionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctam Mariam majorem, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, tertio decimo kal. februarii, pontificatus nostri anno primo.

Ms. de la bibl. royale, n° 10898-10952.

XXXIII.

RECORD RENDU ALLE REQUESTE DE MONSIEUR DE LIÉGE, LOUYS DE BORBON,
9 JANVIER 1458 [1].

» par leur conseilz gouvernerons tout le pays deubtement. » Et touchant les procureurs, de ce nous rapportons alleditte paix de Tongre et aux autre paix faites et par espécial, aux xie, xiie xiiie, xiiiie, xve, xvie, xviie, xviiie, xixe, xxe, xxie, xxiie et xxiiie articles delleditte paix de Tongres, contenant iceux articles ces semblans parleirs [1] : « Item, est accordé sur le réformation des » cours spirituelz, pour eskiver le vexation et travail du comun peuple, » et pour eaux warder de domaiges, les points qui s'ensuient : Premire- » ment, que monsieur de Liége, li seigneur prévost et autres archidiakes » soyent contens de nombre des procureurs de leurs offices, assavoir, mons^{r} » de Liége, de quinze procureurs, et chacun desdits prévost et archidiak » d'ung procureur, ainsi et en la forme qu'il est contenu en le réformation » des courts de l'official de Liége, des prévost et archidiakes faite par bonne » mémoire jadit révérend père en Dieu, monsieur Adulphe delle Marche, » jadit évesque de Liége. Item, que ledit procureurs, anchois qu'ils soieut » admis à l'office de procuration, jurent solempnement sur sains, que leur- » dit office ilz feront bin et loyalment, et que sans cause ou raison n'appel- » leront en justice ou traveilleront nulz subgetz delle cité, pays, ou diocèse » de Liége. Et avec ce, jureront le sériment contenu en registre desdites » courts, et lequel sériment deverat estre fait en plaine court en présence » des juges. Item, que alle office delle procuration des offices devantdites, » ons ne admetterat fours que honnestes, discrètes et feables personnes, » et se nulle en y at qui ne soyent telles personnes, que tantoist sains dilay » ilz soyent oystez de ladite office, sains jamais à ravoir. Item, que s'il est » plus de procureurs de ladite office que le nombre desseuredit, que celi » sorplus soit oisteit sains nul dilay, et que nulz procureurs d'office ne puisse » avoir ung sub-procureur dessouz ly. Item, pour obvier aux malices desdits » procureurs, et affin que ly excès, ainsi que fame at alleit allencontre » d'aucuns d'eaux, ne soyent point concelleis ne les bonnes gens traveilliez, » ains le sceu de leur juge ordinaire, anchois que lesdits procureurs oizent » citer quelconques personnes sur son excès, que lidit excès soit mis et re- » gistreit en registre desdits juges. Item, que nulz procureurs d'office ne » soit sy hardy de envoyer citation sur excès, à nulle personne quelconque, » se ladite citation ne fait expresse mention des excès que tels gens poroient

[1] Cfr. Louvrex, tom. II, p. 19, où ces articles portent les n°s 18-34.

» avoir fait, afin que les partyes aussi citées puissent avoir conseil et délibé-
» ration de respondre, sans eaux parjurer, et de procéder avant en eaux
» deffendant, et s'ansy ne le font avant qu'ilz soyent citeis, que les procu-
» reurs soyent tenus d'eaux rendre leurs dispens. Item, que au plus brieff
» et sans longe dilation les causes desdits procureurs d'offices soyent termi-
» nées, et si lidis procureurs d'office ne pruevent clairement leur intention,
» que sans nul remède ilz soyent condamnez contre les partyes d'eaux ren-
» dre leurs despens. Item, supposeit que lidis procureurs citent par les ma-
» nires desseurescriptes, si est encor accordeit que les partyes, citées sains
» prolongement, fraude ou dilation, soient au jour delle citation expédiées
» et délivrées; et se oultre ledit jour par le conseil [1] desdits procureurs qui
» ses articles n'aroit point appareilliez, les convègne targer ou demorer, que
» ce soit aux despens dudit procureur, et que des despens à payer, ledit
» procureur soit deskéus [2] sains nul remède. Item, comme aucuns procu-
» reurs desdits offices soyent griefvement [3] diffameis d'avoir soldier, manne-
» cheurs et bourleunt, qui les partyes allencontre d'eaux citées, quant ilz
» vinent à leur jour, travilhent, tant en corps comme en désordinés extor-
» sions d'argent, est accordé que, sceu la vérité desdites choeses par leur
» juge compétent, sains nul délay, que les coupables soyent tellement cor-
» régiés, qu'il tourne à toutte personne exemple, et oultre ce, qu'ilz soyent
» de leurdite office priveis perpétuellement. Item, que du salair desdits pro-
» cureurs d'office et de quelconques autres, les procureurs soient contens et
» ne soient si hardis de plus prendre pour leur salaire que taxe qui est mo-
» dérée et taxée en ladite réformation de bonne mémoire le jadit monsieur
» Adulphe delle Marche, assavoir pour chacune liwette [4] ung birman, et
» les autres labeurs selon le quantité des causes, et alle ordonnance et arbi-
» traige de leur juge compétent selon ladite modération. Item, que sem-
» blablement soit observeit, tant aux sentenchiers comme aux articuleurs,
» notaire, auditeurs et appariteurs desdittes courts. Item, affin que les bon-
» nes gens qui plaidoier voront en aucune desdites courts, soyent par leurs
» procureurs raisonablement traitiées, et qu'ilz soyent plus obligés de loyal-
» ment servir les parties, pour lesquelles ilz seront procureurs, si est accordé

[1] Louvrex, *coulpe.*

[2] Idem, *destrains.*

[3] Louvrex, *aucunement.*

[4] Idem, *chacun lieu ung birmanne.*

» que nul ne soit d'ors en avant reçue à procureur en nule desdites courts, » s'il n'est suffisament examinez, qu'il soit ydoine, et jure solempnement » sur sains, que bin et loyallement et au plustost qu'il porra, il laburrat en son » office, affin que les partyes desquelz ilz seront procureurs, puissent avoir » bonne et brieff expédition, et ne quierront en nulle manire ocquison de » prolongeir, pour fraude ou malengin, les causes de leurs partyes, laquelle » choese se ce faisoient, ilz deveront rendre aux partyes les fraix de tel pro- » longement sans remède, et faire avant au décret de juge. Item, comme il » soit expédient pour le utillité des habitans delle cité, pays et diocèse de » Liége, et accordant à raison, équité et justice, que les causes par espécial » qui point ne montent à grande somme soient menées, déduites, déclarées » et déterminées au plus brieff que ons puet bonnement, et que les partyes » ne soyent nient travaillées par longues dilations et excessives despens, an- » chois les soit fait brève et hastive expédition de justice, est accordé que » des causes touchantes à quelconques personnes, qui plaidier voront en le » court de l'official de Liége, dessoux ou jusques alle somme de xxx lib., » comon payement de Liége, ons deverat procéder et procèderat par une sim- » ple et courte demande, sains multiplication deseur escripts [1], exceptions, » positions, interrogations ou articles, mais au plus brieff que ons porat, » oyuwe l'intention du demandeur et le responsion de celi qui sera trait en » cause; et s'il est nécessité de tesmoings à oyr, de brieffment, sains longue » escripture examiner, et oultre ce, les parties faire bonne, brieff et loyalle » expédition. Et se par le notaire ou procureur delleditte court en astoit » fait le contraire, ou d'eaux deux cil ou ceaulx qui contre celi acort aroient » escript, se notaire astoit, ou procureur, si ce astoit de son office, il de- » veroit rendre alledite partye, qui ansi seroit détriié et bléchié par loing » procès et inutilles escriptures ou procuration, ses fraix, et oultre ce, » estre corrigié alle arbitrage de juge, tellement que ung autre y prendisse » exemple. »

Touttes lesquelles paix faites, dont dessus est faite mention, nous sauvons et wardons par loy, hors desquelles pour advertissement de leur contenu et pour satisfaction des points et articles oultredonnés par lesdits maistres et conseil, au nom de ladite cité, ce que nous en sauvons et wardons, avons extrait

[1] Louvrex : *multiplication d'escriptures.*

et par mots exprès, comme ilz gissent par escript, ce que dessus est contenut et déclaré, voir si avant que en si brieff temps, que depuis que cedit recort nous fut requis, avons eu terme et espauce, et ossi selon noz petits sens et entendemens, avons pu recueillir et mis l'un l'autre à mémoire; protestant es par exprès, tant pour nous que pour nous successeurs en office d'eschevinage, que se en temps future, nous revenoient à mémoire ou à clarté aucuns points contenus ensdites paix faites, concernans ou touchans les points et articles susdits, desquels lesdits maistres et conseil en nom de ladite cité, nous ont demandé recort plus avant que ceux déclareis, qui point ne fuissent déclareis en ces présentes, que deleis iceux points voulons demourer et demourons, pour valloir au proffit de ce présent advertissement, si avant que valloir doyent, et que nous les sauvons et wardons, sains pour le négligence ou iguorance d'iceux non avoir mis par escript en ce présent advertissement, nous povoir ne devoir préjudicier ou aucunement touchier ne estre reprochiés à noz sérimens et honneurs, ors ne le temps future. Et tout semblaement se autres chartres, paix faites, régimens, status, ordonnances ou autres lettres, exploit ou manymens, servans à ladite cité, bonnes villes et pays susdit, fuissent retrovés en aucun temps, et nous apparuissent servans à ces matières, comme aucunement lesdits maistres nous ayent donneit à cognoistre, qu'ilz en doyent avoir aucunes, lesquelles nous voroient communiker pour bon advertissement, si avant que nous icelles sauverions et warderions, sauvons et wardons par loy, et qui point ne fuissent aucunement recognus, déclarées ou expressées en ce présent advertissement, nous voulons deleis demorer et y demorons plainement, et les volons et voulons, deiz maintenant, pour adoncques tenir et réputeir de otteile force, valleur et vertu, comme si elles fuissent par exprès contenues, déclarées et expressées en ces présentes, lequel advertissement ainsy par nous rendu que dit est pardessus, sauff adès en tout la beninge correction, interprétation, attempérance et émidrement de notredit très-redouté seigneur, de son vénérable capitle et des membres et estas de ces pays de Liége et de Looz, comme noz souverains, et de part qui touttes lesdites paix faites que nous sauvons et wardons ont estez faites, ordinées, construites, statuées et instablies : Stas Chabot, seig^r d'Omesecz, souverain mayeur de Liége, alle requeste des maistres et dedit Willeaume Deschamps, manbor delle cité, devant nomeis, après ce qu'il oet esteit par nous fourportez et leyt tout hault et publement, tout ansy que ci-devant est escript, mist en

nostre warde et rettenance, et paiarent lesdits maistres le warde. Ce fut fait et fourporteit en notre plain siége, en la salle saint Michiel, sur le Destroit à Liége, en présence de vénérables seigneurs, monsieur Wanck [1] de Coerswareme, archidiak d'Andenne [2] en l'église de Liége et grand scelleur, maistre Johan de Stembert, docteur en droit et en loys, canone et official de Liége, Johan Faber, mambour de nostredit très-redouté seigneur et dudit vénérable capitle de Liége, des maistres et grand nombre du conseil et plussieurs autres borgois de laditte cité. Et en témoignage de vérité, si avons-nous le mayeur de Liége desseur nomeis, et nous Libert Textor, bailly dellecourt de Juppille, Johan de Coir, seig^r de Rameyoulle, Gérard de Seraing, seigneur à Fraipont, pannetier-héritable à monsieur de Liége, Johan Damesart, Jacquemien de Lonchiens, Johan delle Falloize, Jacques de Morealmés, seig^r de Landeillies, bailly de Thuyn, Thiry de Bastoingne, escuyer, seig^r de Wérines, Johan de Souey, bailli de Condroz, Johan Persant de Warnant, Alexandre Bérart, secrétaire à notredit très-redouté seig^r, Amel de Velroux, maistre jadit d'icelle cité, et Thilman Waldoreal ossy, maistre jadit d'icelle cité, tous ad ce jour, eschevins de Liége, fait appendre à ces présentes noz propres scelz, en signe de vérité, sur l'an de grâce delle Nativité Nostre-Seigneur Jhésu-Christ MIIII^c et LVIII, de mois de juin le ixe jour.

Archives de la province de Liége, registre du grand greffe des échevins, n° 261, f° 268 verso. Une copie plus ancienne se trouve dans le registre n° 250, f° 182.

XXXV.

LETTRES DE NEUTRALITÉ ET PROTECTION ÉMANÉES DE CHARLES, SEPTIÈME ROI DE FRANCE, EN FAVEUR DE LA CITÉ ET PAYS DE LIÉGE ET COMTÉ DE LOOZ, 17 AVRIL 1460, APRÈS PAQUES [3].

—

Charle, par la grâce de Dieu roy de France, sçavoir faisons à tous présens et futurs, qu'à la supplication et requeste de noz très-chiers, bons et anciens

[1] Louvrex : *Wauthier*.
[2] Idem, *d'Ardenne*.
[3] Voyez ci-dessus p. 12 et 13.

amis, les maistres, jurez, conseil et université de la cité, franchises et banlieu de Liége, que sur ce nous ont faict supplier et requérir, et ayans en mémoire le bon vouloir qu'ils et le peuple dudit pays ont heu de tout temps et ont encor à nous et à la couronne de France, désirons les garder et préserver de vexations indues. Nous, pour ces causes, considérations et autres, justes et raisonnables, qui ad ce nous ont meu et meuvent, et par l'advis et délibération des gens de nostre conseil, avons ladite cité, ensemble lesdits maistres, jurez et conseil de Liége et université d'icelle cité, franchieses et banlieu de Liége, et tous leurs bourgeois, et aussi des bonnes villes et autres desdits pays de Liége et de Looz, qui vouldront et requireront estre compris, et dont lesdits maistres, jurez et conseil de Liége seront tenus nous certiffier par leurs lettres, dans la feste St-Remy prochain, prins, mis et recueillez, prendons, mettons et recepvons par ces présentes et chascun d'eulx, ens et soub nostre garde et protection, et leur avons ordonné et député, ordonnons et députons par cesdites présentes pour gardiens nos bailhis de Vermandois et de Vitry, et leurs lieutenans présens et advenir, pour les garder et deffendre de tous ceulx qui, induement ou de faict, les vouldroyent molester, travaillier et opprimer en aulcune manière en leurs libertés, franchieses, priviléges, régimens, paix faictes, anciens usaiges et en ce que loy leur sauve et garde et peut sauver et garder, et icelles demeurantes à ladite cité et aux bonnes villes et autres desdits pays et à chascun, ainsi qu'il apartient, en leurs plaines forces et vertus et sans quelque servitude. Si donnons en mandement à nosdits bailhis de Vermandois et Vitry ou à leurs lieutenans présens et advenir, et à chascun d'eulx, si comme à luy apartiendrat, qu'en faisant lesdits maistres, jurez, conseil et université desdites cité, franchise et banlieu de Liége, ensemble tous leurs bourgeois et ceux des bonnes villes desdits pays de Liége et de Looz, de nostredite garde jouir et user, ils les gardent et deffendent ou les facent garder et deffendre, de parte nous, de touttes injures, violences, molestations et oppressions indues, allencontre de tous ceux qui induement ou de faict leurs vouldroyent donner trouble ou empeschement en leursdits priviléges, libertés, franchieses, régiment, paix faicte, anciens usaiges, et ce que loy leur sauve et garde ou leur peult sauver et garder, et icelles demeurantes en leurs plaines forces et vertus et sans servitude quelconque. Et si aulcune choese estoit faicte ou contraire, si la réparent et remettent ou facent réparer ou remettre sans dilaye à premier estat et deu, et ceste nostre présente garde si-

gniffient et publient, ou facent signiffier ou publier ès lieux, et ainsi qu'il appartiendrat. Et parce que de cesdites présentes on pouldrat avoir affaire en plussieurs lieux, nous voulons qu'au vidimus d'icelles, faictes soub le seel royal, foyd soit adjoustée comme à l'originel. En tesmoin de ce, nous avons faict mettre nostre seel à cesdites présentes. Donné au Rouche-Trancheloon, en Touraine, le xvij^e jour d'apvril, l'an de grâce mille quattres cens soissante et de nostre règne le xxviiie, après Pasques. Ainsi signé à costé droict sur le repli en parchemin : *Par le roy et son conseil.* De la Soere. — Et à costé gauche estoit sur le mesme repli escrit : *Visa* CA : Et estoit appendu avec cordons rouges et bleu le seel royale dudit Charle en cire verde [1].

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, f° 209.

XXXVI.

COPIA CESSUS SEU INTERDICTI DOMINI LUDOVICI DE BORBONIO, ELECTI LEODIENSIS, DE DIE 29 OCTOBRIS 1461 [2].

—

Ludovicus de Bourbon, divina et apostolica gratia disponente, electus confirmatus Leodiensis, omnibus et singulis presbyteris, clericis, notariis et tabellionibus publicis nobis subditis civitatis nostrae et dioecesis Leodiensis salutem. Vetustae patrum reserant probatissimae sanctiones justum esse, ut qui divina contemnunt mandata et inobedientes paternis existunt jussionibus, severioribus corrigantur vindictis, quatenus caeteri talia committere timeant et omnes gaudeant fraterna concordia, et cuncti sumant severitatis atque honestatis exemplum. Docuit autem in homeliis sanctus papa Gregorius, doctor ecclesiae, perpetratas in Deum offensas graviter venire puniendas, sic dicens : « Si is qui praelatus est, Dominico debitori culpas impune dimittit, non mediocriter profecto offendit, qui debita coelestis regis et domini sua praesumptione resolvit. Offensam enim Domini Helyas precibus obtinuit vindicari, dum ignis de coelo descendit et duos quinquagenarios illico consumpsit, et exulatus Silverius papa ecclesiae sanctae injuriam vindicavit in

[1] Note de Vandenberch : *Scripsi 27 martii 1636 ex MS. D. Amandi Gelsely.*

[2] Cfr. supra, p. 13 et seqq.

personam Vigilii conspiratoris, sic decernens: « Habeto itaque cum iis qui tibi consentiunt plenam damnationis sententiam Sancti Spiritus judicio, etc. » Tanta loquimur condolenter in amaritudine cordis super illatis ab anno citra damnabiliter afflictionibus clero nostro adversus nostram auctoritatem et ecclesiasticam curiam et jurisdictionem, plerisque secularibus ministris, communitatibus et personis suadente spiritu maligno, excitatis cum suis fautoribus et complicibus, subditis tamen nostris in spiritualibus et temporalibus immediato et plenissimo jure. Instante siquidem lamentabiliter causarum criminalium nostrae specialis jurisdictionis promotore sive fisco, suscepimus a multitudine hominum fidedigna, informationesque lucidae docuerunt nos, et evidentia manifesta patratorum scelerum nulla tergiversatione celanda nos instruxit, quam fera rabies et saeva ferocitas palam in nostra civitate Leodiensi nec non in villis nostris et locis, quibus scilicet de Tongris, Sancto Trudone, Loz-castro, Hasselt, Herck, Bilse, Beringhe, Eycke, Brede et Stochem, adjurandaque turbatio nostrae spiritualis curiae ministros et officiantes viros ecclesiasticos, sacerdotes, clericos, tonsuratos, conjugatos et non conjugatos, proh dolor! invaserit, ita ut quibusdam dictorum officiantium et ministrorum, caeterorumque clericorum iniquorum hujusmodi satellitum manibus sacrilegis violenter tractatorum vapulatis et fere oculis violenter ereptis, injuriis enormibus palam afflictis, etiam in fluvio projectis et quasi submersis, aliis autem plerisque per dictarum villarum incolas, secum incedentibus burgimagistris et juratis villarum earumdem, violenter compulsis ad suam redemptionem et ad solvendum graves pecuniarum summas; effractis etiam vi publica pariter et armata suis domibus, scriniis, cameris, caesis arboribus, piscium et aquarum officinis, columbariisque demolitis penitus et effusis. Insuper ipsi damnabiles effractores ecclesias agressi sunt dedicatas, fregerunt scrinia, armariales et sacra repositoria, et exinde violenter, sacrilege et furtive, titulos, jura, litteras, privilegia, cartas, dotationes, etiam bullas apostolicas, rescripta, processus, mandata, aliaque munimenta apostolica et registra, ut inimici capitales surripuerunt et asportarunt, et quod longe deterius est, in via publica ea igne combusserunt et consumpserunt, ecclesias desolando pro viribus, et operas exercendo damnabiles, quas infideles et hostes crucis et fidei solent crudeliter exercere. Rursum ii seditiosi invasores ludificare et deridere conantes ecclesiasticam jurisdictionem, confinxerunt sibi ex suis complicibus sibi quosdam similes damnatos sacrilegos, qui signa tenerent, loca

et nomina officiantium in ipsa curia spirituali, illusorie puta, promotores, officialem, auditores, sententiarios, sigilliferos et hujusmodi qui sedebant et exercere se dicebant. Imo nonnulli ex eis in foro publico Tongrensi, ad majorem ecclesiasticae jurisdictionis vilipensionem, consedentes, quamdam mulierculam eorum derisorio judicio de incontinentia sive adulterio accusatam, justa dando condemnarunt de facto et publicae columnae alligarunt, causam super intitulando ac rursum in stagnum vicinum et fetosum publice projiciendo, videntibus et arridentibus eis rectoribus et communi populo dicti oppidi. Praeterea hujusmodi detractores auctoritatis ecclesiasticae aliquos curatos sacerdotes compulerunt violenter sacramenta excommunicatis ministrare in ecclesia, et excommunicatos denuntiare palam licet mendose absolutos, et inhibuerunt curatis et ministris rite excommunicatos amodo promulgari, aut spiritualis curiae mandata executori, comminantes eos occidere, si aliter agant; ita ut ab octo citra mensibus suffocata sit et penitus extincta ecclesiastica jurisdictio dictae curiae spiritualis. Ipsi etiam seditiosi conspiratores aliquos dictae spiritualis curiae in suis domibus resistentes, obsederunt cum bellicis armis et machinis, domos suas evellere funditus satagentes, nisi mediantibus pecuniis sua corpora et loca redemissent, prout violenter compulsi id fecerunt. Verum ut praemeditata conspiratio eorumdem ecclesiae Dei adversantium suum iniquum eversionis dictae curiae spiritualis et suffocationis ejusdem sortiretur perniciosum effectum, damnata simul communicatione consiliati sunt et convenerunt in unum adversus dominum et adversus proprios ejus, suae iniquitatis confoederationes manifesta declaratione propalantes, scilicet burgimagistri communitatesque villarum de Tongris, Sancto Trudone, Loz-castro, Hasselt, Herck, Eyck, Brede, Beringhen, Bilze et Stochem, caeterique regimen tenentes, animo constanti [1] villarum earumdem et simul unanimi conjuratione et promissione jurata decreverunt resistere officiariis dictae curiae spiritualis intus et extra dictam patriam Leodiensem officiantibus, non obstantibus quibuscumque suorum majorum praeceptis aut processibus, eventibus vel judicibus quibuscumque futuris, etiam usque ad mortem inclusive. Et in hac perversa obstinatione manere colligati simul absque separatione in futuris, et omnes suas facultates exponere contra eos redarguentes, iniqua et perversa conjuratione consiliati sunt,

[1] Alias : *anno instanti.*

et litteras publicas exinde confici voluerunt. Quia siquidem haec machinatio adversa catholicae veritati damnabiliter in suum praelatum ac dominum naturalem conspirans, laesaeque majestatis crimen sapiens, et ut ipsi dictarum villarum incolae dictae conspirationis factores auctoritatem sibi procurarent ampliorem ad Leodiensis civitatis nostrae majores rectores, ut sibi faverent et assisterent, accesserunt qui frivolas dictorum conspiratorum prolocutiones conratas habentes et usurpantes sibi vetitum forum in Christi famulos ecclesiasticos viros et spiritualis curiae nostrae ministros jurisdictionem usurparunt, ita ut decretis informationibus futuris et taliter qualiter per laïcos judices attentatos omni licet nullitate infectis, per ipsos burgimagistros, imo per suos commissos laïcos dictae ecclesiae ministris infestos et exosos factis, quibus tamen nulla fides praestari potest, spretisque veri judicis et pastoris longe praevalentibus delegatis, coactis testibus ecclesiasticis necnon laïcis, per vias obliquas et prohibitas deponere ad placitum eorum inductis. Quibus tamen mediantibus, licet nulliter et de facto, et contra leges divinas et humanas, ipsi Leodienses burgimagistri et rectores viros ecclesiasticos et officiantes ausu temerario et sacrilego judicare praesumpserunt, et ab eisdem extorquere plures pecuniarum summas grandes, quas, veluti Christi crucifixi vestes, inter se dividere et portiones usibus profanis triginta duorum operariorum seu negotiatorum Leodiensium applicare ausi sunt. In manifestam offensam et vilipendium ecclesiae clericalis, ordinis et curiae spiritualis, et ad scandalum et diffamationes ampliores ecclesiasticorum eorumdem proclamatione publica criminosis praestari solita, eosdem fecerunt evocari et per civitatem publicari, sacrilegium committendo et censuras ecclesiae notorie incurrendo. Insuper suo profano judicio dicti burgimagistri suique consortes dictae nostrae curiae spiritualis officiarios suis et aliis futuris officiis perpetuo privarunt, voce praeconia palam per civitatem publicata, licet injuriose, sacrilege, nulliter et de facto contra juris ordinem, justitiam et rationem; ita ut nullus episcopalis dignitatis officia audeat exercere, et nuper dictae civitatis Leodiensis quidam magistri et jurati non erubuerunt, multiplicatis comminationibus, inhibitionibus et jacturis, impedire parrochialem presbyterum Sancti Michaëlis, in civitate eadem mandatum ecclesiasticum sibi directum executioni mandare. Et quoniam per dicti curati substitutum ipsa executio facta fuit, ipse parrochialis minister assiduo laborat sui corporis excidio et periculo eminenti. Amplius certis mandatis inhibitorum a nobis

seu curia spirituali nostra rite decretis, emanatis et executis per unum ex nostrae dictae curiae officiariis clericum, burgimagistri seu eorum alter, adstante glomerosa multitudine juratorum et aliorum dictae nostrae civitatis, civium, non erubuit dictum clericum et procuratorem in venerabili orbeque terrarum famosa cathedrali Leodiensi ecclesia, sacrosanctae romanae ecclesiae filia devotissima, ejusque providentia nobis commissa, hora qua sacra celebrabantur mysteria, invadere manibus violentis in eum injectis, contractisque ab eodem crinibus pariter et evulsis. Nec iis contentus, sed amplius in Deum sanctamque ejus sponsam ecclesiam saevire satagens, dictas litteras inhibitorum judicialiter decretas sigilloque nostrae curiae communitas per eum dilaceratas, ori ipsius clerici procuratoris violenter imponens ac intrudens, verbis et facto, quantum in eo fuit, ut eas comederet seu inglutiret eumdem compellere visus est, in atroci et singultuose deferendo ecclesiae scandalo. Sunt tandem plurima crimina, excessus pariter et enormia scandala et delicta in clerum et ecclesiasticos viros perpetrata, sanctae ecclesiae regulas sacras, patrum traditiones et sanctiones canonicas, ecclesiasticae offendentia auctoritatis, et pacis turbatoria ac aedificantia ad gehennam, quae per dictos offensores palam publice et notorie dictis burgimagistris, rectoribus, consulibus, civibus, ministeriis et aliis quibuscumque judicibus et administrationem habentibus, in dicta nostra civitate et locis praedictis, videntibus, scientibus, permittentibus, facientibus, mandantibus, consentientibus, ratificantibus, ignorare non valentibus et in nullo contradicentibus perpetrata asseruntur, quae malefactores, sacrilegi, criminosi et alii praedicti saepius et instanter reparare et in debitum statum reponere requisiti expresse recusarunt, denegarunt et contempserunt in animarum suarum dispendium nostrorumque jurium ecclesiasticae jurisdictionis vilipendium, contemptum et gravamen non modicum, sicut ipse noster promotor sive fiscus exposuit enarrari prolixa. Super quibus alias loco et tempore congruis exponendis, protestatus est, requirens instanter et juxta officii nostri debitum super praemissis facinoribus, excessibus, criminibus, factionibus, delictis, oppressionibus, violentiis, insolentiis, injuriis, gravaminibus, turbationibus, contumeliis et molestiis, ad Dei gloriam, ecclesiae sanctae tuitionem et nostrae spiritualis curiae et jurium clerique nostri et officiantium conservationem, et confutationem perversorum, celeriter validis et oportunis remediis provideri. Verum etsi sceleratorum hujusmodi perniciosa flagitia particulari

detestatione vix enumerari valeant, tanta tamen et tam horrenda nequitia ecclesiam, Dei ministros, fideles ejusdem et clerum universum maculant, inficiunt et molestant assidue, neque cessant obstinatis cervicibus et indurata pernicie ad ulteriores supergredi turbationes nequissimas, ut ita omnium celeritate adversus ea providere necessitudo urgentissima nos compellat. Jurium itaque sacrorum remedia, dicto nostro promotore sive fisco frequentius instante, et arma salutaris reductionis ad populum istum diabolica fraude suggestum et deceptum amplecti compellimur, veluti pius pastor animarum tam scandalose populi indemnitatibus, juxta sanctorum patrum decreta, pro viribus salubriter occurrere cupientes. Idcirco nos Ludovicus electus confirmatus praefatus, dominus spiritualis et temporalis a summo omnium dispositore praefectus tantae plebi nostrae totius dioecesis injuriam, Dei et suae ecclesiae lugubresque afflictorum clamores validos, dictique promotoris sive fisci querelas tolerare amplius non valentes, habito prius maturo electorum virorum divini pariter et humani juris peritissimorum consilio, pietatis paternae semita primitus incedentes, attentis omnibus et singulis quae in hac parte attendi potuerunt et debuerunt, harum serie litterarum nostro solemni decreto, ut juris est, editarum, monemus primo, secundo et tertio, ac unica et perempta monitione et edicto solemni omnes et singulos hujus damnatae seditionis flagitiorum, scelerum, violentiarum, molestiarum et sacrilegiorum perpetratores, actores, factores, consentientes, complices et fautores, cujuscumque status, dignitatis aut praeeminentiae existant, etiam si fuerint civitatis nostrae Leodiensis, aut aliarum villarum et locorum supra nominatorum, communitates, universitates, burgimagistri, scabini, jurati, rectores, quocumque etiam nomine censeantur, aut particulares personae qualescumque simul pariter et seorsum et eorum quemlibet, prout universaliter eos tangere potest negotium instans, videlicet sub suspensionis et excommunicationis in singulos, necnon et interdicti in communitates et universitates poenis et censuris, quatenus infra decem et octo dierum spatium, quorum sex pro primo, sex pro secundo et sex pro tertio, ultimo ac peremptis termino et monitione canonica ejusdem praefigimus et pro omni dilatione assignamus post executionem praesentium reparent, emendent et indilate satisfaciant cum effectu hujusmodi damnata flagitia, violentias, molestias, laesiones, offensas, injurias ac perniciosa sacrilegia cum rerum oblatarum et damnorum restitutione celeri et debita, omnium sic perpetratorum praestita nobis ecclesiae nostraeque justitiae emenda ac reparatione,

condigna, cessentque ammodo nunc et in futurum penitus et omnino, ab hujusmodi perversis periculosisque seditionibus flagitiis et detestationibus, excessibus, criminibus et offensis, et nihilominus ipsi scabini, burgimagistri, rectores et communitates secularesque potestates suas in sacerdotes, clericos et curiae nostrae spiritualis officiarios executoresque, mandatorum ecclesiasticae jurisdictionis de facto garritas, sententias et ordinationes nulliter et de facto, quae potius illusiones abusive nominandae sunt, et quos in his scriptis nullitate infectas inefficaces et invalidas nulliusque effectus declaramus, ipsi etiam illas prout de facto eas denuntiarunt, reparando de facto revocent, cassent et annullent, seu cassas et nullas esse fateantur et recognoscant. Alioquin si quid in contrarium fecerint in hac nostra monitione praeceptorum, aut ultra debitum et lapsum praefati termini facere distulerint, in singulos suspensionis aut excommunicationis, in ipsam vero nostram Leodiensem civitatem necnon in praefatas villas, oppida et loca nostrae dioecesis, scilicet de Tongris, Sancto Trudone, Loz-castri, Hasselt, Herck, Bielze, Beringhe, Brede, et Stochem, interdicti generales sententias et censuras, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, profluxo termino supradicto in his scriptis, prout juris est, ferimus et promulgamus, injungentes, mandantes et praecipientes seu etiam intimantes, prout decet, omnibus et singulis ecclesiasticis et secularibus capitulis, conventibus, communitatibus et personis, cujuscumque status, dignitatis, auctoritatis et praeeminentiae fuerint, in civitate, villis et locis supradictis residentibus, constitutis et moraturis, prout ad eorum unumquemque spectare poterit hoc generale interdictum, ut a divinis officiis cessationes generales in civitate, villis et locis supradictis, sub poenis modoque et forma, sacris canonibus statutisque provincialibus et synodalibus expressis, et donec per nos aliter fuerit ordinatum, inviolabiliter et inconcusse teneri et observari, inhibentes sub anathematis et irregularitatis censuris atque poenis supradictis, omnibus et singulis sacerdotibus et ecclesiarum ministris, ne in locis praefatis interdictis aut praesentibus personis in nostro interdicto comprehensis, aut eorum altero, missas aut divina audeat officia celebrare. Illas insuper personas dictorum flagitiorum perpetratorum culpabiles, censuris ecclesiasticis ipso jure ligatas et evitandas volumus et decernimus a Christi fidelibus arctius evitari. Et quoniam ex verisimilibus causis, attentis notoriis excessibus praedictis, in dies, ut idem noster promotor sive fiscus asseruit, crescentibus, fama etiam publica hoc

testante, hujusmodi sententiae nostrae planum quoad executionem earumdem forte non possent sortiri effectum, praedictis excedentibus de facto, cum de jure non possint, resistentibus. Idcirco universis et singulis justitiariis, judicibus et officiariis nostris temporalibus praecipimus et mandamus, quatinus eisdem in executione dicti generalis interdicti et aliis in quibus poterunt suffragari praestent auxilium, consilium et favorem, toties quoties ipsi vel eorum aliquis fuerint requisiti vel requisitus, et contra infractores ejusdem interdicti omnibus viis et modis rationabilibus, ecclesiasticis mandatis parere et efficaciter obedire compellant in praemissis, suisque dependentiis et sequelis, omnes etiam quoscumque principes serenissimos reges et excelsos dominos magnificos principes, quos super hoc contigerit, pro ecclesiae sanctae Dei contemplatione et favore, et praecipue illustrissimum principem dominum et avunculum nostrum dominum Burgundiae, Brabantiae, etc., ducem, ut nobis et nostris commissis in hac ecclesia Dei assistentiam, auxilium et juvamen impendere dignentur obnixe deprecamur et postulamus instanter. Et nihilominus ut ipsum generale interdictum locum habeat efficacem et nullus valeat illud ignorare, volumus et ordinamus ejusdem intimationem et executionem fieri debere ad ecclesiarum valvas et januas civitatis et locorum praefatorum, aut saltem locorum insignium et villarum propinquarum, in quibus erit accessus facilis et securus. Executionem vero hujusmodi his modis et altero eorum factam auctorizamus in iis scriptis, tantique valoris esse decernimus ac si facta foret ad eorum loca, domicilia et personas. In quorum omnium fidem et testimonium, robur et firmitatem praemissorum, praesentes litteras exinde fieri nostrique sigilli majoris fecimus appensione communiri. Datum et actum in oppido Lovaniensi, in capella beatae Mariae Virginis, juxta nostram ecclesiam collegiatam Sancti Petri ejusdem oppidi, nostrae Leodiensis dioecesis, nobis inibi ad praemissa faciendum et decernendum, et jura reddendum ad hanc causam pro tribunali sedentibus, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, indictione nona, die vero jovis vicesima nona mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii, divina providentia papae secundi anno suo quarto.

Archives de la province de Liége, registre intitulé : PAIX ET LETTRES. 1405-1467.

XXXVII.

INSTRUCTIONES PRO DEPUTATIS, ITURIS AD DOMINUM NOSTRUM IN CAUSA INTERDICTI, 13 EXARATAE MENSE DECEMBRI 1461 [1].

—

In exordio, priusquam peroretur, exponant qualiter capitulum et secundariae ecclesiae recommendant se illustri suae dominationi cum ea qua decet humilitatis reverentia, et quod citius suam visitassent paternitatem, si fuisset in locis huic suae patriae propinquis seu vicinis, sperantes quod adhuc satis tempestive venerint pro illis obtinendis, pro quibus ad ipsum destinati sunt, considerata praesertim innatae suae bonitatis illustri clementia, quae teste Seneca, libro secundo de Beneficiis, naturaliter debet inesse principibus : « Magni, inquit, animi proprium est placidum esse tranquillumque, et injurias atque offensas superne despicere. Non enim regem inexorabilis ira decet, etc. » Hac itaque freti spe nobilis vestrae clementiae ponderata mandatorum ejusdem inclitissimae vestrae paternitatis arduitate, nec minus seriosa mente revolutis gravissimis periculis quae ex hujus rei progressu verisimiliter orirentur, nisi congruis illis remediis ac omnino necessariis occurratur, praesentem humilium vestrorum oratorum ambatiatam ad eamdem vestram dominationem surgere dignum ducunt, obsecrantes attentius in visceribus misericordiae Jesu Christi, quatenus sese reddat exorabilem et alta mente consideret ea quae nobis commissa sunt, eidem suae benignitatis aperire referreque mansuetudini ipsorum tam oportunam quam necessariam supplicationem admittere et paternis favoribus exaudire, etc.

In primis urget, benignissime pater ac princeps illustris, quod in hac re tam ardua, qualis est hujus interdicti generalis censura, et quae vix ab hominum communi memoria in hac civitate seu patria recolitur, fulminata tam impro-

[1] Johannes de Loz narrat (supra p. 13) quosdam fuisse deputatos ex parte ecclesiarum, qui una cum magistris civium pergerent ad Ludovicum Borbonium, Mechliniae residentem, ut interdicti relaxationem obtinerent. Quinam vero missi fuerint, liquet ex iis quae ad calcem hujus documenti leguntur.

vise, videlicet absque scitu vel consilio vestri capituli, contigisse tantis ecclesiae vestrae poterunt exinde nedum subesse jacturis, verum etiam per ipsam privarentur sibi debitis obsequiis, nec minus per haec populi devotio minuatur insoliti crescere formidentur errores et solita decrescant suffragia fidelium animarum, etc.

Quamplures insuper in tali censura, si rigoris prosecutio subsequatur, absque culpa propria puniantur. Quam propter suorum superiorum culpam aut excessus haec jura fieri disponant, ut talium videlicet pertinacia sive rebellio corrigatur; quando tamen alias videbitur posse fieri reductio salutaris, cedit pius princeps viam mansuetudinis amplectendo.

Quod si forsan objiciatur id fieri necesse tam pro conservatione jurisdictionis spiritualis quam etiam ecclesiasticae libertatis, quas evidenter liquet plurimum ex adversis facinoribus esse laesos, quibus ob hoc congruit debitis praesertim a jure statutis oportunis remediis obviari, ad quod nedum dominus ipse, sed et capitulum ipsum et ecclesiae reliquae, pro suarum manutentione libertatum laborare tenentur, et esto quod dominus taceret, ipsum ad id seriosius excitare.

Ad hoc cum humilitatis reverentia respondendo faciendum est quod ubi nullum possit aliunde suffragari remedium, tentatis omnibus prius quae modis congruis et aliis convenientibus mediis subditos valent ad viam reducere salutis, demum nisi resipiscant, praesul rigorem juris irreprehensibiliter amplectatur.

Quia tamen offerunt quamplura, sicuti plures obtulerunt, in diaetis patriae, publice similiter et private, se nullum impedimentum praestitisse neque velle quomodolibet interponere quominus jurisdictio spiritualis, etc. debitum sortiatur effectum, sed si quae fiant ad contrarium, illa, quantum in eis est, tollere et facientes obviare permittereque et operam ad hoc dare, ut ii qui reperientur jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam offendisse libertatem via juris aut legis debite corrigantur, et illatae congrua reparatio fiat offensae et patratores autoresque scelerum et non innoxii puniantur. In quo dicunt, veluti multis etiam videtur, veniunt rationabiliter audiendi.

Quibus effectui debito mancipatis cessaret iste rigor, culpa suos teneret actores, ut caeteris cederet in exemplum. Tentandum igitur si quomodolibet ad id valeat deveniri, cum non alias ad caeterorum sit saltem innocentum punitionem procedendum, nisi cum ex suorum culpa rectorum sive superiorum

recorrigibilium vel ad emendationem debitam non reducibilium nequeat alias esse provisum ut tunc, licet sine culpa, non tamen sine causa cum eis insontes etiam puniantur, ad quod ecclesiasticae censurae, praesertim quoad interdicti sententiam, fuerunt sanctorum patrum constitutionibus institutae, quarum exercitio dinoscitur ex tunc demum ad praelatos ecclesiasticos pertinere.

Moveant igitur et inclinent haec pietatis vestrae mansuetudinem, benigne pater et princeps illustris, clerique vestri potius et subditorum occurratur periculis et jacturis, quam offensarum rigorosam ultionem persequendo, ne tantis eos subjiciat incommodis a quibus non facile foret ipsos etiam multis ingeniis relevari, quando saltem alias oportunius, quam per hunc conceptum generalis interdicti rigorem, sicuti speratur, valebit salubriter provideri.

Ponderet interea prudens et inclyta vestra dominatio, cum aliis quorum placebit uti consilio salutari, quae et qualia facta sunt post dictarum patrationem offensarum, ex quibus sese vestrae civitatis scabini, consules et rectores excusare velle dicuntur, utpote vestrae paternitatis auctoritatem intervenisse vestramque personam illustrem fuisse praesentem, dum illi judicati per eos condemnatique fuisse feruntur contra juris dispositionem et ecclesiasticam libertatem, prout in ipsius vestrae paternitatis monitoriis litteris plenius est narratum, in quibus, ut aiunt, vestram ipsis nedum auctoritatem et praesentiam praestititis, verum etiam ea post factum, quod gravius sonet, tam facto quam aliis judiciis approbastis. In quibus nulla prorsus capitulo et ecclesiis vestris praelibatis culpa potest impingi, quae talibus nullatenus consenserunt, ac ideo sane providendum est ne praetextu sic actorum, qualiacumque sunt, tam gravibus, ut inferius etiam declaratur, contingat eos jacturis et incommodis subjacere. Protestantur tamen quod super haec non intendunt illustrem vestram paternitatem, quae sicut sperant scient qualiter iis responderi poterit, arroganter amplius quam ad eos seu alias caritative congruit, inculpare, sed prout haec communiter referuntur, illa deducunt pro sano super his avisamento habendo et majoribus scandalis evitandis.

Quoniam ex iis et aliis plerisque coloribus sive causis concipiunt se munire, quibus etiam freti ac appellationibus obstaculum recurrentes, noviter haec et alia plura dicuntur in appellatione hujusmodi narravisse quam asserunt sese persecutores, ea spe ducti qua datur eis, ut fertur a nonnullis intelligi, quod ipsos haec appellatio relevabit, quominus ad ea teneantur obnoxii, quae sunt in praetactae vestrae monitionis mandato latius declarata.

Quamobrem etiam insurgit nobis amplioris haesitationis occasio, licet namque causae per eos narratae forsitan omnino non reperirentur esse litterae, quia tamen apud aliquos tales atque relevantes esse reputantur sive censentur, ut asserunt, dubia talis appellatio plerosque concutit et inducit formidinem in praemissis, cum dicantur infra decennium appellasse, consideratis conditionibus in dicti vestri mandati serie comprehensi.

Quamvis igitur parati semper fuerint oratores vestri praelibati de praesentique sint una cum illustri vestra paternitate jurisdictionem atque libertatem ecclesiasticam defendere pro viribus et tueri, et apostolicis parere constitutionibus, praeter et absque eo quod intendant suis exemptionibus et privilegiis in aliquo derogare, sine laesione francisiarum civibus concessarum, videtur tamen eis quod, arduitate materiae praesentis attenta, pro multis etiam evitandis periculis atque scandalis, exinde nisi per maturam gravitatem occurratur verisimiliter eventuris, cum etiam jura pro gravi vitando scandalo molestant et a rigoris persecutione supersedeant, quam alias deceret effectui mancipari quod sint ipsi cives, priusquam ad ulteriora procedatur, super suis allegationibus et oblationibus audiendi, et ad id quod faciendum de jure videbitur bonis mediis et apertis rationibus inducendi, salvo semper praejudicio jurisdictionis vestrae spiritualis et ecclesiasticae libertatis quam pollicentur, et offerunt quantum in eis fuerit observare, et impedimenta si quae data sint in contrarium, efficaciter removere.

Ad hanc exhortationem reverendissimae vestrae paternitati faciendam similiter nec immerito nos inducit vitanda publicatio scandalorum, damnorum, laborum et expensarum, non sine magnis verisimiliter futuris periculis, multiplicata vicinorum derisio et aemulorum nostrorum subsannatio scandalosa, ut de ampliori spiritualis jurisdictionis detrimento futuro similiter taceamus, quam putamus sanius atque levius per alia rationabilia et oportuna remedia reparari posse, quam hunc conceptum ita repentine persequentes rigorem, quem magis expedit in extremo salvari, salvo semper judicio saniori.

Unde singulis iis cum qualitate temporis, conditione personarum et locorum dispositione paterni favoris oculo ponderatis cum ea qua decet humilitatis instantia petimus et seriosius obsecramus quatenus totius cleri vestri contemplatione pro tantis illi verisimiliter orituris scandalis, incommodis, periculis et jacturis, tantas futuras eliminando miserias, ipsum qui subnixum se semper in hac re reddidit et ostendit, paratus dum et prout necesse fuerit apostolicis

obedire constitutionibus oculo paternae pietatis intuendo ipsius indemnitati quam offensarum persecutioni tam rigorose sit amplius inclinata vestra reverenda paternitas et illustris dominatio, ac ad preces tam nostras quam deputatorum civitatis vestrae Leodiensis hic praesentium et ad hoc rogandum et obtinendum destinatorum, dignetur ad ipsam reverti civitatem visura et expertura quantam in conservatione dictae vestrae jurisdictionis spiritualis et ecclesiasticae libertatis ac tollendis hucusque datis impedimentis, libera quoque facienda correctione delinquentium, remoto quovis obstaculo, veluti promiserunt et polliciti sunt, diligentiam adhibebunt, per cujus medium se, prout speratur effici posse, mores emendentur, et ii qui deliquerunt et intulerunt offensas juxta sua demerita corrigantur rationabiliter, interdicti praelibati causa cessabit. Quod si secus attentatum fuerit, non minor remanebit apud vestram illustrem paternitatem auctoritas ac censurarum a jure sibi data potestas, et ut omnia tententur quae eidem vestrae paternitati subjectos dirigat ad salutem.

Si vero dominus noster ad redeundum huc nequeat inclinari, fiat ad extremum supplicatio seriosa, quatenus ad minus pro suprascriptis et aliis, etc., removendis seu vitandis periculis, scandalis, incommodis atque damnis tam nostris, etc., quam totius patriae, et ut illis oportuna provisione mature occurratur, dignetur ad certum tempus hoc suspendere mandatum, ut illo tempore pendente similiter laboretur per oportuna congruaque remedia de modo debito providenda super injuriis et offensis quae causae fuerunt fulminationis censurarum in dicti mandati serie contentarum, ad honorem et profectum salutarem tam ipsius domini nostri quam ecclesiae et ecclesiarum suarum ac omnium sibi et suae patriae subjectorum, etc.

Ex his prout censebitur expediens, domini deputati poterunt domino persuadere ad obtinendum votivum ab ipso responsum, addendo ea quae pro personarum et materiae qualitate necessaria videbuntur.

Si vero in praescriptis exponendis aut replicatis dominus opponat plures ad dicta multa sibi verbaliter quorum contrarium facta probarunt aut non sibi fuisse servata permissa, etc.

Ad haec vel similia quae principaliter concernunt illos quos dominus inculpabit, videtur expediens quod illi qui pro parte civitatis mittentur respondeant. Quos talis replica concernit qui scire poterunt qualiter respondebunt, ne forte postea dicatur quod nostri deputati plus aut minus in ea parte responderunt quam receperant in commissis.

Nec sic in praemissis persuasionibus mentio de timore furoris popularis non sine causa, ne sine eorum deputatis civitatis allegetur timor hujusmodi, detur forsan occasio qualiscumque furorem hujusmodi concitandi vel desuper incutiendi pavorem, quo terreatur clerus, si sentirent populares, quod ob illum valeant a proposito dimoveri, etc.

Ad partem tamen est hujusmodi timor aperiendus domino suisque consiliariis, atque metus exinde consurgere solitus plerumque et praesertim in talibus cadere poterit inconstanter, quum inchoato furore vel illius incusso timore nescitur qualem finem habebit, et ut per haec dominus ad condescendum votis capituli et ecclesiarum facilius inducatur.

Postremo sunt in secreto dicenda pericula, quae nobis ecclesiasticis praesertim imminent ex praemissis expressis attentis multis multorum comminationibus, verbis infinitis atque conatibus plurium qui saepe pertulerunt ea quae non expedit forsan calamo declarare, sed oportunius vocetinus recitentur, etc. Cum paupertas et indigentia consueverit ad opulentiorum anhelare facultates et aedes; ex his elici poterunt quae diactim hic et alibi a pluribus divulgantur.

Et ob hoc adjiciendum de modo qui pro tutamine corporum et bonorum tam ecclesiae quam personarum sit habendus sive tenendus in eventum in quem omnino, quod Deus avertat, oporteret amplecti rigorem, cujus praetextu non esset tutum fortasse multis in hoc remanere loco, et qualiter illis quo ad praemissa et beneficia sua ne dentur intrusi, etc., ac de modo ulterius procedendi possit utiliter esse provisum.

Missi fuerunt ex parte majoris ecclesiae dominus Johannes de Seranio, decanus, et magister Hubertus Biengnet, canonicus Leodiensis; ex parte ecclesiarum dominus Nicolaus Gheister, decanus Sancti Petri, magister Eustachius de Atrio, canonicus ibidem, et dominus Arnoldus de Baese, decanus Sancti Pauli. Hi recesserunt a Leodio, xiii decembris anno sexagesimo primo.

Archives de la province de Liége, registre intitulé : PAIX ET LETTRES, 1465—1467.

A.

INTERDICTI, DATAE DIE

...M [1].

...tionis seu

...ecia-

observatis legitime : tandem die datae praesentium infrascriptae, comparentibus et constitutis coram nobis in aula archiepiscopali dictae nostrae curiae Coloniensis, in qua jura reddi solent, hora primae audientiae nostrae causarum consueta ad jura reddendum et causas audiendum, pro tribunali sedentibus procuratoribus sive syndicis appellantium et eis adhaerentium praedictorum, de quorum procurationis sive syndicatus mandatis apud acta causae seu causarum hujusmodi legitimae constare comperitur, videlicet providis viris magistris Burchardo de Lippia, Petro de Alemaris et Wilhelmo Valentini, proprocuratoribus causarum dictae nostrae curiae juratis. Iidem syndici seu procuratores, syndicatus et procuratorio nominibus appellantium et eis adhaerentium jam dictorum, communiter et divisim, vivae vocis oraculo proposuerunt et dixerunt inter alia in effectu, qualiter dicti appellantes et adhaerentes ipsis non tenerent nec credunt se praetextu mandatorum poenalium praedictorum excommunicationis vinculo seu interdicti sententia quomodolibet ligatos. Attamen quia piarum mentium esset timere culpam, ubi culpa minime foret, sed pro suarum partium videlicet appellantium et eis adhaerentium praedictorum conscientiarum et status majori cautela, beneficium absolutionis ad cautelam et similiter relaxationem interdicti sive cessus divinorum quaerere decrevissent. Et pro tanto nobis humiliter supplicarunt, ut ipsis scilicet partibus suis sic impartiri eadem auctoritate metropolitica dignaremur; offerentes eosdem appellantes et adhaerentes paratos seque pro eisdem stare juri coram nobis super illis pro quibus excommunicati aut interdicti pro parte adversariorum de prehenderentur sive dicerentur, nostrisque et sanctae matris ecclesiae parere mandatis.

Unde nos officialis judex, pro tribunali sedens, mandatis et appellationibus in hujusmodi causis coram nobis hinc inde productis visis et consideratis, quodque de gravi praejudicio reverendi in Christo patris et domini electi confirmati Leodiensis et principis antefati, et de periculis partium appellantium allegatis et per testes alias desuper productos coram nobis deductis, ageretur, in causis hujusmodi mature agere et nemini praejudicium inferre nec rem grandem hujusmodi nostris humeris insolidis imponere volentes, tam ex commissione reverendissimi in Christo patris et domini nostri domini archiepiscopi Coloniensis, etc., quam per nos primo loco facta nonnullis ex venerabilibus et illustribus dominis canonicis majoris ecclesiae Coloniensis, ac venerabilibus et egregiis viris dominis in utroque jure doctoribus in numero

copioso congregatis, post casus facti in materia hujusmodi in praesentia illustrium et venerabilium dominorum praefatorum necnon advocatorum et procuratorum partium utrarumque......... [1], partibus et advocatis hujusmodi hinc inde auditis, deinde votis dominorum praedictorum singulariter singulis scrutatis temporum et rerum qualitate ac praemissis et aliis in jure considerandis attentis, considerantes hujusmodi petitionem fore consonam rationi, recepta primitus a praefatis Bernhardo, Petro et Wilhelmo, procuratoribus per eos nominibus appellantium et eis adhaerentium praedictorum in nostris manibus praestita et facta cautione supradicta, eosdem appellantes, videlicet burgimagistros, proconsules, consules, schultetos, scabinos, juratos, cives, oppidanos, incolas, communitatem et universitates civitatis Leodiensis et oppidorum Tongrensis, Sancti Trudonis, Hasselt, Looz-Castri, Beringen, Blisiae Eyck, Brede, Wustherk et Stockem, ac eis adhaerentes quoscumque de locis et villis aliis in et sub dictis mandatis quomodolibet comprehensis, a sententia excommunicationis hujusmodi, quatenus illa ligati fuerint, ad cautelam saltem duximus in personas dictorum procuratorum sive syndicorum suorum coram nobis constitutorum, et ita ut praemittitur, flexis genibus humiliter petentes, ac eosdem syndicos seu procuratores nominibus appellantium et adhaerentium eorumdem de consilio et assensu dominorum et jurisperitorum praefatorum usque ad decretum nostrum absolvenda ac interdictum ecclesiasticum et cessum divinorum supratactos similiter ad decretum hujusmodi relaxandum; sicque ad cautelam absolvimus, et ad decretum relaxamus in iis scriptis. Quos sic absolutos ac interdictum sive cessum hujusmodi sic relaxatum per vos et quemlibet unum haberi et teneri ac etiam publice nuntiari volumus et mandamus. Offerentes nos in praemissis ac in negotio principali partibus antefatis, justitiam Domino concedente ministrare expeditam paratos, receptis litteris sigillatis. Datum sub sigillo officialitatis nostrae majori, de nostro jussu praesentibus in testimonium praemissorum appenso, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, die sabbati decima nona mensis decembris, per me Gotfridum de Swolgen, notarium communem.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, intitulé: PAIX ET LETTRES, 1465 –1467.

[1] Locus vacuus in Ms.

XXXIX.

DE PROCURATORIBUS ET OFFICIALIBUS EPISCOPI LEODIENSIS, MENSE APRILI 1461 PROCLAMATIS ET CONDEMNATIS, ET DE TRANSLATA ANNO 1462 CURIA SPIRITUALI AD CIVITATEM TRAJECTENSEM.

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo de mense martii, circa principium ejusdem anni, sanctissimo domino nostro domino Pio papa secundo romanae et universali ecclesiae, ac illustrissimo domino Frederico romanorum imperatore sacro imperio, ac metuendissimo domino domino Ludovico de Bourbon, electo confirmato Leodiensi, ecclesiae Leodiensi praesidente, adhuc in aetate XXII annorum existente, insurrexit quaedam secta sive societas malorum ribaldorum [1] contra procuratores curiae Leodiensis et praesertim contra fiscales, et primo in oppido Hasselleusi, quorum numerus erat, ut famabatur, circiter XXXV. Item deinde in oppido Sancti Trudonis, ubi numerus erat circiter lxxx et ultra, et de post in oppido Tungrensi, quorum numerus ibidem erat circiter xl, et quasi omnes homicidae et malefactores, qui percusserunt et vulneraverunt omnes procuratores et notarios quos deprehendere potuerunt. Et accedentes ibidem domos inhabitationum eorumdem procuratorum, coeperunt omnes litteras tam officii quam alias quascumque etiam haereditates et contractus concernentes et igne combusserunt ac domos et lectos et utensilia aliquorum foraneorum prope et extra ipsa oppida commorantium propter exercitium officii eorum violenter fregerunt et devastarunt. Et quamplura alia non modica mala et enormia in praejudicium ecclesiasticae jurisdictionis fecerunt et perpetrarunt. Allegantes quod procuratores fiscales hujusmodi et ipsi foranei plures abusus et insolentias, incitantes et componentes subditos patriae, fecissent et perpetrassent. Tandem querela desuper per oppida praedicta coram domino Leodiensi et suo capitulo delata ac etiam coram communitate, dominus et capitulum ordinarunt quod abusus et excessus ipsorum deberent tolli et reformationes novae fieri, et nihilominus contra tales procuratores sic abutentes et exceden-

[1] Iidem qui dicuntur *dy Cluppelslagers*. Vid. supra, p. 9.

tes inquisitio generalis per burgimagistros et scabinos Leodienses deberet fieri, et secundum quod quis repertus fuerit culpabilis, secundum hoc corrigi deberet [1]. Et inter alios fuerunt accusati Jacobus Gorren, articulator; Hubertus Back [2], collector in Hasbania; Johannes de Juncis; Godofredus Bruyn; Johannes de Hoesden; Libertus de Atrio et Daniel Vander Meyen, procuratores fiscales, et quamplures alii. Et sic facta inquesta in praedictis tribus oppidis ac aliis locis et oppidis comitatus Lossensis super abusibus procuratorum, burgimagistri prima aprilis anno LXI redierunt Leodium. Et de post ultima aprilis, et prima, secunda et quarta maii, condemnarunt quamplures ad numerum xxii tam foraneorum quam procuratorum fiscalium et aliorum ad certas pecunias infra XL dies solvendas, ac officiis eorum perpetuo privarunt. Quas pecunias nisi infra xl dies exsolverent, tunc deberent a patria Leodiensi et comitatu Lossensi proscribi. Nomina vero proclamatorum et summae pecuniarum in quibus taxati et condemnati sunt, sequentur per ordinem in hunc modum.

Et primo Ludovicus Fabri, foraneus in oppido Tongrensi, ad ix^c^ florenos Rhenenses.

Item, Daniel Vander Meyen, fiscalis, ad iii^c^ Rhenenses.
Item, Johannes de Juncis, fiscalis, ad iii^c^ Rhenenses.
Item, Hubertus Back, fiscalis et collector, ad ii^m^ Rhenensium.
Item, Jacobus Gorren, articulator, ad viii^c^ Rhenenses.
Item, Johannes Cloestenen, ad iii^c^ Rhenenses.
Item, Johannes de Hoesden, fiscalis, ad iiii^c^ Rhenenses.
Item, Henricus Trekelz, foraneus in Los-castri, ad ii^c^ Rhenenses.
Item, Nicolaus Sonck, collector, ad iii^c^ Rhenensium.
Item, Daniel de Zelandia, collector, ad iii^c^ Rhenenses.
Item, Johannes de Eyck, fiscalis, ad vi^c^ Rhenenses.
Item, Walterus de Keyaert, foraneus in Eyck, ad vi^c^ Rhenenses.
Item, Bartholomaeus Scavartz, foraneus Archium, ad ii^c^ Rhenenses.
Item, Henricus Rotarii, foraneus in Beringen, ad v^c^ Rhenenses.
Item, Lambertus Scavartz, foraneus in Hasselt, ad ii^c^ Rhenenses.
Item, Johannes Godevoels, foraneus in Blisia, ad ii^c^ Rhenenses.

[1] De mulctatis episcopi officialibus vid. supra p. 11.

[2] Supra, loc. cit. vocatur *Hugo Back*.

Item, Godefridus Princhen, procurator causarum in curia, ad iiii^c Rhenenses.

Item, Petrus de Wassenberch, procurator in curia, ad ii^c Rhenenses.

Item, Godefridus Fabri, collector archidiaconi Ardennae, ad v^e Rhenenses.

Item, Adam de Palude, collector et procurator, ad c et xx Rhenenses.

Item, Johannes de Collis, procurator fiscalis, ad tria viagia.

Item, de post anno praedicto cessus fuit positus auctoritate ordinaria in civitate Leodiensi et comitatu Lossensi [1]. Unde fuit appellatum ad sedem metropoliticam Coloniensem, et officialis Coloniensis pronuntiavit bene appellatum, et tulit cessum [2]. Et sic fuit appellatum pro parte domini nostri Leodiensis ad sanctam sedem apostolicam et sanctissimus dominus noster Pius papa secundus annulavit et invalidavit sententiam domini officialis Coloniensis et mandavit de novo fore cessandum [3]. Et facta executione mandati et interdicto stante, dominus Leodiensis suam curiam spiritualem officialitatis transtulit Trajectum, xii mensis septembris anno LXII.

MS. de M. le prof. Serrure.

XL.

BULLA PII II, DATA 1 MAII 1462, QUA INTERDICTUM A LUDOVICO BORBONIO CONTRA LEODIENSES LATUM CONFIRMATUR [4].

Pius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Trajectensium et Cameracensium episcopis, ac dilecto filio abbati monasterii Sancti Adriani Gerardi-Montensis, Cameracensis dioecesis, salutem et apostoli-

[1] Scilicet interdicti sententia a Borbonio lata. Vid. monum. XXXVI, supra p. 484.

[2] Vid. monum. XXXVIII, supra p. 498.

[3] Vid. infra monum. XL.

[4] Quum de pace inter episcopum et civitatem componenda multa agerentur vano irritoque conatu, initio mensis julii Leodii fama percrebuit interdictum a sede apostolica fuisse confirmatum. Ad rei illius notitiam spectant, quae leguntur in codice Hermanni de Wachtendonck. « Diu multumque ex utraque parte laboratum extitit per crebras disetas et amicabiles tractatus, quo (discordiae nebulis dissipatis) serenitas pacis occurreret, et sol quietis, qui erat in nubilo turbationis, laetior refulgeret. Quum autem conatus omnes casso labore deficerent, resque protracta

cam bededictionem. Se prodiens ex iniquitate et adipe sceleratorum execranda improbitas tantam in se suscepit temeritatis audaciam, ut etiam seculares potestates extensa manu non solum ecclesiis et earum praelatis, ac personis ecclesiastitis rebellare, aut etiam ausu sacrilego violentas manus injicere, et illos persequi, eorumque famam verbis et opere labefactare, ac ipsorum res et bona invadere et usurpare ac detinere non formident. Ultrix est amplectenda correctio, ac ecclesiarum, praelatorum, ecclesiasticarum personarum hujusmodi dispendiis occurrens, ut culpae condignus succedat aculeus, et ne impunita delinquatur praesumptio, aliisque blandiatur. Sane prout nuper fama publica divulgante non sine gravi mentis amaritudine percepimus, quod nonnulli iniquitatis filii, burgimagistri, rectores, jurati ac concives civitatis Leodiensis, et quidam alii sui complices et sequaces, terras, oppida, villas, carieres(?) et loca ad dilectum filium Ludovicum electum Leodiensem et ejus ecclesiam Leodiensem suosque subditos et vasallos pertinentia; etiam incolas et habitatores Sancti Petri prope Trajectum Leodiensis dioecesis, quae ipsi ecclesiae in spiritualibus et temporalibus subjecta existit, commorantes, a quibus episcopus Leodiensis magnos redditus et proventus percipiebat, in-

in dies augmentum mali sumeret, ad notitiam summi pontificis domini Pii II delata est. Quapropter idem pontifex, praemissos nefarios et execrabiles ausus ferre non valens, processum per dominum electum contra rebelles Leodienses, suosque complices, interdicti quoque impositionem ac alia exinde subsecuta, apostolica auctoritate confirmavit. Ulteriusque commisit venerabilibus dominis episcopis Trajectensi et et Cameracensi, necnon domino abbati Sancti Adriani Montis-Gerardi, quatenus praefatos temerarios et eorum fautores infra octodecim dies dictricte requirant, quod nisi omnia et singula praemissa retractaverint, et ulterius abstinuerint, eosdem auctoritate apostolica excommunicationis gladio ferirent, et eorum loca ecclesiastico interdicto supponerent. Insuper si ab hujusmodi nefandis actibus infra decem dies sequentes se non correxerint, aeternae maledictionis sententiae cum aliis formidabilibus imprecationibus subjicerent. Hujus commissionis bulla est de data anni dominicae incarnationis 1462, kalen. maii (id est prima), pontificatus Pii anno quarto.

« Post cujus commissionis executionem Leodienses ab ea appellantes miserunt ad summum pontificem, petentes ab hujusmodi excommunicationis sententia absolvi et interdictum relaxari, offerentes se ad omnia quae juris essent et rationis. In diebus illis, pendente appellatione, executus est processus quidam et affixus ad valvas ecclesiae S. Servatii Trajectensis, ex parte domini Rasonis, abbatis S. Adriani, executoris bullae interdicti, in quo fere omnes canonici, nominatim expressi, admoniti fuerunt recedere a locis interdictis. A quo processu unanimiter appellaverunt. Interim redierunt nuntii civitatis, qui ad romanam missi fuerant curiam ad prosequendam appellationem, portantes secum breve apostolicum, continens quomodo pontifex decrevisset, velletque mittere legatum, sufficienti potestate fulcitum, ad examinandam causam et relaxandum interdictum. » Cfr. monum. XI.

vadere, eumque ne ibi cervisiam braxare de caetero praesumat sub, terrendis poenis inhibere, et aliquos ex praedictis incolis et habitatoribus hujusmodi cervisiae braxatoribus captivos ducere, et ab ipsis magnas pecuniarum summas extorquere, domini electi Leodiensis et dilectorum filiorum capituli ecclesiae Leodiensis in loco capitulari et in ejusdem electi praesentia injurias ac minas inferre, dicendo quod nisi ipsi officiales mandata ac proclamata ipsorum burgimagistrorum exequerentur, eos deputarent vel aliis poenis afficerent, ita ut caeteris cederet in exemplum; necnon quosdam Lombardos de partibus Pedemontium, a quibus etiam episcopus Leodiensis nonnulla commoda percipiebat, plurimum vexare et perturbare, et ab illis grandes pecuniarum summas extorquere, et finaliter plures ex ipsis captivos ducere; ipsumque electum in sua Leodiensi civitate cum suis consiliariis et servitoribus certo tempore praesentem, et eorum pravis intentionibus contradicentem, ausu temerario in magno suorum consiliariorum et servorum discrimine portis seratis retinere et includere, ad armaque contra eos disponere; necnon feudum de Boechout, ad praefatam ecclesiam pertinentem, manu armata cum tubis, more principum, ad se recipere et veros haeredes in dicto feudo per electum Leodiensem, ad quem spectat, infeudatos ab inde repellere, et quemdam Johannem De Wilt militem de illo temere investire seu intrudere, et pro ea intrusione mille florenos renenses ab illo recipere, et contra leges patriae, libertates, executiones et francisias, vassallis et subditis ecclesiae Leodiensis, ac in locis in quibus ipsi subditi degunt, impudenter concedere et signum libertatis cum armis et tubis, perones sive columnas in medio fori dictorum locorum elevare, et nomine civitatis Leodiensis desuper patentes litteras concedere, per quas subditi locorum eorum se exemptos credunt, et pro eorum libitu voluntatis vivunt; ecclesiam Leodiensem et illius episcopum, quibus subjecti sunt, in suis juribus minime cognoscentes: pluresque subditos ipsius ecclesiae Leodiensis etiam extra leucam civitatis bannalem captivos ad civitatem ipsam deducere, et ab eis magnas pecuniarum summas similiter extorquere, et judiciis scabinorum civitatis Leodiensis per eumdem electum institutorum interesse, et simul una cum eis causas audire seu judicare, et pro libitu suae voluntatis etiam manu armata partes absolvere et condemnare: officiarios et servitores curiae spiritualis dicti electi etiam clericos eorum profano judicio, eis non vocatis nec auditis, in magnis pecuniarum summis condemnare, ac ad Peronem voce praeconia eosdem suis

officiis perpetuo privare, aliosque dictos officiales in jurisdictionis ecclesiasticae scandalum et exterminium infamare; necnon officiarii Leodienses in spiritualibus ac scabinis feudalibus et officialibus dictae ecclesiae Leodiensis sub poena indignationis civitatis inhibere et mandare, ita ut sub eorum oppressionibus judices, scabini et officiales et caeteri subditi contremiscant, nec sit qui justitiam ministrare libere aut executionem facere audeat. Et cum nuper dictus electus Leodiensis nonnullos sacrilegos judicialiter per sui palatii annulum, prout ad suum spectat officium, punire vellet, ipsum electum ad inchoatum judicium dimittendum evidentibus scandalis compellere, et quosdam alios ex ipsis burgimagistris et rectoribus civitatis Leodiensis, qui ecclesiam ac ejus dominium in praedictis ac aliis enormiter laeserant, et quos scabini dictae civitatis merito condemnassent, absolvere et XXXII° vexilla artium mechanicarum dictae civitatis in signum hostilitatis contra vicinos nobiles, communitates et alios Leodienses fautores et officiales elevare, et etiam in foro Leodiensi publice ostendere, et cum iisdem repetitis vicibus more hostili ac manu armata exire non timuerunt : et tandem videntes burgimagistri et rectores oppidorum Tongrensium, de Sancto Trudone, de Hasselt et caeterorum comitatus Lossensis totum fere temporale dominium ecclesiae Leodiensis sub manibus ipsius civitatis, quam matrem eorum vocant ecclesiam, hoc pio nomine privando contremiscere in facti simili inobedientiae veneno, inimico humani generis provocante, operam dare coeperunt, ut jurisdictionem spiritualem ipsius ecclesiae Leodiensis invaderent, et quosdam laïcos vilis conditionis, homicidas, latrones et alios, quos novos procuratores seu baculiferos nominaverunt, annis nondum duobus elapsis instituerunt, et insignia secundum oppidorum diversitatem differentes, qui presbyteros et viros ecclesiasticos invadere, et aliquibus ex eis oculos extrahere et fere eruere, alios percutere, quosdam ad arbores ligare, nonnullos in aquam fere submergere, et quosdam ad dimittendum sua officia et ad tradendum eis omnia munimenta, jura et processus, tam apostolica quam ordinaria auctoritatibus factos, compellere, et postmodum pro eorum redemptione ab eis excessivas pecuniarum summas etiam extorquere; domicilia canonicorum, presbyterorum et clericorum violenter ingredi, eorum ostia et capsas ibidem existentes disrumpere, et exinde eorum bona, bullas apostolicas, rescripta, processus, libros sacrae paginae, breviaria, litteras executoriales et prothocolla curatorum, ubi quae pro memoria scripta erant, nomina excommuni-

catorum extrahere, et coram populo in ignem ponere, et illa concremare fecerunt, et delinquentes praetextu dictarum bullarum, quos in eorum cellas gestabant, derisorie absolvere; ecclesias Deo dicatas etiam intrare, et capsas ubi sacra reponuntur frangere, privilegiaque, dotationes et alia similia comburere et in singulis oppidis comitatus Lossensis hora primarum, qua audientia servari solet, mercatum in dictis oppidis accedentes publice inibi judicium facere et consistorium episcopale in derisionem ecclesiae instituere, ex eis officialem, procuratores, fiscales, sigilliferum et notarios creare praesumpserunt, illosque et etiam coram certo per eos conficto derisorio judice seu officiali presbyteros accusatos articulis medio juramento respondere coëgerunt, illosque sententialiter condemnarunt, et ab ipsis magnas pecuniarum summas extorserunt; nonnullos vero in stagnum projicientes, prout quemque projecerunt; quosdam etiam praesbyteros ad ministrandum corpus dominicum excommunicatis compulerunt, comminantes ipsos occidere, si quemquam excommunicatum devitare vel denuntiare praesumant : et monopolium et conspirationes inter se fecerunt, jurantes officiis curiae spiritualis mandatis usque ad mortem velle se resistere; ac unus ex burgimagistris ipsius civitatis Leodiensis quemdam clericum beneficiatum exequentem cum omni mansuetudine ita mandata ecclesiae hora, qua divina officia celebrabantur, in dicta venerabili ecclesia invasit, eumque violenter cum capillis traxit, et confractis litteris et sigillo ipsius electi Leodiensis, hujusmodi sic dilaceratas litteras quas clericus executus fuerat, illas ori ipsius clerici intrusit, et quantum in eo fuit, compulit ipsum ad comedendum litteras praedictas, juravitque, quod ab eo non recederet, donec clericus ipse litteras antedictas deglutiret. Aliaque nefanda et enormia magistri, rectores et jurati, complices ac sequaces ipsius civitatis Leodiensis et comitatus Lossensis, tamquam latrones seu novi procuratores, praedictis videntibus, audientibus, patientibus et consentientibus burgimagistris et rectoribus praedictis, in apostolicae sedis et ecclesiastici status vilipendium, necnon ecclesiae Leodiensis ipsius et electi, plurimarumque ecclesiasticarum personarum grave praejudicium atque damnum perpetrarunt. Propter quod dictus electus Leodiensis, quibus injuriis atque damnis tam in spiritualibus quam in temporalibus lacessitus tolerare non valens, interdictum in civitate Leodiensi et nonnullis aliis locis ordinaria auctoritate posuit, licet pro parte ipsorum burgimagistrorum et communitatum praedictorum ad curiam Coloniensem loci metropoliticam ab hujusmodi fuerit

appellatum. Cum autem sicut etiam nobis innotuit, pendente hujusmodi appellatione, dilectus filius nobilis vir Philippus dux Burgundiae, condolens injuriis eidem electo et ecclesiae Leodiensi irrogatis, hujusmodi adhibuit media quae pacem constringere valeant; etiam post varias inter partes ipsas diaetas habitas, de consensu partium earumdem solemnem diaetam in oppido suo Bruxellensi, Cameracensis dioecesis, instituisset, et ibi pro pace ipsa firmanda tractatibus praecedentibus honestis conclusum inter partes easdem extitisset, conceptaque et ordinata una diaeta finalis conclusiva omnium diaetarum [1]; quodque tempore medio praefatus electus aliquos ex suis consiliariis ad civitatem Leodiensem ad tractandum cum eis super differentiis antedictis eisdem transmittere deberet. Et post hoc consiliarii et deputati, per eumdem electum assumpti, quibus securitas saltem verbalis per dictos deputatos civitatis Leodiensis data fuerat, Leodium accesserunt, populi illius tumultuantes et confestim arma sumentes, immemores honoris et amicabilis diaetae pendentis, consiliarios et deputatos praedictos nequiter occidere machinati fuerunt, eosque interemissent, si eos apprehendere potuissent; qui tandem bonis et equis relictis occulte in habitu dissimulato per multa discrimina recedentes, ad ipsum ducem confugerunt. Nonnulli etiam, populi crescente protervia, dicti electi familiarium et clericorum domos, aedificia et castra demoliri et ad terram prosternere non erubuerunt, et alios ex eis cum uxoribus, quia in causis dicti electi procurabant, extra civitatem Leodiensem ejusque districtum bannierunt, et ignominiose proscripserunt, et proscriptos, ut praemittitur, in dies amplius persequuntur.

Nos igitur volentes, prout nec velle amemus, aut salva conscientia possumus, tam nefarios ausus et execrabilia scelera sub dissimulatione praeterire; quin ymmo volentes illo provisionis remedio consulere, per quod ipsorum temerariorum compescatur audacia, et aliis similia perpetrandi via praecludatur, motu proprio et non ad alicujus super hoc nobis oblata petitionis instantia, sed justitiae debito suadente, processum per eumdem Leodiensem electum contra eosdem temerarios factum ac interpositionem interdicti hujusmodi, et inde secuta quaecumque, auctoritate apostolica tenore praesentium habendo pro expressis, ac ex certa scientia approbando,

[1] De diaetis, ut vocant, occasione interdicti Bruxellis et Trajecti ad Mosam habitis, cfr. supra p. 13, et Adrianus de Veteri Busco, apud Martene, *Ampliss. Collect.*, tom. IV, p. 1250 et seqq.

confirmando, ac omnes et singulos defectus tam juris quam facti, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplentes, ac appellationem praedictam, et inde secuta quaecumque irrita et inania, nullius roboris vel nullius momenti fuisse et esse decernendo, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios etiam, ex parte nostra omnes et singulos burgimagistros, scabinos, rectores, juratos, communitatesque civitatis Leodiensis et oppidorum de Sancto Trudone, de Tongris, de Hasselt, caeterosque comitatus Lossensis, nec non eorum fautores et sequaces, eis novos procuratores nuncupatos et quoscumque alios cujuscumque dignitatis, etiam comitatus, nobilitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, quos praesens tangit negotium aut tangere poterit quomodolibet in futurum, auctoritate nostra in ecclesiis et aliis locis, ubi vobis videbitur opportunum, magistros civium, rectores, communitates praedictas, eorumque sequaces et fautores, quos idem electus duxerit nominandos in specie vel in genere, si commode nominari non possint, moneatis, ut infra decem et octo dierum spatium, quorum sex pro primo, sex pro secundo et reliquos sex pro tertio, et peremptis termino et monitione canonica eis assignatis, omnia et singula tam interdicto per ipsum electum Leodiensem posito expressa quam non expressa, per ipsos contra ipsum suamque ecclesiam Leodiensem, ejusque officiales, clericos et servitores et alias ecclesiasticas personas civitatis et dioecesis Leodiensis ac in praejudicium ecclesiasticae jurisdictionis, etiam ante et post ipsum interdictum temere attentata, absque more revocent, cessent et annullent, ac irrita et nulla, prout sunt, fuisse et esse publice affirment, et passis injuriam atque damnum debitam satisfactionem impendant. Praefatamque ecclesiam Leodiensem, ipsius jurisdictionem, dominium, auctoritatem tam in spiritualibus quam in temporalibus, restituant et reponant. Vassalli vero et subditi dictae ecclesiae Leodiensis, quicumque sint, consueta servicia et jura eidem electo Leodiensi ab eis debita exhibeant, nec non et a praemissis insolentiis et temeritatibus cessent, dictamque ecclesiam Leodiensem ac suos vicarios et officiales grato honore et debita honorificentia prosequantur, ipsius electi monita et mandata salubria humiliter suscipiant et adimpleant; ac permittant ipsum electum jurisdictione, dominio et potestate episcopali tam in spiritualibus quam in temporalibus publice frui et de caetero similia vel aliquid, quod in praejudicium episcopalis dignitatis Leodiensis aut per-

sonarum ecclesiasticarum cedere possit, nullatenus attentare praesumant. Et si praemissa omnia et singula non adimpleverint aut neglexerint vel distulerint contumaciter adimplere, seu contra ea vel aliquod ipsorum per se vel alios fecerint, vel venerint quoquomodo, vos contradictores quoslibet et rebelles, eisdemque dantes auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, singulariter singulos praedictorum decem et octo dierum canonica monitione praemissa exstant, excommunicetis, anathematizetis, ipsosque auctoritate apostolica interdicatis in iis scriptis. Et si, quod Deus avertat, has tremendas censuras per alios decem dies sustinuerint, vos illos omnesque in dictis criminibus participantes etiam in genere aliter autem quam in crimine participantes in specie monitos aggravetis et reaggravetis; ac omnes et singulas gratias, privilegia, dispensationes et indulta quaecumque ab apostolica sede eis concessa revocetis, cassetis et annuletis, eorumque subditos et vassallos a praestatione cujuscumque homagii et vassallagii aut confraternitatis, ac a vinculo cujuscumque juramenti fidelitatis, si quo illis astricti sunt et obligantur, perpetuo eadem auctoritate absolvatis et liberetis; necnon terras, civitates, villas et alia loca quaecumque, in quibus monendi et alii praemissi moram trahunt, vel ipsos vel aliquem eorum destinare contigerit, ecclesiastico supponatis interdicto, inibi etiam triduo postquam inde decesserint districtissime observando. Et demum si praedicti a tam damnata mente infra alios decem dies immediate sequentes non resiliant, attendentes quod filii superbiae tradendi sint sathanae, patri eorum, eis omnibus singulis ita Deum ejusque vicarium spernentibus, sicut maledicti fuerunt Dathan et Abyron, quos terra sustinere non potuit, sed vivos absorbuit, ita ut descenderent in infernum viventes; et sicut Judas Iscarioth, traditor nostri redemptoris, ad mortem, qui etsi poenitens obiit, tamen et suspensus crepuit medius, et possedit agrum Dei de mercede iniquitatis: ita in aeternum maledicatis omnes quoque et singulos, has praesentes earumque transcripta a locis ubi de mandato nostro affixa fuerint tollentes, et alias illarum executionem impedientes, eisdem sententiis et maledictione innodetis. Et insuper si iidem contumaces etiam nominatim post decem et octo dies a tempore publicationis praesentium earumque authenticam affixionem, quas pro earum plena executione sufficere decernimus, nostris monitionibus et mandatis non paruerint, idque vos notorie publicaveritis, et eis certificaveritis extunc ipsos excommunicatos, anathematizatos, suspensos,

interdictos, privatos et maledictos esse, et pro talibus haberi, evitari et denuntiari absque ulla desuper vocatione vel cognitione in quibuscumque ecclesiis, etiam parochialibus, praefata auctoritate nostra declaretis ac nuntiari et publicari mandetis.

Super quibus omnibus et singulis, ac etiam monitionem et citationem per edictum locis circum vicinis affigentes, ex quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum monitorum notitiam pervenire possit, decernentes et facientes, et contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis fuerint, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescentes. Et etiam, si opus fuerit, tam dilecti filii nostri ducis Burgundiae principis catholici, cujus favoribus et auxilio illarum partium ecclesiae et illis praesidentes a tyrannide tam saepius praeservati fuere, quam cujuscumque alterius domini brachium seculare invocandi; omniaque alia et singula in praemissis et circa ea aliquid facientes, disponentes et exequentes plenam et liberam vobis et cuilibet vestrum, tum conjunctim quam divisim, concedimus facultatem. Absolutionem vero, relaxationem et reconciliationem censurarum et poenarum praedictarum ipsi electo Leodiensi dumtaxat reservamus, decernentes dictos contumaces..... [1] quarumcumque specialium vel generalium litterarum apostolicae sedis vel legationis ejus absolvi aut reconciliari non posse, nisi de toto tempore praesentium et ipsorum rebellium excessibus specialem ipsae litterae fecerint de verbo ad verbum mentionem.

Caeterum volumus et decernimus quod monitionem et citationem per vos per edictum facientes, hujusmodi perinde eosdem monitos et citatos ac si illae praesentialiter et personaliter factae et intimatae fuissent, non obstante felici recordationis Bonifacii papae octavi praedecessoris de una ac de duabus diaetis in concilio generali, necnon de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti suspendi, execrari, anathematizari aut alia poena spirituali aut temporali mulctari non possent, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis et litteris

[1] Locus in Ms. vacuus.

apostolicis generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, vestrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quolibet modo impediri, et quae quoad praemissa cuiquam volumus aliquatenus suffragari, etiam si de illis eorumque totis tenoribus sit in nostris litteris mentio specialis.

Interea volumus et decernimus quod...... [1] praesentium literarum manu duorum publicorum notariorum superscripto, et sigillo alicujus vestrum muniendo, prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, et illi stetur firmiter, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae M° CCCC° LXII°, kalendis maii, pontificatus nostri anno quarto.

Ms. de la bibl. royale, n° 37 (Van Hulthem).

XLI.

BREVE PII II AD LEODIENSES DATUM 12 JANUARII 1463, DE MITTENDO LEGATO APOSTOLICO AD DIRIMENDAS CONTROVERSIAS.

—

Dilectis filiis communitati et officiatis civitatis Leodiensis et patriae Lossensis.

Pius episcopus, servus servorum Dei. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Commissa nobis desuper cunctorum fidelium cura nos vigilare cogit ne sathan, divisionis auctor, adversarius noster, praevaleat et creditas nobis oves aut mactet aut dissipet. Hinc est quod, causa ecclesiasticae libertatis et jurisdictionis conservandae contra vos per dilectum filium electum Leodiensem dominum vestrum mota, et ob hoc ecclesiasticum interdictum positum, offeratisque, ut intelleximus, ea quae ad hujus differentiae sublationem oportuna creduntur, dignum arbitrati sumus, ut vices nostras

[1] Deest vox *transcriptio* seu *transumpto*.

in ea causa taliter interponamus, quod ecclesia Leodiensis relevetur, et divinus cultus resumatur, atque inter vos et ipsum dominum vestrum bona pax et concordia fiat et conservetur. Ob quam rem feliciter peragendam mittemus de proximo virum probatum sufficienti de hac potestate fulcitum [1]. Quapropter vos in caritate hortamur, atque apostolica auctoritate districte praecipientes mandamus, ne per vos aut per vestros seu alium quemque dicto domino vestro electo seu aliis quibuscumque in hac causa adversariis moveatis guerras, aut via facti contra ipsos quidquam attentare praesumatis, sed venturum ad vos nostra ex parte expectetis ne sanguinis effusio, si (quod absit) intervenerit, Deum offendat et causam ipsam difficiliorem desperatamque reddat. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die duodecima januarii anno 1463.

MS. de la Bibl. royale, nº 11955.

XLII.

LETTRE DE PHILIPPE-LE-BON, DU 15 FÉVRIER 1463, PAR LAQUELLE IL ORDONNE MAIN-LEVÉE DE LA SAISIE DES BIENS DU CLERGÉ DE LIÉGE, ENCLAVÉS DANS SES ÉTATS.

—

Philippe, par la grâce de Dieu, duc de Bourgoingne, de Lothier, de Brabant et de Lembourg, conte de Flandres, d'Artois, de Bourgoigne, palatin, de Haynnau, de Hollande, de Zeellande et de Namur, marquis du saint empire, seigneur de Frise, de Salins et de Malines. A noz séneschal de Brabant,

[1] Vid. supra p. 16 et 503 not. 4.—In laudato codice Hermanni de Wachtendonck haec leguntur : « Anno domini 1463 missus est a sede apostolica dominus et magister Petrus Ferrici (alias Petrus Tyrasonensis electus, auditor causarum palatii; sic nominatur in sententiae narrativa postea latae), hispanus, decretorum doctor, capellanus et orator domini papae Pii II, qui tunc erat in episcopatu Moguntino ad expediendum certa negotia apostolica. Hinc igitur dominus Petrus, habens in mandatis apostolicis, ut mox visis litteris (quarum data erat anno domini 1463 kalend. februarii, pontificatus Pii papae anno quinto), omni mora postposita, ad Leodiensem episcopatum perexit, allegationes partium auditurus, et ut juris ratio expostulaverit terminaturus aut compositurus. Ultima martii venit idem delegatus ad oppidum Aquisgrani, receptus hospitio in conventu canonicarum regularium, ubi fere unius anni spatio moram gessit. »

balli de romans païs dudit Brabant, séneschal de Lembourg, gens de nostre conseil à Lucembourg, balliz de Haynnau et de Namur, séneschal de Faulquemont, et à tous noz escoutètes, maieurs et autres officiers quelzconcques de noz païs et seignories dessusdits, cui ce peut et pourra touchier et regardeir, ou à leurs lieuxtenans, salut. Comme à l'occasion des derrenières guerres et divisions survenues entre nous, noz païs, seignories et subgez d'une part, et ceulx de la cité, villes et païs de Liége et de Loz d'autre, ayons fait empescher et mettre en nostre main toutes les terres, seignories, rentes et revenues quelconcques, appartenans aux églises de Saint Lambert et autres églises secondaires de ladicte cité et païs de Liége et de Loz [1], et il soit ainsi que, touchant lesdites guerres et divisions, bonne paix, union et concorde ait esté faitte, conclute et seellée d'une part et d'autre, après laquelle paix ceulx desdits églises aient envoyet devers nous requérir et supplier, que nostre plaisir feust, considéré ladite paix et l'obéissance par eulx faitte à nostre très-chier et très-amé nepveu l'esleu confirmé de Liége, lever et ostir nostredicte main, et icelles leurs terres, rentes et revenues leur mettre et faire mettre à pleine délivrance, et sur ce leur octroyer et faire expédier noz lettres patentes en teil cas partinens. Pour ce est-il que nous, ces choses considérées, inclinans à ladicte supplication, et voulans de nostre part icelle paix estre entretenue, avons nostredicte main et tous empeschemens de part nous mis à la cause que dessus, èsdictes terres, seignories, rentes et revenues quelzconcques appartenans èsdites églises de Saint Lambert et autres églises secondaires de ladicte cité de Liége et aux suppostz d'icelles, tant de leurs patrimoines que de leurs bénéfices, levez et ostez, levons et ostons entièrement par ces présentes, au prouffit de ceulx de chapitre dudit Saint Lambert et d'autres desdites églises qui font et feront résidence audit Liége, et semblablement des autres églises desdits païs de Liége et de Loz, qui sont comprins en ladite paix, et qui ont fait obéissance à nostredit nepveu, pour cy-après et d'ors en avant joïr et user desdites terres et des revenues, prouffiz et émolumens d'icelles, ainsi qu'ilz faisoient avant nostredit main mise. Si vous mandons et à chacun de vous, si comme à lui appartiendra, que de nostre présente main levée et

[1] « In mense maii (1464) arrestata fuerunt omnia bona capituli Leodiensis in Brabantia, et similiter domini Razonis, propter unam violentiam, factam in una villa Campiniae, nomine domini Razonis. » *Adrianus de Veteri Busco*, apud Martène, tom. IV, p. 1269.

desdites terres, seignories et revenues empeschées, pour la cause et ainsi que dit est, vous faittes, souffrez et laissez lesdits gens d'églises, tant de Saint Lambert que d'autres églises secondaires, résidens audit Liége, et des aultres églises d'iceulx païs, de la condition dessusdite, pleinement et paisiblement joïr et user pour le temps à venir, en la manire dessusdite, sans leur faire mettre ou donner ne souffire estre fait, mis ou donné quelconque destourbier ou empeschement au contraire, car ainsi nous plaist-il estre fait, nonobstant certaines noz lettres octroyées à aucuns dudit chapitre Saint Lambert et autres résidens en nostre ville de Louvain et touttes autres, lesquelles ne volons préjudicier à iceulx des églises résidens à Liége, ne des païs dessusdis. Donné en nostre ville de Brouxelles, le xve jour de février l'an de grâce, Mil CCCC soixante et cinq.

Archives de la province de Liége, registre intitulé : PAIX ET LETTRES. 1465-1467. — *Il y est joint une traduction en flamand.*

XLIII.

BREVE PAULI II, DE DIE 6 MARTII 1465, AD LUDOVICUM BORBONIUM, QUO INTERDICTUM PER MENSES QUATUOR SUSPENDIT, UT INTEREA PAX ET CONCORDIA COMPONERENTUR.

—

Paulus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ludoïco de Borbonia, electo Leodiensi, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecte fili, nuper intellectis his, quae tam per tuos quam per dilectorum filiorum cleri Leodiensis et patriae Lossensis et communitatis civitatis Leodiensis nuntios et oratores ad nos transmissos pro parte tua et illorum exposita fuerunt, nos volentes more pii patris vos amplecti et confovere, ac quieti et tranquillitati vestrae consulere, de consilio et in praesentia venerabilium fratrum nostrorum cardinalium sanctae romanae ecclesiae, ordinavimus nonnulla, quae ad componendas et sopiendas discordias et pacem et concordiam amplectendam visa sunt in Domino salutaria, prout in litteris apostolicis, quas superinde

confici ac triplicari fecimus, sub dato tertio nonas martii praesentis, quorum tenorem in praesentes haberi volumus pro expresso, latius continetur [1]. Ut autem ordinata nostra hujusmodi et contenta in eisdem litteris juxta nostrum desiderium plenum sortiantur effectum, interdictum ecclesiasticum in civitate Leodiensi et patria Lossensi, aliisque locis in eo comprehensis, dudum per dilectum filium Petrum Ferrici, tunc nuntium et oratorem apostolicum, nunc electum Thyrasonensem, aliasque censuras occasione nonnullorum attentatorum appositas, per quatuor menses proxime futuros, quos a data dictarum litterarum inchoari, et ut sequitur, finiri volumus, tenore praesentium auctoritate apostolica suspendi et pro suspenso haberi volumus et mandamus. Peractis autem dictis quatuor mensibus, ac ordinationibus et aliis in dictis litteris contentis, effectum non habentibus, quod Deus avertat, ex nunc interdictum praedictum aliasque censuras et poenas per praedictum Petrum appositas, ipso facto eadem auctoritate reposita esse decernimus et declaramus. Praesens autem breve nostrum post opportunam ejus inspectionem ac copiae authenticae traditionem apud clerum dictae civitatis pro ipsius cautela conservari et absque alicujus contradictione remanere volumus et mandamus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die vi° martii anni millesimi quadringentesimi sexagesimi quinti, pontificatus nostri anno primo.

Ms. de la Bibl. royale n° 7842, provenant de la bibl. de Rouge-Cloître.

[1] Desiderantur illae litterae. Adrianus de Veteri Busco et Hermannus de Wachtendonk notant summum pontificem misisse bullam Ludovico Borbonio, alteram clero, tertiam nobilibus et civibus, ut eligerentur viri probi ex tribus patriae statibus, qui pacem facerent infra quatuor menses; omniaque interea haberentur suspensa : si vero pax non fieret, tunc interdictum ab episcopo latum servaretur, sicut prius. Cf. *Bouille, tom. II, p. 80.*

XLIV.

DEPOSITIONES TESTIUM, MENSE JUNIO 1465 FACTAE, QUOAD METUM A RASONE DE HEERS EJUSQUE SEQUACIBUS INCUSSUM VIRIS ECCLESIASTICIS OCCASIONE INTERDICTI.

Testes recepti et auditi summarie per me Johannem de Broechusen, notarium venerabilis capituli Leodiensis, de mandato venerabilis domini mei decani Leodiensis, ex parte praedicti capituli necnon venerabilium virorum dominorum decanorum et capitulorum secundariarum ecclesiarum Leodiensium super iis, quae scilicet et qualia praedicti testes viderunt et audiverunt a civibus seu popularibus civitatis Leodiensis, ex quibus posset argui metus, qui cadere posset in constantes viros.

Primo dominus Paulus Innocentii, praesbyter investitus seu rector parrochialis ecclesiae Sancti Michaëlis Leodiensis et canonicus Sancti Materni in ecclesia Leodiensi, testis super informatione recipienda super iis, quae scilicet et qualia vidit et audivit, ex quibus argui posset metus praetactus, sub suo juramento dicit, quod a quodam suo parrochiano dici audivit die lunae post dominicam praecedentem festum ascensionis Domini, quod ipsa die dominica post coenam, illustribus dominis Marco de Baden, regente et gubernatore, ut fertur, civitatis et patriae Leodiensis, et Carolo, marchione de Baden, ejus fratre, domino Johanne de Seranio, decano, magistro Huberto Brongnet, canonico dictae ecclesiae Leodiensis, dominis Rassone de Heers, Fastrardo Baré Surlet, militibus, et multis aliis personis post coenam, supra pontem insulae Leodiensis causa solatii existentibus et pariter congregatis, ibidem dictus dominus Rasso allocutus fuit dictum dominum decanum de et super materia controversiae in civitate Leodiensi nunc existentis et super juramento quod civitas ipsa a canonicis ecclesiae et ecclesiarum Leodiensium praedictarum expetebat, et de manendo in civitate et non servando interdictum sanctissimi domini nostri Papae et de non obediendo sibi in ea parte et similibus. Tandem inter alia verba minatoria praedictus dominus Rasso ipsi domino decano dixit, per magnum et terribile juramentum quod praestitit : « *Vos fa-*

cietis omnes, denotando jam scripta, *vel ego potius suspendam vos omnes.* » Quodque praedictus dominus decanus tunc respondit : *Ad minus non penderetis sororium vestrum*, denotando dominum Arnoldum de Hamalia, cantorem Leodiensem. Tunc idem dominus Rasso sub simili juramento respondit : « *Egomet potius ponerem eum in sacco, et submergerem ipsum ante domum suam. Vos facietis omnes, et sinon feceritis, nos projiciemus tot ex vobis in Mosa, quod una archarum pontis,* » qui pons archarum Leodiensis dicitur, *constipetur*, praedictis domino marchione et domino Fastrado ipsum dominum Rassonem inde corripientibus. praeterea a duobus annis, signanter a proximo festo paschae citra, a quampluribus suis parrochianis et aliis de civibus Leodiensibus et suis propriis amicis, in mensa et alibi, saepius dici audivit : « *Quid valet? Vos,* denotando clerum civitatis Leodiensis et hunc testem, *jurabitis omnes quod manebitis apud nos et cantabitis, vel vos recedetis a civitate et recipiemus omnia bona vestra, vel vos omnes projiciemini ad Mosam.* » Et haec et similia dici audivit saepius et tot vicibus in diversis locis et a diversis personis, quod sibi esset impossibile perfecte recolere. — Auditus et examinatus fuit anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, mensis maii die septima.

Dominus Johannes Leonardi, presbyter capellanus in ecclesia Leodiensi, testis super praemissis metibus interrogatus, sub suo juramento dicit se, propter displicentias quas habuit, ex eo quod quamplures cives Leodienses importune et inhoneste loquebantur contra personas ecclesiasticas inferendo eis minas et displicibilia verba, de quibus personis et verbis pro praesenti praecisius non est memor; idcirco testis iste conversationes civium frequentare quanto plus potuit evitavit. Nihilominus tamen noviter dici audivit, quod quindecim diebus elapsis vel circiter, nobilis vir dominus Rasso de Heers, miles, post coenam venerabilem virum dominum Johannem de Seranio, decanum Leodiensem, reperiens super pontem insulae Leodiensis, inter caetera verba displicibilia dixit ei : « *Per sanctum Deum! si personae ecclesiasticae non cantaverint, nos iremus ita fortes ad domum sororii mei*, denotando venerabilem virum magistrum Arnoldum de Hamalia, cantorem Leodiensem, *quod projiciemus eum in Mosa ante domum suam, et omnes alii ex eodem biberent cypho;* » praesente ibidem domino Fastrardo Bare Surlet, milite, qui, prout testis iste dici audivit, dixit : « *Ego habeo duos fratres qui sunt canonici Leodienses, sed si cantare noluerint, quod eos nunquam vellet videre seu eis ob-*

viare, neque eis facere assistentiam aut juvamen. » Et nihil aliud inde sibi occurrit pro tunc. — Datum die octava mensis praedicti.

Dominus Nicolaus de Paradiso, presbyter investitus ecclesiae parochialis Sanctae Aldegondis Leodiensis, testis super metibus interrogatus, dicit quod Lambertus Pite, commorans prope ecclesiam sanctae sedis extra Leodium, dixit huic testi, in crastino diei qua responsio ecclesiae et ecclesiarum fuit data, et a quampluribus aliis dici audivit, de quibus non est memor, quod si domini ecclesiae et ecclesiarum Leodiensium civitati Leodiensi juxta ejus intentionem non adhaesissent, male stetissent et magnae eis fuissent violentiae illatae et fortassis fuissent projecti ad Mosam. Etiam audivit a diversis personis dici, quod antequam praetacta fieret adhaesio, quod quadam die de vespere dominus Rasso de Heers, miles, venerabili viro domino Johanni de Seranio, decano Leodiensi, inter caetera verba minatoria dixit super pontem insulae Leodiensis : « *Vos,* denotando dominos ecclesiarum praedictarum canonicos, *cantabitis, velitis nolitis, vel nos projiciemus tot ad Mosam quod una archarum implebitur.* » Et aliud inde nescit. — Die xii junii.

voirscreven, met onsen aenhangen ende tonehoeren, ter andere syden, gemomboirt, geconstituert, gedeputeert ende mechtich gemaict hebben met onsen openen siegelen ende brieven, onsen lieven getruwen Dierick Raymekers ende Jan Cleynnewerts, ons twe bourgemeisteren, ende Jan van Heestert, onsen secretaris, omme die voirscreven geschilden ende saken by die voirgenoemde hogeboren princhen ende heeren te tracteren, te ordineren, te peysen ende te sluten, met hulpe ende bystant der eedelre, mogende, hogeboren heeren, jonchere Vincent, greve tot Moers, etc., ende heeren Jacob, greve tot Horne, etc., den wellegen twe eedelen heeren voirscreven, wy des selfs gelyc commissie van siegelen ende brieven gegeven hebben, die welke wy ratificeren, van werden ende machten halden. Ende alsoe dan die voirgenoemde, ons deputeerde, ons in relatien mont sprekenlyc opgedaen hebben, voelrehande verkellinge van der selver saken geschiet benner der goeder stadt van Bruessele; ouck ons sekere gescriften, desen saken aengaende, gelesen hebben, soe eest dat wy met onser alre wille, wete ende consente, soe voere onss, soe voer onse aenhenge ende toebehoirte, onsen lieven getruwen Jan Cleynnewerts, onsen bourgemeister, ende Jan van Heestert, onsen secretairis, volcomen macht ende belaet gegeven hebben, ende met desen onsen briefve volcomen macht ende belaet geven, dat sy die voirgenoemde saken ende geschilden, met ende by die voirgenoemde doerluchtige, hogeboren princen ende heeren, die wy groffelic veronrecht hebben, tracteren, ordineren, peysen, sluyten ende finael maken, ende soe wer dese, onse deputeerde, termimineren, tracteren, ordineren, peysen, sluyten ende finael maken, het sy in 't generael oft besunder, niet gereserveert, desgelyx soe wer ons voirscreven deputeerde, omme dese voirscreven saken te peyse te brengen ende finael te maken, overgeven, consenteren, geloeven en tuweseggen, in wat maniren dat zy dat geloeven, wy, met onsen trouwen, dat suelen wy ganselyc ende altemael, soe voere ons, onse touwebehorte, onse erven ende naecomelinge, van valoire, van werden, van machten halden ende over all volvoeren, als oft wy samentlyc ende persoenlyc met hon in t' present weren, ende dat gedaen hedden sonder enich wederseggen van ons aen argelist, ende renuntieren in den saken op cleerschap, manschap. Ende alle argelist. Des voirscreven es torkonden, hebben wy onsen stad gemeynen ziegel desen brieve aen doen haughen. Gegeven in 't jaer nae der saliger geboirten Ons liefs Heeren Jhesu Christi, dusent vier hondert vyf en sestich, in decembri thien daghe. »

Commission de Hasselt, du 10 *décembre* 1465.

« Allen heeren van gheistlicheit ind werlicheit, stade, ridderen, schiltburdigen, ind allen eerbaren mannen, onsen lieven heeren ind vrinden, dair dese onse letteren voircomen suelen, bourgemeister, raet ind ganse gemeinte der stadt van Hasselt, onderdenige ind all bequemelyke groeten. Voer alle alsdan die homechtige eedele heeren, joncher Vincentius, greve te Moers, te Swarwerden, ind heere Jacob, greve te Horne, heere te Altena, te Montengue ind tot Cranendonck, aensiende die groete lasten, ind pericule van groter veedscappe in 't oirloge die in desen lande van Ludick, van Loen, leider bracht, syn uut naeburligen medelyden ind van goeder gonsten sich aengenomen, den selven des ouck genetliken gegoud synde voirt dae vlyslich bewesen, ind ves het no honnen vermogen niet gespart hebben, die selve vede te gude ind te vreden te bringen, welich hon der almechtige God wil gonnon, waele te volvueren. So ist dat voir de voren hier op beraden ende des overcomen synde, deputeert ind gemechticht hebben, int by desen letteren mechtigen ind deputeren, die eerbare, onse lieve getrouwe ind geminde Aernt van Elsrake, inder tyt onsen bourgemeister, Johan van Elsrake, Johan, greven in 't Joris schilders, wylne bourgemeisters, ind onsen raetz vruude, ind Peter Alarts, ind gelicken by sonder van onsen; ind alle der gheenre onser medegeringe, wegen die wy bynnen lande van Loen, mechtich syn om te trecken by die voirscreven heeren greven, ind ons te verdadingen te verenigen, ind alle tractaten van peyse, vruutscappen int vreden te overcomen, ind te sluyten by doerluchtigen, vermogenden vorsten, den hertoge van Bourgondien ind van Brabant, etc., by den hoegeboren heere, synen lieven soen, mynen genedigen heere van Charroloys, by den eerwerdigen in God vader, hogeboren, vermogende vorst, heeren Lodewych, elect confirmeert van Ludick, ind greve van Loen, onsen lieven lantheeren, voirt by allen anderen heeren daer wy met uutstaen ind te bedingen hebben, ind dat sementlichen oft by yegeliken heeren, ind partien bisunder, ind wat die twe eedele heeren greven voirscreven, ind onse voirgenoemde deputeerde, oft dmeeste deyle van hon, hier van doen, sluyten ind overcomen sullen in gesamender bedinghen, oft by yegelyke heeren ind partien, verscheiden geloeven hon hiervan doen sluyten ind overcomen, wy,

bourgemeister, raet, ind ganse gemeynte der stad van Hasselt voirscreven, vast, stedich ind onverbrechlich te halden, voir ons, onse erven ind nocomelingen, te ewigen daghen, ind des niet te wederropen. Orconde der waerheit, hebben wy onser stad siegel hier aen doen hangen, in den jair Ons Heeren gebuert, dusent vier hondert vyf en sestich, in decembri thien daghe. »

Et ego Judocus, dictus de Boeslintere, presbyter Leodiensis dioecesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius juratus, quia praemissis omnibus et singulis suprascriptis, unacum Daniele de Fonte, connotario subscripto, et testibus suprascriptis, praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et ex iis praesens publicum instrumentum, cum eodem Daniele, connotario, recepi et in publicam formam expedivi, necnon linguam gallicam praescriptam Danieli praedicto interpretatus fui, praesensque publicum instrumentum licet aliena manu fideliter scriptum, signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, rogatus et requisitus, in robur et testimonium praemissorum.

Et ego Daniel de Fonte, alias Carlewych, presbyter Leodiensis dioecesis, publicus sacra imperiali auctoritate, venerabilisque curiae Leodiensis notarius juratus, praemissis omnibus et singulis suprascriptis, unacum Judoco notario et testibus praescriptis praesens interfui, et ex iis praesens publicum instrumentum cum eodem Judoco recepi, praedictoque Judoco linguam gallicam mihi interpretante praedictam et exponente, in publicam formam expedivi, praesensque publicum instrumentum licet manu aliena scriptum signoque et nomine meis consuetis signavi, rogatus et requisitus, in robur et testimonium praemissorum.

Archives de la province de Liége. Original sur parchemin, n° 46 de l'inventaire des pièces revenues de Lille en 1773.

XLVII.

BULLA PAULINA, SIVE SENTENTIA DOMINI NOSTRI PAULI PAPAE SECUNDI, LATA DIE 23 DECEMBRIS 1465 [1], INTER REVERENDUM IN CHRISTO PATREM DOMINUM LUDOVICUM ELECTUM LEODIENSEM EX UNA, ET MAGISTROS CIVIUM, SCABINOS, BURGIMAGISTROS, RECTORES, JURATOS ET COMMUNITATES CIVITATIS LEODIENSIS, NEC NON LOSCASTRI, HASSELT, BERINGHEN, EYCK, STOECKHEM, BREDE, HERCK ET BILSEN, COMITATUS LOSSENSIS, ET LOCA ALIA IPSIS ADJACENTIA, ALIOSQUE OMNES ET SINGULOS IN HAC LITE CONSORTES, EX ALTERA PARTIBUS [2].

Paulus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis cura sollicitudinis, divinitus nobis super cunctas christiani populi nationes injuncta, nos invigilare saluti fidelium, eorumque periculis obviare, et scandala removere compellit.

Sane cum nobis diversa gravissimarum differentiarum dissidiorumque inter dilectos filios Ludovicum electum Leodiensem ex una, et magistros civium, scabinos, burgimagistros, rectores, juratos ac communitates civitatis Leodiensis, et oppidorum de Tongris et de S. Trudone patriae Leodiensis, necnon Loscastri, Hasselt, Beringhen, Eyck, Stockheim, Brede, Herke et Bilsen comitatus Lossensis, et loca alia ipsis adjacentia, aliosque omnes et singulos in hac lite consortes ex altera partibus, commotio animum fel. rec. Pii secundi praedecessoris nostri saepe pulsasset; intellexerat enim quod propter varios et diversos excessus ibidem perpetratos, ordinaria fuerat in

[1] Paulinam hanc constitutionem recudimus collatam cum exemplari coaevo, necnon cum alio exemplari quod in suo codice descripsit Hermannus de Wachtendonck. In illis exemplaribus constitutio apostolica Romae dicitur data *anno* 1465 DECIMO CALENDAS JANUARII, *pontificatus Pauli II anno secundo*. Ita etiam legitur in versione gallica illius bullae, quae Leodii publicata fuit die 26 maii 1477, et quam infra exhibemus: *mille quatre cens soixante cincq, les Xe kalende de janvier, de nostre pontificiat l'an second.* Praeterea si bulla data fuisset *die decima mensis januarii* 1465, prout apud Chapeaville (tom. III, p. 150) et alios legitur, non ad *annum secundum*, sed ad *annum primum* pontificatus Pauli II spectaret; Paulus enim pontifex electus est die 31 augusti 1464.

[2] Talis est titulus, qui bullae Paulinae praefigitur in codice Hermanni de Wachtendonck.

dicta civitate, oppidis et locis supradictis ab ipso electo primum, et successive apostolica auctoritate etiam appositum et observatum aliquandiu interdictum, a quo quidem apostolico interdicto hujusmodi fuit etiam ad sedem apostolicam appellatum. Idem praedecessor noster non immemor quod inter principes et subditos nonnunquam exortae discordiae discrimina attulissent, et providere cupiens, ut praetactorum Leodiensium civitas et districtus, sedata hujusmodi commotione, felicis ductu regiminis a noxiis praeservarentur, ac optatis semper proficerent incrementis, dilectum filium Petrum Tyrasonensem electum, tunc causarum Palatii apostolici auditorem, de cujus fide et probitate non immerito confidebat plurimum, ad investigandum, et quoad posset componendum ac tollendum ipsas differentias et dissidia, interdictumque hujusmodi, sub modis et formis per eumdem praedecessorem nostrum in certis institutionibus sub annulo piscatoris sibi datis, relaxandum, alioquin ad audiendum causam in justitia, et proferendum, eo destinavit.

Qui quidem Petrus electus, quamvis multiplicibus et variis modis concordiam inter partes praedictas prius suadere et efflagitare, ac pacis et tranquillitatis conditiones inducere conatus esset, turbante tamen et impediente iniquo satore zizaniae humani generis inimico, nihil proficere valuit : sed opus fuit ipsorum dissidentium causas in partibus illis aequo tractare libramine.

In quibus cum tam magistri civium, scabini, burgimagistri, rectores, jurati, communitatesque, et alii supradicti, quam eorum, qui in ipsa lite consortes, et literatorie, et juratorie dictae sedis apostolicae jurisdictioni se submisissent, obtinuerunt interdictum praetactum sibi relaxari, atque ab ecclesiasticis, quibus innodati fuerant, etiam censuris absolvi.

Quibus sic peractis, dictus Petrus Tyrasonensis, causam inter partes praemissas, vigore commissionis sibi factae, judicialiter audivit, processum instruxit. Et ipse per observationem tam terminorum substantialium, quam aliorum in eadem causa occurrentium, et singulis, nec non juxta tenorem commissionis ipsi electo factae et naturam causae hujusmodi, observandis observatis per hinc inde partes, et ipsum Petrum electum rite instructa; idem Petrus electus causa attemptatorum pro parte Ludovici electi praefati coram se introducta, prius in partibus sententialiter rite terminata, partibus eisdem, seu verius earum procuratoribus sive syndicis ad comparendum Romae cum sufficientibus mandatis, seu ubi romana pro tempore foret curia, coram Romano pontifice, seu illo vel illis, cui vel quibus ipse pontifex hujusmodi

causam expediendam, et justitiam ministrandam committeret, certum peremptorium praefixit terminum.

Verum dicto Pio postea, sicut Deo placuit, viam universae carnis ingresso, et nobis ad summi apostolatus apicem, disponente Altissimo, assumptis, eodem Petro ad nos cum instructo processu redeunte, ac oratoribus etiam partium ipsarum coram nobis, indicto eis per ipsum Petrum electum praefixo termino comparentibus, illisque per jus plene hinc inde auditis et intellectis, dictae causae expeditionem ad menses quatuor per nostras apostolicas literas sub spe pacis componendae differendam duximus; partibus ipsis nihilominus injungentes, ut si infra dictum terminum concordes fieri non possent, lapso ipso termino, per eorum ad id legitime constitutos procuratores apud sedem apostolicam pro conficienda hujusmodi concordia, vel ubi id fieri nequiret, pro causa et lite hujusmodi continuanda et finienda omnino comparere curarent; certificantes easdem, quod lapso hujusmodi termino, earum absentia nonobstante, ad partis comparentis et justitiam petentis instantiam, in causa et lite ipsa, justitia praevia, omnino procederemus, usque ad ipsam sententiam audiendam, per easdem literas monentes eas atque citantes, ac nullam deinceps citationem vel monitionem necessariam decernentes, ac pariter declarantes ac inhibentes partibus eisdem, sub excommunicationis, anathematis, interdicti ac quinquaginta millium florenorum auri de camera in subsidium fidei adversus infideles convertendorum poenis, ne aliqua partium praetactarum in alterius praejudicium aliquid praesumeret attentare, et si secus fieret, extunc irritum decrevimus et inane, prout in literis nostris tunc in consistorio nostro secreto venerabilium fratrum nostrorum Romanae ecclesiae cardinalium oratoribus utriusque partis et etiam quibusdam canonicis Leodiensibus nuntiis ex parte cleri Leodiensis destinatis, in praesentia nostra traditis, plenius continetur [1].

Cum autem sicut fide digna relatione informati fuimus, et facti evidentia manifestat, ipsi magistri civium, scabini, burgimagistri, rectores, jurati, ac communitates, aliique praefati in ipsa lite consortes, post hujusmodi acceptum mandatum non modo non observaverint illud, quod ipsos facturos etiam oratores spoponderant, verum etiam contemptis per eos apostolicis mandatis, jurejurando neglecto, et aliis quampluribus enormibus et nefandis commissis

[1] Huc spectant bullae apostolicae quae leguntur supra, p. 503, 512 et 515.

excessibus, eorum proprium pastorem et praesulem a civitate Leodiensi et ipsius dominio excluserint, et temeritate propria alium quemdam gubernatorem, cujus caecitate ipsi quoque caeci ducerentur, evocaverint seu assumpserint; ideo lapso termino antedicto, et ipsis magistris civium, scabinis, burgimagistris, rectoribus, juratis et communitatibus aliisque praefatis et in hac lite consortibus, neque per se, neque per procuratores suos, ut praefixum fuerat comparentibus, sed neglectis nostris, quod minime putabamus perficiendum, monitis, quamvis de jure potuissemus in causa ipsa procedere, et justitiam juxta juris ordinem partibus ministrare, ex parte praesertim ac urgentibus antedicti Leodiensis electi supplicationibus instantissime requisiti, praecipue facta nobis in praesentia fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium iterum atque iterum per electum Tyrasonensem antedictum supplicatione, judicium adhuc longius differentes, magistros civium, scabinos, burgimagistros, rectores, juratos, et communitates, aliosque praefatos in lite consortes antedictos, seu eorum procuratores per alios quatuor menses et ultra expectavimus.

Nunc ergo attendentes quod haec tanta dilatio admodum tendit ad noxam, illisque ex ulteriori mora major audacia, et apostolicae sedis contemptus accrescit, considerantes quoque, quod tam per appellationem et submissionem partium praedictarum antedictam, quam etiam praefixionem termini per memoratum Petrum electum prius adjectam, et per nos postea prorogatam, ac alias multipliciter causarum ipsarum cognitio et decisio ad nos atque sedem apostolicam jure merito est devoluta; idcirco praemissis citationibus solemnibus, tam per audientiam nostram literarum contradictarum quam duos cursores nostros in palatio apostolico infrascripto publice factis, licet eis minime necessariis, set ut magis magisque absentium contumacia deprehendatur, meritis causarum hujusmodi, omniumque et singulorum quae in eis tam coram eodem Petro electo, quam postea hinc inde per partes acta deducta atque facta fuerunt, cum matura deliberatione debite recensitis, servatisque omnibus et singulis oportune servandis, in nomine Domini cum apostolo contumaciam ulciscentes, de supradictorum fratrum nostrorum consilio, ut nostrum de vultu Dei judicium prodeat, ad hanc nostram irrefragabilem perpetuoque valituram sententiam, ex certa nostra scientia procedendum duximus, et eumdem in contumaciam dictorum citatorum, id justitia digne suadente, in his scriptis ferimus, atque in hunc qui sequitur modum pronuntiamus, decernimus et declaramus :

Paulus, episcopus, servus servorum, ad perpetuam rei memoriam; Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et Deum solum prae oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de eorumdem fratrum nostrorum sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio ferimus in his scriptis, pronuntiamus, decernimus et declaramus, verum et plenum dominium, omnimodam jurisdictionem in spiritualibus et temporalibus, ac merum et mixtum imperium per civitatem Leodiensem, ac oppida de S. Trudone, de Hasselt, Loscastri, Beringhen, Eyck, Stockheim, Brede, Blisia, Tongris, Herck, et alia loca totius comitatus Lossensis et patriae Leodiensis, institutiones villicorum, scabinorum, caeterorumque officiatorum jurisdictionis temporalis, ad episcopum sive electum pro tempore, et nunc ad praefatum Ludovicum de Borbonio modernum electum confirmatum, et ecclesiam Leodiensem spectasse et pertinuisse, ac spectare et pertinere.

Quodque ipsa civitas et patria Leodiensis, comitatusque Lossensis supradicti sunt sub dominio et jurisdictione spirituali et temporali episcopi pro tempore sive electi dictae ecclesiae Leodiensis, ac iisdem subjiciuntur, eaque omnia et singula praedicto electo suisque successoribus, atque praedictae ecclesiae Leodiensi adjudicanda fore et adjudicamus, necnon magistris civium, rectoribus, juratis, consiliariis, et commissariis quibuscumque, et toti communitati civitatis Leodiensis, et burgimagistris, scabinis, rectoribus, juratis, et consulibus dictorum oppidorum et locorum adversariis, tam conjunctim quam divisim, tanquam talibus nullum penitus jus in eisdem dominiis, imperiis et institutionibus, seu ad ea competiisse vel competere, ac exactiones promissionum de praebendis vacaturis in introïtu ipsius electi ad civitatem, portarum civitatis clausuras, injurias, inhibitiones, comminationes et praecepta sub poena indignationis etiam in capite se inscribendum officialis jurisdictionis temporalis et spiritualis, sive ipsius electi servitoribus aut subjectis, procuratorum, advocatorum, et aliorum in curia ecclesiastica procedentium bannitiones, seu abbannitiones causarum ad eamdem curiam ecclesiasticam pertinentium, cognitiones apparitorum seu executorum ejusdem incarcerationes, percussiones, ad renuntiandum executoribus coactiones, literarum et mandatorum ejusdem detentiones, lacerationes, congregationes et sequelas populi in palatio contra officiatos ac fiscales et servitores ipsius electi, ac contra procurantes revocationes condemnatorum, eorum compulsiones ad testificandum contra fiscales et officiatos, et proclamationes ad conquerendum

de ipsis ad populum, et officiatorum et personarum dictae curiae privationes, proclamationes, poenarum taxationes, exactiones, et non solventium relegationes, bonorum suorum venditiones, commissariorum ipsius electi repulsiones, compulsiones ad dimittendum judicium annuli, bannitiones quorumcumque officiatorum et servitorum dicti electi in actis causae comprehensorum, eorumdemque et uxoris Alexandri Berart abbannitiones, tanquam juris ordine non servato, nec rite, demolitiones domorum et aedificiorum bonorumque spoliationes et vastationes, monopolia, et ministeriorum interdictiones, congregationes trium statuum seu membrorum patriae, contra statum electi seu episcopi pro tempore, vel contra ejus voluntatem, invasiones contra subditos ipsius electi, eorumque captivationes, proclamationes, et ad peronem inhibitiones, feudorum intrusiones, et verorum vasallorum extractiones, columnae elevationem et privilegiorum desuper, necnon securitatum et salvorum conductuum concessiones contra ejusdem electi vel episcopi pro tempore voluntatem, rupturas carcerum, et carceratorum eductiones, receptiones foraneorum in cives contra electi vel episcopi pro tempore inhibitionem, talliarum impositiones et exactiones in subditos electi contra ipsius voluntatem, electiones officiatorum ipsius civitatis per preces et munera, usurpationes seu occupationes bonorum ad subditos electi pertinentium, tanquam confiscatorum poenarumque et emendarum appropriationes et pecuniarum exactiones, extorsiones et damnificationes, et cujuslibet alteriusmodi usurpationes, nominationes et sustentationes baculiferorum, ipsorum invasiones, obligationes ad arbores, immersiones in aquas, in carceres intrusiones, detentiones, vulnerationes, effracturas et combustiones domorum, et lacerationes literarum, registrorum, excommunicationum combustiones, repositoriorum rerum sacrarum fracturas, fictorum consistorii et judicii erectiones, et officiatorum ad episcopum vel electum pertinentium electiones, comminationes ad administrandum corpus Domini excommunicatis, et ne denuntiarentur aut vitarentur excommunicati installationem, et ad publica loca legationes eorum, in quos nulla eis competit jurisdictio, conspirationes, exhortationes contra jurisdictionem ecclesiasticam et ipsius officiatos, colligationes inter se et alios contra statum episcopi et electi, contra ejus voluntatem, et requisitiones ut clerus profanaret interdictum, extensiones et erectiones vexillorum, et cum illis egressus in armis contra domini voluntatem, convocationes nobilium et incolarum patriae, et comminationes ut in armis egrederentur, ac compul-

siones non euntium, ut contribuerent pro expensis, ac inductiones ad capitulum Leodiense ut requirerent ipsum electum ad eundum cum ipsis in armis, vel substituendum aliquem loco sui, sive ad substrahendum ei fructus suae mensae, si id non faceret, per supradictos adversarios, et eorum qui in lite consortes communiter et divisim factas, et insuper omnia alia et singula impedimenta per adversarios ac in causa et causis consortes, et baculiferos, aut novos procuratores supradictos, tam communiter quam divisim contra dictum electum, ecclesiam et Clerum Leodiensem, ejusque ecclesiasticam et secularem jurisdictionem, ac merum et mixtum imperium hujusmodi, et ecclesiasticam libertatem in ipsius electi et suorum offensam, injuriam et jacturam in praemissis circa ea, ac etiam post et contra inhibitiones et reintegrationem supradictas, pendente hujusmodi lite, et de quibus in actis hujusmodi attentata et innovata, facta et perpetrata fuisse et esse temerarias, illicitas, iniquas, indebitas et injustas, temerariaque et illicita, injusta, iniqua et indebita, et de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa dictis adversariis, tam communiter quam divisim minime facere licuisse, neque licere, necnon omnia et singula praedicta, sicut in eisdem actis deducuntur, de facto perpetrata et commissa revocanda, cassanda, evitanda et annullanda, et in pristinum statum reponenda, ac etiam hactenus per eos seu alterum eorum quomodolibet extorta, seu indebite exacta reducenda, reparanda, restituenda, et reintegranda fore, ac revocamus, cassamus, irritamus, et restitui mandamus, et insuper praedicto electo per dictos adversarios eorumque consortes adhaerentes et complices in praemissis, tam communiter quam divisim, per praemissa multipliciter et enormiter fuisse injuriatum, ipsumque electum et suos ex hoc multiplicia damna, expensas et interesse sustinuisse, et sustinere, eosdemque adversarios et complices communiter vel divisim propterea ad praesentandum dicto electo de dictis violentiis, offensis, damnis, et interesse per ipsum electum passis, juxta et secundum aestimationem et moderationem per nos desuper faciendam satisfactionem condignam condemnandos, condemnatosque ad solvendum compellendos fore, et condemnamus et compellimus, dictosque adversarios et complices, civitatemque et communitates, oppida et loca supradicta excommunicationis et interdicti respective, aliasque sententias et censuras ecclesiasticas atque poenas in talia et similia perpetrantes, propterea per statuta provincialia et etiam synodalia desuper edita, et per inhibitiones dicti Petri Tyrasonensis, et literas à nobis concessas

promulgatas damnabiliter incurrisse, ac dictos burgimagistros et communitatem Leodiensem, ac alios litis consortes in poenam quinquaginta millium florenorum auri de Camera in eisdem litteris nostris contentam, in subsidium fidei advertus Turcas convertendam incurrisse declarandos fore, et declaramus, ipsosque ab omnibus Christi fidelibus tanquam tales nuntiandos, et etiam publice evitandos fore, et nuntiari evitarique mandamus, donec revocaverint et paruerint, ac satisfecerint cum effectu, oppositionesque, molestationes, vexationes, perturbationes, inquietationes, necnon denegationes, recusationes ad praestandum dictam emendam, et etiam cessandum ab excessibus, injuriis atque intromissionibus earumdem jurisdictionum, et aliis praefatis, ac singula impedimenta ipsi electo, et ecclesiae suae Leodiensi, ac contra ejus personam et suorum, necnon jurisdictiones et imperia supradicta per praefatos adversarios eorumque consortes et complices in praemissis, et circa ea quomodolibet facta et praestita similiter fuisse et esse temeraria, illicita, iniqua, injusta et de facto praesumpta, dictisque adversariis et eorum consortibus et adhaerentibus communiter vel divisim ac respective super illis seu etiam promissionum exactionibus, coactionibus et extorsionibus, proclamationibus, bannitionibus, abbannitionibus, indictionibus, comminationibus, detentionibus et condemnationibus, privationibus, inhibitionibus, expulsionibus, demolitionibus, exactionibus, monopoliis, confoederationibus, et conspirationibus, jurisdictionum et imperii hujusmodi intromissionibus et usurpationibus antedictis perpetuum silentium imponendum fore, et imponimus, et in expensis a tempore motae litis praemissorum occasione in causis hujusmodi quomodolibet factis condemnandos et compellendos ac cogendos fore, ac condemnamus, compellimus et cogimus: quorum emendae satisfactionis modum, et damnorum et interesse et injuriarum aestimationem et moderationem, ac expensarum taxationem nobis in posterum reservamus.

Per praemissam tamen adjudicationem universalis dominii electo seu episcopo pro tempore non intendimus praejudicare juri domini abbatis S. Trudonis in oppido S. Trudonis, nec praejudicare intendimus juri aliarum ecclesiarum aut nobilium dictae patriae Leodiensis.

Item, non intendimus praejudicare modificationi curiae spiritualis Leodiensis per bonae memoriae Adulphum a Marcka, olim episcopum Leodiensem, super reformatione officiatorum dictae curiae, et archidiaconorum civitatis et dioecesis Leodiensis editae.

Nec praejudicatum esse intendimus paci Tongrensi, quoad numerum fiscalium et eorum officia exercenda.

Reliquos autem articulos in actis utrimque deductos et specificatos legitimis ex causis ad id animum nostrum moventibus, ad praesens non decidimus, sed eorum decisionem et determinationem in aliud tempus differentes nobis reservamus.

Super his vero, quae pro parte communitatis Leodiensis et adhaerentium praefatorum fuerimus legitime requisiti, auctore Domino, justitiam ministrabimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae pronuntiationis, constitutionis, declarationis, adjudicationis, revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, reductionis, reparationis, reintegrationis, mandati, condemnationis, compulsionis, impositionis, coactionis, reservationis et intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attenttare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, anno incarnationis dominicae, millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, decimo calendas januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Sic subscriptum et subsignatum, *Johannes de Broeckhusen,* quoad copiam collatione diligenti facta.

XLVIII.

LITERAE CONCORDIAE INTER DOMINUM LUDOVICUM DE BOURBON, ELECTUM LEODIENSEM ET CLERUM (8 JANUARII 1466).

Nos decani seu vicedecani et capitula majoris et secundariarum ecclesiarum Leodiensium, universis et singulis praesentia visuris et inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quod post maturam inspectionem cedulae papireae de verbo ad verbum insertae et contentorum in eadem, deliberationibus etiam capitularibus desuper praehabitis capitulariter, et ex certis

scientiis, omnia et singula inibi contenta et per venerabiles dominos Johannem de Seranio, majoris ecclesiae decanum, Johannem de Quercu, ejusdem majoris canonicum, Eustachium de Atrio, sancti Petri, et Everardum de Vervenholt, sancti Johannis ewangelistae, collegiatarum ecclesiarum Leodiensium, decanos, nostris nominibus gesta, oblata, promissa, obligata et facta, approbamus, laudamus et ratificamus per praesentes. Quibus, ad majus robur et firmitatem eorumdem, sigilla nostra jussimus et fecimus imprimi. Datum Leodii octava januarii anni a nativitate Domini millesimi quadringentesimi sexagesimi sexti.

Tenor autem cedulae de qua supra facta est mentio sequitur, et est talis :

« Nos Johannes de Seranio, decanus et Johannes de Quercu, canonicus majoris, Eustachius de Atrio, sancti Petri, et Everardus de Vervenholt, sancti Johannis ewangelistae, Leodiensium ecclesiarum decani, procuratores seu factores venerabilium dominorum decanorum seu vicedecanorum et capitulorum majoris et secundariarum ecclesiarum Leodiensium ac abbatum, priorum et monasteriorum sancti Jacobi Leodiensis et caeterorum aliorum in mandato procurationis tunc ostenso, et per Johannem de Broechusen et Woutgherum de Roesele notarios signato, latius expressorum ad appropinquandum reverendissimum dominum Ludovicum electum confirmatum Leodiensem, ac acquirendum bonam gratiam suam, nec non ad mitigandum indignationem suae reverendissimae dominationis et paternitatis, quam personae ecclesiasticae praetactae ac etiam aliae inferius expressae diversis vicibus ob id quod juxta mandata sanctissimi Domini nostri papae moderni, non quidem in contemptum sanctitatis suae aut irreverentiam sanctae sedis apostolicae, quin potius causante metu interdictum non servarunt et alias forsan incurrerunt, seu non servavimus et incurrimus, processibus in Romana curia pendentibus et sententiis illorum vigore datis vel dandis ac generali pace favente Deo futura in eorum esse permanentibus, et ultra illos illa pro nobis et personis hujusmodi offerimus et promittimus quae sequuntur :

» Primo, quod sicut personae praedictae ipsis seu nobis in earum libertate constitutis semper priscis temporibus fuerunt et fuimus filii obedientiae sanctissimi domini nostri et sanctae sedis apostolicae, sic adhuc ab hac hora et antea erunt et obedient, obedireque promittunt, ac monitionibus quibus supra obediemus, et promittimus eidem sanctissimo domino nostro et sanctae sedi apostolicae, parebuntque et parebimus per omnia sententiis sanctitatis suae,

de quibus supra fit mentio, et se ponent et ponemus in omni debito et ratione versus dictum sanctissimum dominum nostrum et sanctam sedem apostolicam vel cum qui per suam sanctitatem et sanctam sedem apostolicam occasione praemissorum fuerit deputatus.

» Item recognoscunt et nominibus quibus supra recognoscimus, prout indesinenter corde et animo recognoverunt et recognovimus reverendissimum dominum Ludovicum electum confirmatum Leodiensem fore et esse eorum et nostrum verum praelatum unicum et indubitatum dominum, reverebimurque illustrissimam dominationem suam, obediemus quoque ei sicut tali. Observabunt etiam et observabimus interdicta ecclesiastica ordinaria auctoritate posita et pro posse eorum juvabunt et juvabimus dominationem suam reverendissimam praedictam fideliter ad defendendum jurisdictionem suam spiritualem et dominium temporale, nec non ullo futuro tempore facient seu faciemus contrarium.

» Item si fortasse per dictas personas ecclesiasticas aut nos aut aliquem ex nobis aliquid captum, ablatum, substractum vel detentum est aut fuit, quod reverendissimo domino electo, consiliariis suis benevolis vel servitoribus pertineat, vel ad eos aut aliquem eorum spectat, sive in bonis mobilibus sive beneficiis consistat, reddent et restituent ac reddemus et restituemus, prout rationis erit, antedicto reverendissimo domino electo vel praedictis. Et si forte ratione restitutionis hujusmodi faciendae vel etiam inter personas ecclesiasticas praefatas ac nos et illas, quae de civitate Leodiensi ad Lovanium aut alibi transtulerunt, occasione et praetextu gestorum per personas praefatas, differentiae aut altricationes exoriantur, per arbitrium dicti reverendissimi domini electi concordabuntur et ad bonam unitatem cum caritate reducentur.

» Item quia praedictae personae ecclesiasticae et nos quamplura contra dictum reverendissimum dominum electum, licet metus intervenerit ut praefertur, fecerunt et interceperunt seu fecimus et intercepimus non observando videlicet ecclesiasticum interdictum, postulando marchum de Baden, per litteras tantum, scribendo in ejus favorem ad Romanam curiam in praejudicium ejusdem reverendissimi domini electi, atque aliis diversis formis et modis eumdem reverendissimum dominum electum offenderunt, seu nominibus quibus supra offendimus, ut praedicitur, veniam, misericordiam pariter et indulgentiam, quanto possumus nominibus hujusmodi humilius devotius et reverentius, petimus et rogamus, offerimusque emendare honorabilius quo fieri

poterit in talibus humilitate, tempore, loco et forma, quibus reverendissimo domino electo praefato videbitur.

» Item recognoscendo de tanto plus dictum reverendissimum dominum electum, dictae personae ecclesiasticae facient ac nominibus praetactis faciemus reparationem utilem de summa decem millium florenorum Rhenensium, floreno Rhenensi ad viginti stuferos computato, juxta morem solitum exigendorum et levandorum. Ita quod appellatione personarum hujusmodi comprehendantur omnes et singulae personae ecclesiasticae cujuscumque dignitatis, status, sexus, ordinis et religionis mendicantium et non mendicantium fuerint, quae a sententia interdicti ecclesiastici per reverendissimum patrem dominum Petrum Ferrici, tunc sacri palatii apostolici causarum auditorem et oratorem apostolicum, nunc vero electum Tirazonensem, in civitate Treverensi lata appellarunt, seu appellationi hujusmodi quomodolibet adhaeserunt, et etiam omnes illae personae quae infra civitatem Leodiensem, oppida et alia loca quaecumque dominii sui temporalis post temerariam receptionem seu adventum illius de Baden permanserunt, demptis ecclesia collegiata beatae Mariae Hoyensi et singulis aliis ecclesiis infra ibidem oppidum situatis, seu personis ecclesiasticis earumdem Huyensium ecclesiarum inibi commorantibus.

» Item ne videantur ecclesia et ecclesiae praedictae velle fovere aut supportare personas ecclesiasticas, quae ad obedientiam sanctissimi domini nostri papae moderni et sedis apostolicae aut ad rebellionem contra et adversus antefatum reverendissimum dominum nostrum electum instigassent, offerunt et nominibus quibus supra offerimus, quod si aliquae ex praedictis personis, cujuscumque status aut conditionis existant particulariter spontanea voluntate extra ordinationes capitulares populum ad inobedientiam vel rebellionem praedictas instigarunt, aut dictum reverendissimum dominum nostrum electum seu dignitatis suae reverendissimae honorem verbo pertinaciter et publice vel facto laeserunt, injuriam intulerunt et offenderunt vel officia ab illo de Baden, vel alias in praejudicium dicti reverendissimi domini, ceperunt et habuerunt, tales quoad hoc minime censebuntur ab hujusmodi offensis, laesionibus et injuriis praetextu praesentis reparationis liberatæ, sed de praemissis per reverendissimi domini nostri electi de ecclesia vel ecclesiis praetactis deputandos erunt et remanebunt ad arbitrium particulare praefati reverendissimi domini electi, nec pro casibus aut causis praedictis personae capituli seu capitulorum aut conventuum praedictorum personas praedictas

supportabunt aut defendent, supportabimus aut defendemus. Si tamen dictus reverendissimus dominus noster electus, ultra medium annum post principalis et generalis pacis et concordiae conclusionem, personas ipsas ex clementia suae reverendissimae dignitatis dissimulaverit aut omiserit nominare, vel contra nominatas agere, tali medio anno elapso, censebuntur omnes offensae eisdem personis ex pietate dignitatis suae reverendissimae et animi ejusdem magnitudine remissae et indultae.

» Item ut occasio reconvenientiarum prorsus tollatur pro futuro, quia dominus noster praelibatus conqueritur multos pravos usus, imo abusus, inter personas ecclesiasticas et in praejudicium praeeminentiae suae paternitatis et suae jurisdictionis spiritualis, servatos et inductos fuisse, tales ad honorem reverendissimae dignitatis et nostrae ecclesiae et ordinariae ejusdem jurisdictionis reformabuntur per eumdem dominum cum assistentia et consilio sui capituli.

» Et pro praemissorum majori securitate nos procuratores praedicti, nominibus quibus supra, personas praetactas, et de quibus in praetacto procurationis mandato fit mentio, et quamlibet earum juxta vim formam et tenorem ejusdem mandati, ac nos pro ratis nostris et similiter alias personas praetactas, a quibus mandatum non habemus pro ratis suis, quatenus de jure et consuetudine possumus eorumque beneficia et sua bona praesentia et futura obligamus pro satisfactione hujusmodi et juxta modum solitum facienda, videlicet medietatem infra sex hebdomades, conclusionem generalis pacis civitatis Leodiensis et patriae immediate sequentes, et reliquam medietatem infra annum ex tunc subsequentem, ac solemni stipulatione interveniente ad manus notarii infrascripti, nomine dicti reverendissimi domini nostri electi et aliorum interesse habentium recipientis, promittimus. Ita quod ipse dominus noster electus, aut sui in ea parte procuratores, manus ad bona et beneficia non satisfacientium apponere poterunt et apprehendere usque ad satisfactionem quotarum suarum et expensarum ob hoc rationabiliter fiendarum; spondemusque nos facturos et procuraturos ratificationem expressam praemissorum a dictis dominis decanis seu vicedecanis ex capitulis praelibatis per litteras publicas earumdem ecclesiae et secundariarum ecclesiarum hujusmodi sigillatas infra quindecim dies proxime et immediate sequentes, si interim nobis tutus pateat accessus ad eamdem civitatem pro praemissis peragendis, alioquin quamprimum facere poterimus sine fraude. »

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto,

mensis decembris die vicesima octava, hora nona de mane vel circiter, praesentibus in domo abbatis Alnensis, sita in parvo oppido Huyensi, honorabilibus et discretis viris dominis fratre Nicolao de Castelinia, trecensario dicti monasterii Alnensis, professo ejusdem monasterii, magistro Alexandro de Loyr, canonico Huyensi, et Godefrido de Laer, subbastionario ecclesiae Sancti Petri Leodiensis, testibus, etc., domini Johannes de Seranio, Johannes de Quercu, Eustachius de Atrio et Everardus de Vervenholt praelibati, coram venerabilibus dominis et magistris Hermanno de Eldris cancellario, et Roberto de Moriamis, consiliariis dicti reverendissimi domini nostri electi, ac nomine ipsius, recipientibus obtulerunt, fecerunt et stipulatione interveniente, etc., promiserunt singula alia in praesenti cedula contenta fecerunt in meliori forma.

Anno sexagesimo sexto praescripto, die vero nona mensis januarii, hora decima ante meridiem vel circiter, venerabiles domini Hubertus Brongnet vicedecanus majoris, Henricus Borman Sancti Martini, Arnoldus de Baest Sancti Pauli, Gheymarus de Nyssem, Sanctae Crucis decani, Henricus de Wyhonia, Sancti Petri, Johannes Buckinck, Sancti Johannis ewangelistae, Anthonius Andreae Brose, cantor Sancti Dionysii, vicedecani, et nonnulli canonici Sancti Bartholomaei secundariarum Leodiensium et quampluris canonici earumdem secundariarum ecclesiarum exposuerunt et dixerunt in nostra notariorum et testium subscriptorum praesentia se et capitula dictarum majoris et secundariarum ecclesiarum preascripta omnia et singula, pridie, septima scilicet die dicti mensis, ratificasse, et adhuc melioribus modo et forma quibus possunt ratificant, et ob hoc se sigilla dictarum ecclesiarum hic subtus in praemissorum testimonium appressuros. Super quibus, etc. Acta in camera claustrarii ecclesiae majoris praedictae, praesentibus ibidem dominis Petro de Mierle in eadem majori ecclesia, et Johanne de Hongne in dicta Sancti Pauli ecclesiis capellanis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

De mandato magistri Huberti vicedecani praedicti. — *M. Johannes de Broechusen.*

De mandato praefatorum dominorum decanorum, vicedecanorum et canonicorum secundariarum ecclesiarum praedictarum. — *Woutgherus de Roesele* [1].

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, intitulé : PAIX ET LETTRES, 1465-1467.

[1] Ad calcem hujus documenti additur : « Sciendum est quod haec litera concordiae scripta fuit in uno folio papiri, et subtus consimiles signaturas, duo sigilla, utpote majoris ad causas

XLIX.

LITERAE ABSOLUTIONIS A LUDOVICO BORBONIO, DIE 10 JANUARII 1466, CLERO CONCESSAE.

—

Ludovicus de Bourbon, electus confirmatus Leodiensis, dux Bulloniensis et comes Lossensis, universis et singulis praesentes nostras patentes literas inspecturis salutem in Domino. Quoniam Christi actione, qui mentes voluntatesque sinceras, corda quoque et affectiones humilium intuetur et respicit, edocti, praelatorum, abbatum, canonicorum, monasteriorum et conventuum utriusque sexus mendicantium et non mendicantium singularumque personarum eorumdem ac ecclesiasticorum quorumcumque civitatis et patriae Leodiensis atque comitatus Lossensis, in cedula reparationis comprehensorum [1], humilitatem et reverentiam ab eisdem nobis de puris et sinceris eorumdem praecordiis exhibitas attendentes, eosdem de nostra mera liberalitate et sola clementia consolari pro hujusmodi volentes, omnes et singulas personas praetactas, conjunctim et divisim, ab omnibus et singulis offensis et injuriis occasione contentorum in praetacta cedula reparationis quomodolibet commissis plenarie liberamus et absolvimus, ac omnia et singula juxta modum in eadem cedula expressum remittimus. Ipsasque personas et earum quamlibet ad gratiam nostram pristinam recipimus, ac ipsas reunitas et paces aliis eorum confratribus, qui nos secuti sunt, et sub protectione nostra in omnibus et per omnia esse volumus, ita et taliter quod dictae personae bonis eorum singulis libere uti possint, ad modum quod arrestationes et applicationes quaelibet ubique tollantur quantum in nobis erit. Eisdem etiam personis oppidum Trajectense et quaecumque alia loca et oppida patriarum nostrarum aperimus per praesentes, ut inibi tute morari, stare, ire, et redire cum familia et rebus suis possint secure et libere sine impedimento. Et idem procurabimus pro posse eisdem personis, quoad dominia et patrias illustrissimi domini ducis Burgundiae, etc., nostri avunculi. Impendemus insuper omnem assistentiam,

et commune ecclesiarum, fuerunt appressa. Et nos notarii prothocollum ratificationis subtus positum extensius fecissemus, sed non potuimus propter spatii parvitatem. »

[1] Vid. supra p. 551.

favorem et auxilium eisdem personis ac illorum cuilibet, ad obtinendum plenariam reconcilationem et rehabilitationem, quibus forsitan occasione non observationis interdicti aut alias indigebunt. Eisque quantum in nobis erit in recuperatione bonorum suorum assistemus, ac in suis bonis et beneficiis conservabimus et defendemus et pro praemissis favorabiliter sanctissimo domino nostro papae et aliis dominis amicis nostris in romana curia et alibi existentibus, toties quoties opus erit, scribemus et per dictum dominum avunculum nostrum ejusque unigenitum consanguineum nostrum illustrissimum scribi procurabimus. Utemur quoque omni facultate nobis in praemissis et certa praemissa per eumdem sanctissimum dominum nostrum concessa seu quomodolibet concedenda, cum dictis personis ecclesiasticis favorabiliter. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum sigillum nostrum secretum praesentibus jussimus appendendum. Datum in oppido nostro Sancti Trudonis anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto mensis januarii die decima.

Per dictum meum reverendissimum atque metuendissimum supradictum et de ejus speciali mandato. — *De Troncillon.*

M. *Johannes de Broechusen,* quoad copiam ex originalibus literis extractam, collatione diligenti ad eas facta [1].

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, intitulé : PAIX ET LETTRES, 1465-1467.

[1] Ad calcem hujus documenti additur : « Sciendum est quod adhuc alia habetur litera praescriptae literae fere consimilis quae sic incipit :

Ludovicus de Bourbon, electus confirmatus Leodiensis, dux Bullonicusis et comes Lossensis, universis et singulis praesentes nostras patentes literas inspecturis salutem in Domino. Quoniam Christi actione, qui mentes voluntatesque sinceras corda quoque et affectiones humilium intuetur et respicit, edocti, decanorum, vicedecanorum et capitulorum ac praelatorum et monasteriorum et conventuum utriusque sexus, ordinis mendicantium et non mendicantium singularumque personarum eorumdem ac ecclesiasticorum quorumcumque in cedula reparationis comprehensorum humilitatem et reverentiam ab eisdem nobis de puris et sinceris eorumdem praecordiis exhibitas, attendentes, eosdem et in omnibus, etc.; per omnia prout in praecopiatis literis continetur.

De mandato speciali reverendissimi ac metuendissimi supradicti domini nostri electi Leodiensis. — DE TRONCILLON.

Ista litera exhibita fuit in mea praesentia coram officiali capituli Leodiensis et per me collationata cum eodem domino officiali, prout in registro meo prothocollorum continetur.

Johannes de Broechusen quoad copiam, collatione diligenti ad originalem literam facta. »

L.

TRAITÉ D'ALLIANCE, DU 23 MARS 1466, ENTRE LA CITÉ DE LIÉGE ET LES VILLES DE DINANT, DE TONGRES, DE FOSSE, DE THUIN ET QUELQUES AUTRES [1].

A tous ceulx qui ces présentes lettres verront et oront salut en Dieu et cognissance de vérité. Faisons sçavoir que nous les maistres, jureis, conseil et université généralement de la noble cité de Liége et de tous les bons mestiers, les maistres, jureis, conseil et université généralement de la bonne ville de Dynant, de Tongre, de Fosse, de Tuyng, de Coving, de Haske [2], de Herck, d'Eick, de Bred, de Blixhe [3], Beringhe et de Stockem, etc., astons tous ensemble et chascun par ly accordeis, loyés et fermées, et nous accordons, loions et fermons, jurons et seelons conjunctement et d'ung comun accord, par le consentement et spontaine volunté de nous tous, que jamais en nul temps, que nous fauserons, départirons ne severons [4] de l'ung de l'autre, mais nous aiderons conforterons et assisterons l'ung l'autre de tout nostre puissance allencontre de tous ceulx, qui ont excédeit ou pouront excéder ens causes où ensy sont tous ceulx qui feront d'ors en avant telz ou semblables excès. En oultre nous alloyons contre tous ceulz qui les voront assister, assisteront ou les conforteront par quelcque manière que ce soit. Et tout premier est assçavoir que nous avons heu guerres et discordz contre très-hault et

[1] « Cette pièce, dit M. de Gerlache (ouvr. cit. p. 87), contient le jugement qui fut rendu par *une commission*, composée des maîtres et jurés, d'accord avec les trente-deux métiers, contre Jean de Seraing, Gérard le Pannetier, Gilles de Metz, et Mathieu Hawes, négociateurs de ladite paix (de St-Trond, du 22 décembre 1465). La sentence était fondée sur ce que, contrairement à leur mandat, ils avaient stipulé séparément pour la cité et quelques-unes des bonnes villes, au lieu de les comprendre toutes dans le même pacte, et sur ce qu'ils avaient livré des concitoyens à leurs ennemis : on les y qualifie de traîtres, de parjures, de marchands de chair humaine. Et en effet les Dinantais ne furent point du nombre de ceux que le duc reçut en sa grâce; mais c'est qu'il les en avait formellement exceptés. Le traité d'alliance et le jugement sont évidemment l'œuvre de la faction de Raes de Heers, réagissant contre les anciens magistrats et les bons bourgeois, représentés alors par Gilles de Metz, qui voulait la paix avec le duc de Bourgogne, comme unique moyen de salut. »

[2] Hasselt.

[3] Bilsen.

[4] *Severons*, séparerons.

Item, que ledit Nicolas se transporta et vint en la chambre desdits comptes, le xe de juing l'an LXVIII, qui est près de sept mois après la date de ses lettres dessusdites, en y présentant icelles avec aussi unes autres lettres closes, signées de la main de mons^{r} de Humbercourt, par lesquelles il pria et requist ausdits des comptes, de, en faveur de lui, vouloir recevoir ledit Nicolas à sérement dudit office, et au regard de la caution que icellui Nicolas estoit tenu baillier ausdits des comptes, selon le contenu de sadite commission en la manière dicte, mondit seigneur de Humbercourt, par sesdites lettres en a promis estre son plesge, sa caution et respondant, de telle somme qu'il appartiendrat, et se besoing estoit, d'en baillier ausdits des comptes autres ses lettres, telles qu'il appartiendroit, comme lesdites deux lettres sont incorporées de mot à mot en ung quayer ataché cy-après.

[1] M. Gachard, dans sa *Notice historique sur la Chambre des Comptes*, dit que *Zeghere Sweels* fut nommé auditeur en 1473, lorsque Charles-le-Téméraire réunit les chambres des comptes de Lille et de Bruxelles en une seule, à Malines, et qu'il fut continué dans ces fonctions, lorsque la duchesse Marie fixa de nouveau le siége de la chambre des comptes à Bruxelles. INVENTAIRES DES ARCHIVES DE LA BELGIQUE, *Notice historique sur la Chambre des Comptes*, tom. I, pp. 13, 15, 113 et 117.

[2] Voyez ci-dessous la commission qui lui fut donnée le 4 juin 1472.

Item, que néantmoins et non obstant ce que dit est, est bien vray que lesdits des comptes délaïèrent lors aucunement la chose, veu que c'estoit une chose nouvelle, et dont ilz ne sçavoient gaires à parler; ayant aussi regard ad ce que lesdites ses lettres de commission estoient jà données près de sept mois, comme dit est, ensemble aussi de ce qu'il avoit mis et baillié pour caution mondit s^r^ de Humbercourt, dont lesdits des comptes firent premiers ung pau de difficulté, pour ce qu'il estoit officier de monseigneur. Néantmoins, pau après, messeigneurs des finances, de ce adverti par ledit Nicolas, envoièrent unes leurs lettres closes, escriptes à Bruges, le xxe de may LXVIII, par lesquelles, veu que leur entendement estoit que, à quelque officier de mon seig^r^, s'il estoit recéant pour baillier caution, n'avoient veu faire aucune difficulté, sinon qu'il fust officier de recepte, ce que n'estoit pas ledit seig^r^ de Humbercourt, lesdits commis mandèrent ausdits des comptes, affin de recevoir ledit Nicolas à sérement dudit office, et mondit s^r^ de Humbercourt pour sa caution, comme il appert plus à plain par sesdites lettres, dont aussi la copie est incorporée oudit quayer. Ainsi que incontinent après la réception d'icelles lettres ledit Nicolas a esté receu à sérement par lesdits des comptes, comme il appert par la vérification de ce faicte, rescripte sur le dos de ses lettres de commission dessusdites. Et ne scèvent lesdits des comptes autre chose que ledit Nicolas n'ait ainsi excercé et déservy ledit office sans deffense ou quelque empescement, en ce par eulx mis ou fais en quelque manière.

Item, pour ce que mondit s^r^ de Humbercourt a promis, entre les autres, en sadite lettre de caution, se besoing estoit, d'en baillier autres ses lettres et de telle somme qu'il appartiendroit, si ont lesdits des comptes, ad ceste cause, par pluseurs fois parlé et communiquié enssemble, pour en faire unes autres lettres patentes, soubz le seau de mondit s^r^ de Humbercourt, en laquelle seroit mise, déclairée et déterminée la somme de ladite caution. Mais pour ce que lesdits des comptes n'ont peu bonnement estre acertené de la propre valeur et maniance, ou recepte totale et entière dudit office, ilz ont encoires différé jusques à ores d'y plus avant entendre ou procéder, jusques ad ce que mieulx et plus sceurement ilz en pourroient estre advertiz et acertenez; meismement aussi pour ce qu'il n'y avoit pas de haste, veu que lesdits des comptes tindrent adès ladite caution desjà mise et faicte par mondit s^r^ de Humbercourt, et par ses lettres closes, signées de sa main, comme dit est, pour vaillable, jusques ad ce toutesvoies que ladite somme d'icelle caution,

limitée et déterminée, autres lettres patentes, selon le stile de ladite chambre, en seroient faictes et expédiées, comme mondit seigneur de Humbercourt ce a aussi promis de faire par ses lettres closes dessusdites, et dont aussi jà longtemps certaines minutes ont esté conceues, estans encoires en ladite chambre, qui toutesvoies encoires n'ont sorti leur effect, qui est par faulte de ladite limitation et détermination de la somme de la caution dessusdites. Et pour vériffier que les lesdits des comptes ont tousjours toutesvoies tenu lesdites lettres closes pour vaillable, comme dessus, ce semble assez apparoir parce que, après la réception desdites lettres de mess^rs des finances, lesdits des comptes receurent incontinent ledit Nicolas à sérement, et ne lui firent oncques, après ce, quelque délay ou empescement, en manière quelconque, ains lui ont laissié plainement et paisiblement excercer et déservir ledit office, et lui en joïr et user selon le contenu de sadite commission.

Item, et pour ce que ladite commission, entre les autres, est aussi chergié que ledit Nicolas est tenu dudit son office rendre bon et loyal compte et réliqua, au prouffit de mondit seig^r, etc., et pour aussi, par ce, povoir sceurement sçavoir et estre acertené de la valeur ou somme totale de ladite recepte, affin d'y prendre fondement pour limiter et déterminer la somme que l'on pourroit mettre èsdites lettres patentes de caution de mondit seig^r de Humbercourt, en la manière dicte, ont lesdits des comptes, par leurs lettres closes, mandé par pluseurs fois ledit Nicolas, affin de venir rendre compte de sondit office, à quoy ilz n'ont peu légièrement parvenir, obstant certaines autres occupations que tousjours nécessairement, meismement pour à grand paine recevoir les deniers de ladite récepte dudit Nycolas, et autres affaires touchant aussi sondit office, en quoy il lui a convenu journelement besongnier, pour à toute diligence recouvrer et parfurnir iceulx deniers, etc.; comme se peut aussi apparoir par aucunes lettres d'excusation dudit Nycolas (dont entre les autres, l'une est en date de xij de février l'an LXX), narrées de certaines lettres par lesdits des comptes auparavant à lui envoiées, contenant en substance, que combien iceulx des comptes par pluseurs fois, eurent rescript audit Nycolas, pour venir devers eulx pour la reddition de sesdits comptes, néanmoins ilz n'en avoient eu quelque nouvelles, dont ilz ne se povoient assez esmerveiller, et lui escripvèrent cette fois pour toutes, que incontinent il venist sans délay, ou autrement il leur en conviendroit ad-

vertir monseigneur le duc, affin d'y pourveoir, etc. Par lesquelles ses lettres d'excusation, il dist que la pénultime fois que l'on lui avoit escript et mandé, il pria et requist à monseig[r] le prothonotaire, pour aucunes occupations que ledit Nycolas pour lors avoit, affin de tant faire devers eulx qu'ilz prenissent ung pau de pacience, et lequel mons[r] le prothonotaire lui avoit depuis rescript que ainsi l'avoit fait, et que iceulx des comptes furent contens jusques à la chandelleur ou xv jours après; et que, en enssuieuvant ce, jà xiiij jours avoit que cellui Nycolas estoit parti de Trecht jusques à Louvan, à tout ses papiers, en entention d'aler devers lesdits des comptes, mais receut illec certaines lettres de messeigneurs de Liége et de Humbercourt, par lesquelles lui fu mandé de soy retourner audit lieu de Trecht, comment que ce fust, pour certaine journée qui s'y tendroit, etc., comme lesdites lettres d'excusation dudit Nycolas le contiennent plus à plain, priant pour ce encores icelluy Nycolas pour délay. Pareillement escripvi alors aussi mondit seig[r] de Liége ausdits des comptes, par ses lettres estans de la meisme date de celles dudit Nycolas dessusdit, par lesquelles il requéroit pareillement, obstantes les choses dessusdites, délay pour ledit Nycolas, comme lesdites lettres taut dudit Nycolas que de mondit seig[r] de Liége le contiennent plus au long, lesquelles aussi sont transcriptes audit quayer cy-après.

Item, que pau après, assavoir au xx[e] jour dudit mois de février, sont venuz et comparuz avec ledit Nycolas Mathieu, en la chambre desdits comptes, de par mondit seig[r] de Liége, certains ses députez, assavoir : maistres Anthoine Lestournel, Nycolas Rohault, son secrétaire et auditeur en la chambre de ses comptes, et Guillaume Roderborch, de sa ville de S[t]-Tron, présentans iceulx députez certaines lettres closes de mondit seigneur de Liége, escripte le xv[e] de février dessusdit, contenant en substance comment ledit Nycolas, avoit requiz à mondit seig[r] de Liége, que les députez des gens des trois estas de ses pays allassent avec lui et feussent devers lesdits des comptes, pour estre présens à la reddition de sesdits comptes, que lors il avoit à rendre devant eulx, affin de procéder plus facilement et à plus briève expédition à l'audition des autres comptes que ledit Nycolas, comme receveur des gabelles, avoit à rendre par devers iceulx estas, et aussi de mieulx addreschier et avancier dès lors en avant les payemens de mondit seigneur le duc, etc., comme icelles lettres le contiennent plus à plain. Présentèrent aussi et baillèrent oultre lesdits députez audits des comptes certaine mémoire en papier, en

laquelle sont comprins pluseurs poins, dont ilz firent remonstration à iceulx des comptes; lesquelles mémoire et lettres de mondit seigneur de Liége dessusdits, sont aussi transcriptes oudit quayer cy-après, èsquelles en appert tout au long. Néantmoins pour ce que lors ledit Nycolas dit encores et remonstra, que pour pluseurs grandes occupations qu'il avoit eu de recevoir pluseurs deniers èsdits pays de Liége et de Loz, pour et au prouffit de mondit seigneur, ainsi que par icellui s^r et mess^rs de ses finances lui avoit esté ordonné, et meismement que jusques alors ne lui estoit baillié aucun ordre pour mettre en forme et estat sesdits comptes, iceulx ses comptes estoient encore bien mal pretz, pour rendre et baillier oultre, ainsi comme par lesdits des comptes il estoit chargié; requérant pour ce ledit Nycolas. et aussi que lors il charge de par monseigneur le duc, de avec maistre Jacques Blanchot, secrétaire d'icellui seig^r et serviteur de mons^r le prothonotaire de Clugny, incontinent et à toute diligence faire venir ens desdits pays, tous les deniers que illec lui povoient estre deuz, pour iceulx par ledit maistre Jacques, en oultre estre délivrez là. et ainsi que de par mondit seigneur lui estoit ordonué, etc.; de laquelle charge lesdits des comptes furent acertenez par ledit maistre Jacques. Par quoy lesdits des comptes, eu regard ad ce que dit est, ont renvoié ledit Nycolas audit Liége. pour accomplir sadite charge, et lui assignèrent ung aultre jour préfix, pour revenir et rendre ses comptes dessusdits. Ce que ainsi fut aussi dit et remonstré ausdits députez, enssemble aussi se leur plaisir estoit, de retourner audit jour assigné audit Nycolas, que lors lesdits des comptes y besoingneroient tellement que mondit seigneur de Liége par raison seroit bien content d'eulx. Toutesvoies ce non obstant, n'a ledit Nycolas aussi sceu ne peu venir audit jour préfix en ladite chambre, pour rendre sesdits comptes, ne pareillement d'icellui jour préfix en avant, obstant plusieurs charges et occupations à lui tousjours survenues, par quoy il n'y a peu entendre en nulle manière, sinon naguères que icellui Nycolas a esté venu en ladite chambre, en y présentant certain son compte de la maniance par lui eue ad cause de sondit office, comme par pluseurs et diverses foiz lui avoit esté mandé et ordonné, comme assez devant est touché.

Item, que quand l'on a commenchié examiner ledit compte et y entendre et volu besongnier, l'on a trouvé icelui compte en tel estat, et si petitement et sobrement fondé, que lesdits des comptes n'y ont osé procéder, ains ont ledit receveur fait retraire jusques ad ce que de par eulx, il

seroit remandé, et ont lesdits des comptes, ce temps pendant, par leurs lettres closes, escriptes le premier jour d'octobre derrain passé, en adverti mesdits seig^rs des finances, qui de tout mieulx scèvent à parler, veu aussi qu'ilz en ont eu plus grande congnoissance que ne font ou ont eu lesdits des comptes, affin que, pour leur fondement et arrest, en ceste partie par mesdits seigneurs des finances leur fust envoïé par le porteur desdites lettres en escript par bonne distinction toutes telles parties et sommes de deniers, fussent héritables, à payer comptans, par termes d'années ou autres, en quelque manière que ce feust, dont, selon le contenu de ladite commission, l'on doit et est tenu de chargier ledit Nicolas, affin que après et ce eu, lesdits des comptes eussent peu sceurement et deuement entendre et procéder à l'examination et clóture dudit compte comme il appartiendroit, ainsi que lesdites lettres le contiennent plus à plain, lesquelles sont aussi transcriptes ou quayer dessusdit.

Item, comment mons^r de Middelborch [1], luy estant à Yppre, après la réception d'icelles lettres desdits des comptes, et lesquelles lui furent envoiées par ordonnance de monseigneur, par messieurs les maistres de la chambre, aux deniers et argentier de mondit seigneur de la ville de Crotoy [2], qui lesdites lettres illec premiers avoient receues en absence, de messeigneurs des finances, qui pour lors furent tous absens de la court, a escript pour responce et mandé par ses lettres ausdits des comptes, que de ce dont ilz avoient escript par leursdites lettres il ne povoit ne sçavoit baillier quelque response finale, ains lui fauldroit premiers parler et communicquier avec ledit Nicolas, touchant ceste matière, pourquoy il ordonna ausdits des comptes par icelles ses lettres que incontinent ilz manderoient ledit Nicolas venir devers eulx, et l'envoieroient à Lille où il seroit encoires bien iiij jours, ou se sitost il n'y pourroit estre, qu'il lui siuvieroit à St-Omer, comme lesdites lettres le contiennent plus à plain.

Item, que enssieuvant lesdites lettres de mondit seigneur de Middelborch, et incontinent après la réception d'icelles, iceulx desdits comptes ont à toute diligence mandé venir devers eulx ledit Nicolas Mathieu, lequel venu ont incontinent envoié oultre devers mondit seigneur de Middelborch, pour avec lui besongnier en ceste matière, comme il appartiendroit, et n'en ont depuis iceulx des comptes oy quelques nouvelles.

[1] Pierre Bladelin, seigneur de Middelbourg, en Flandre.

[2] Courtrai.

Item, encoires par espécial, comment naguères a esté venu en ladite chambre Robert de Boulongne, avec aussi deux notaires apostolicques, et certaines autres personnes y appellez comme tesmoings, et y a exibé en présence d'iceulx certaines lettres patentes de procuration de mondit seig^r de Humbercourt, par lesquelles entre autres il donne povoir audit Robert de aller et comparoir en ladite chambre des comptes, et illec, en la présence des gens d'iceulx comptes ou d'une partie d'eulx et de deux notaires apostolicques, dire et déclairer comment, l'an mil quatre cens soixante-sept, mondit seigneur le duc ordonna, par ses lettres patentes, Nicolas Mathieu son receveur de tous les deniers ordinaires et extraordinaires, deuz à mondit seigneur èsdits pays de Liége et de Loz. à la charge d'en faire sérement et baillier caution en ladite chambre des comptes, et que alors lesdits des comptes, pour ce que ledit Nicolas n'avoit point de caution, retindrent en leurs mains lesdites lettres de commission, combien que mondit seig^r de Humbercourt leur en avoit escript par ses lettres closes aucune chose touchant ladite caution, dont ilz ne furent contens, comme il apparut et appert parce que encoires ilz ont retenu et retiennent lesdites lettres de commission dudit Nicolas, sans les lui vouloir baillier, par faute de caution, comme dit est; et que toutesvoies lesdits des comptes, soubz umbre desdites lettres closes de mondit seigneur de Humbercourt, veulent maintenant entendre. comme l'on lui a rapporté, que nostredit seigneur de Humbercourt soit plesge et caution dudit Nicolas, laquelle chose icellui monseigneur de Humbercourt n'entend avoir esté ne estre, attendu ce que dit est, et ne le entendist oncques, et aussi que d'ores en avant il n'entend en aucune manière estre plesge ne caution dudit Nicolas, et de ladite déclaration requérir lettres publiques desdits notaires, pour lui valoir ce que de raison, et requérir ausdites gens des comptes que de ce ilz veulent advertir messieurs les commis sur le fait du demaine et finances de mondit seigneur le duc, comme mieulx et plus à plain il puet apparoir par lesdites lettres de procuration, aussi transcriptes cy-après. Laquelle déclaration ledit Robert a ainsi fait par la manière dicte, et en requis ausdits notaires avoir lettres publiques, pour valoir ce que de raison, et requis d'en advertir mesdits seigneurs des finances, comme icelui Robert ce bailla aussi oultre par escript en une petite cédulle, dont aussi copie est transcripte après ladite procuration cy-après.

Item, comment, ce fait, lesdits des comptes bien esmerveilliés de ceste ma-

nière de faire et qui oncques ne oïrent ne véirent le pareil, incontinent ont fait retraire lesdits Robert, notaires et autres tesmoings dessusdits, et ce temps pendant, ont fait copier les lettres de procuration et cédulle dessusdites, et après fait entrer ledit Robert, en lui respondant que l'on y avoit bien oy ce que lui avoit pleu dire, et que c'estoit une chose bien nouvelle et qui oncques n'y avoit esté oye ne veue, en lui disant que ladite déclaration ne faisoit ne froit ne chaut, et que ce qui en avoit esté fait et passé estoit encoires en estre, pour valoir tellement qu'il appartiendroit, sans plus. Ainsi que ledit Robert s'en alla, sans en avoir d'eulx autre responce quelconcque.

Item, pour ce que mondit seigneur de Humbercourt, comme il semble, se fonde fort sur ce que lesdits des comptes auroient retenu en leurs mains lesdites lettres de commission dudit Nicolas, pour ce qu'il n'avoit point de caution, et non obstant que mondit seigneur de Humbercourt leur en avoit escript par ses lettres closes aucune chose touchant ladite caution, et dont ilz ne furent ne encoires ne seroient contens; et comme il seroit apparu et apperroit, parce que tousjours depuis lesdits des comptes auroient retenu et retiennent ladite commission, etc., en la manière déclairée au deuxième article précédent; si fait sur ce respondre, que après l'acceptation desdites lettres de caution de mondit seigneur de Humbercourt, ou temps que ledit Nicolas fist son sérement dudit office, comme devant est déclairé, sesdites lettres de commission furent baillées à feu Michiel De le Wale, lors en son vivant clerc et auditeur desdits comptes, pour par lui estre vériffié, soubz son seing manuel sur le dos d'icelles, affin que par ce il apparust que ledit Nicolas estoit receu audit office, et qu'il en avoit fait le sérement ad ce pertinent, comme il appartient de faire. Ainsi que depuis le trespas dudit feu Michiel, icelle commission a esté trouvée entre les autres escriptures, estre en son hostel en ceste ville, et ainsi entre les autres apportée en ladite chambre, et y est oncques depuis aussi demourée (ainsi que ledit Nycolas n'en avoit gaires à faire, comme il semble bien, parce que paravant l'exhibition par lui faicte d'icelles lettres en ladite chambre, il avoit desjà excercé et déservy ledit office par l'espace près de vii mois, comme dit est, et pareillement a fait oncques depuis et fait encores à présent), pour lui estre rebailliée, quand il y vendroit et apporteroit lesdites lettres patentes de caution, faicte selon ledit stile de la chambre, et la somme d'icelle caution seroit limitée et determinée, ainsi que mondit seigneur de Humbercourt l'a aussi promis de faire par sesdites lettres closes,

comme plus au long il est déclairé ou iiii[e] article cy-devant. Et en ont lesdits des comptes toutesvoies depuis envoié audit Nicolas la copie autentique, à la requeste de mondit seig[r] le prothonotaire, pour soy en aydier sur les comptes que lors icellui Nicolas avoit à rendre de son entremise pardevant les estas dudit Liége, etc.

Et que pour ce, mesdits seigneurs des finances soient de tout bien et au long advertiz, pour par eulx y estre fait ce que pour le droit, prouffit et sceureté de mondit seigneur ilz y verront et trouveront estre à faire, et meismement ausdits des comptes par eulx aussi estre envoiées en escript, par bonne distinction, toutes telles parties et sommes de deniers, soient héritables, à pair, comptans, par termes d'années ou autres, en quelque manière que ce soit, pour quant besoing sera, sur ce povoir fonder les comptes dudit Nicolas Mathieu et à l'examination et cloiture d'iceulx procéder, comme il appartiendroit, ainsi que par les lettres desdits des comptes devant touchés, naguères leur a esté escript et dont aussi mention est faicte cy-devant.

Fait en la chambre des comptes de monseigneur le duc, en sa ville de Brouxelles, le xiiii[e] jour de décembre l'an LXXI.

Archives du royaume, trésorerie de Brabant : BYVOEGSEL AEN DE LAYE VAN LUYK, *minute originale de la Chambre des Comptes de Bruxelles.*

LXIV.

COMMISSION DONNÉE, LE 4 JUIN 1472, A NICOLAS MATHIEU, RECEVEUR DES RENTES APPARTENANT AU DUC DE BOURGOGNE DANS LE PAYS DE LIÉGE ET DE LOOZ [1].

—

Charles, par la grâce de Dieu, duc de Bourgoingne, de Lothier, de Brabant, de Lembourg et de Lucembourg, conte de Flandres, d'Artois, de Bourgoingne, Palatin, de Haynnau, de Hollande, de Zeellande et de Namur, marquis du saint Empire, seigneur de Frise, de Salins et de Malines, à tous

[1] Voyez ci-dessus, p. 597.

ceulx qui ces présentes lettres verront, salut. Comme jà piéçà nous eussions par autres noz lettres patentes commis, ordonné et estably nostre bien amé Nicolas Mathieu à la recepte de tous les deniers à nous appartenans ès païs de Liége et de Loz et leurs appartenances, tant en rentes héritables à rachat et sans rachat, comme en deniers extraordinaires, et aussi de tous autres deniers qui illec nous estoient lors et seroient dès lors en avant deuz et escheuz, et il soit que de la part dudit Nicolas Mathieu, nous ait esté remonstré que puis naguères, de son gré et consentement, nous avons divisé sadite recepte en deux parties, en baillant charge et commission à nostre bien amé Benoitin Depar-Dieu, de recevoir tous nosdits deniers extraordinaires et autres à nous deuz èsdits pays de Liége et de Loz, en réservant à icelui Nicolas seulement la charge de recevoir èsdits pays de Liége et de Loz noz deniers venans à cause des rentes héritables à rachat et sans rachat; par quoy lui est besoing et nécessaire, pour le recouvrement de nosdits deniers, d'avoir sur ce autres lettres et commission de nous, ainsi qu'il dit, en nous suppliant très-humblement qu'il nous plaise icelles lettres lui octroyer et faire expédier, et sur ce lui impartir nostre grâce; savoir faisons, que nous voulans recognoistre les services à nous faiz par ledit Nicolas, tant ou fait de la recepte dessusdite comme autrement, icelui, confians à plain de ses loyaulté, preudommie et bonne diligence, avons commis, ordonné et establi, commettons, ordonnons et establissons de nouvel, en tant que mestier est, par ces présentes, oudit office de recepte d'iceulx nos deniers venans, à cause des rentes héritables à rachat et sans rachat, à nous appartenans èsdits pays de Liége et de Loz, et lui avons donné et donnons plain povoir et auctorité dudit office de recepte d'ores en avant tenir, exercer et desservir, de recevoir et faire venir ens à nostre prouffit tous deniers qui desjà sont et autres qui cy-après nous seront deuz, à cause d'icelles rentes héritables, à rachat et sans rachat, èsdits pays de Liége et de Loz, de contraindre et faire contraindre à les lui paier tous ceulx et celles qu'il appartiendra et qui tenuz y sont et seront, par toutes voies deues et raisonnables, et comme il est accoustumé faire pour noz propres debtes et deniers, et généralement de faire bien et deuement tout ce que bon et loyal receveur dessusdit peut et doit faire, et qui audit office compète et appartient, aux gaiges telz que par autres noz lettres lui seront pour ce cy-après tauxez et ordonnez, et aux autres droiz, honneurs, prérogatives, libertez, franchises, prouffiz et émolumens accoustumez et qui y appartiennent, dont, et d'en ren-

dre bon et loyal compte et réliqua chascun an desdits deniers en la chambre de noz comptes à Brucelles, il sera tenu de faire le sérement à ce pertinent et baillier caution souffisante ès mains de noz amez et féaulx les gens de noz comptes à Brucelles, que commectons à les recevoir de lui. Si donnons en mandement ausdits gens de noz comptes à Brucelles, que lesdits sérement fait et caution par eulx receuz d'icelui Nicolas Mathieu, comme dit est, ilz le mettent et instituent ou facent mettre et instituer de nouvel, en tant que mestier est, de par nous, en possession et saisine dudit office, et d'icelui, ensemble des droiz, honneurs, prérogatives, libertez, franchises, prouffiz et émolumens dessusdits, ilz, nostre lieutenant de l'advouerie èsdits païs de Liége et de Loz, et tous noz autres justiciers, officiers et subgez, cui ce peut et pourra touchier et regarder, leurs lieuxtenans présens et à venir, et chascun d'eulx en droit soy et si comme à lui appartiendra, le facent, seuffrent et laissent dès lors en avant, selon et par la manière que dit est, plainement et paisiblement joyr et user, sans lui faire ou donner ne souffrir estre fait ou donné quelconque destourbier ou empeschement au contraire. Car ainsi nous plaist-il estre fait. En tesmoing de ce nous avons fait mettre nostre seel à ces présentes. Donné en cité lez nostre ville d'Arras, le iiiie jour de juing, l'an de grâce mil CCCC soixante et douze. — Par monseigneur le duc. — *Barradot.*

Le xiiie jour de décembre l'an mil IIII^c LXXII, Nycolas Mathieu, dénommé ou blanc de cestes, fist le serment pertinent de l'office de receveur des rentes héritables, tant à rachat que sans rachat, appartenant à mon très-redoubté seigneur, monseigneur le duc de Bourgongne et de Brabant, etc., ès pays de Lyége et de Loz, dont ou blanc à l'autre costé de ces présentes est faicte mention, en la chambre des comptes de monseigneur le duc dessusdit, en sa ville de Brouxelles, et ès mains de messeigneurs d'iceulx comptes. — Moy présent. — *Prevost.*

Archives du royaume, trésorerie de Brabant : BYVOEGSEL AEN DE LAYE VAN LUICK, *original en parchemin avec le sceau du duc à demi brisé.*

LXV.

DECRETUM LUDOVICI BORBONII, DE DIE 4 JULII 1472, CONTRA PRIOREM ET CONVENTUM CARMELITARUM CIVITATIS LEODIENSIS, NOLENTES AD REGENTIAE OFFICIUM ADMITTERE HUBERTUM LEONARDI [1].

—

Ludovicus de Bourbon, Dei et apostolicae sedis gratia, episcopus Leodiensis, dux Bulloniensis et comes Lossensis, etc. Universis et singulis abbatibus, prioribus, praepositis, gardianis, lectoribus et conventibus quorumcumque monasteriorum necnon parrochialium ecclesiarum et capellarum rectoribus per civitatem et dioecesim nostras Leodienses constitutis, seu loca tenentibus eorumdem, ad quem vel ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem in Domino. Quia nos tam pervigili experientia quam fide dignorum testimonio jam comperimus eximium famosumque virum magistrum Hubertum Leonardi, sacrae theologiae professorem, religiosum ordinis beatae Mariae de Monte Carmeli, consiliarium et confessorem nostrum, atque in dioecesi nostra haereticae pravitatis inquisitorem, fuisse et esse virum probatae vitae, et commendabilis religionis : idcirco alias eidem magistro Huberto, tunc meritis suis exigentibus promoto et deputato per venerabilem dominum generalem dicti ordinis ad officium regentiae in conventu monasterii civitatis nostrae Leodiensis praedicti ordinis, litteras nostras recommendatorias et promotorias concessimus, post quas religiosos dominos priorem et conventum praedicti monasterii in dicta nostra civitate constituti exhortati fuimus, quatenus dictum magistrum Hubertum, recommissum ad dictum regentiae officium, admittere sine difficultate deberent, juxta vim, formam et tenorem litterarum commissariorum sibi a praefato generali suo desuper concessarum, et quanquam ob hoc non licuerit neque liceat dictis priori et conventui monasterii civitatis nostrae quidquam pervitiosum sugessisse praefato generali suo, in contemptu litterarum nostrarum recommendatoriarum praetactarum, nisi prius nobis et dicto

[1] In anno 1474 episcopus Dariensis et Borbonii suffraganeus fuit consecratus, et partem non modicam habuit iis in rebus, quae hoc tempore actae sunt. De ipsius legatione in Galliam, vid. supra p. 77. Cfr. Ernst, *Tableau hist. des suffragans*, p. 146.

magistro Huberto ad hoc rite vocatis. Nihilominus tamen iidem prior et conventus, praetendentes se litteras revocatorias ab eodem suo generali contra praefatum magistrum Hubertum consiliarium nostrum non vocatum, non auditum, neque convictum, propter ejus demerita licet non expressa neque probata, impetrasse et obtinuisse, ob hoc eum ad praedictum regentiae officium admittere recusarunt et recusant. Et quod deterius est, iidem prior et conventus, per alias nostras certi tenoris litteras vocati, quatenus certis die et hora competentibus, tunc futuris, jamdiu praeteritis, comparerent coram nobis per se vel eorum deputatum ad hoc ab eis sufficienter instructum, allegaturi causas rationabiles, propter quas ipse magister Hubertus indignus foret officio praetacto, cum ea etiam intimatione quod si qua labes inveniretur, ipsi magistro Huberto impressa, propter quam veniret ab hujusmodi regentiae officio excludendus, extunc sibi per nos quaevis defensio praestari non deberet. Quod si nihil reprehensione dignum in eo posset reperiri, extunc ipsi prior et conventus, omni rancore abjecto, salutaribus monitis et exhortationibus nostris parere curarent, coram nobis in termino hujusmodi eis statuto comparere, vel causam aliquam allegare recusarunt. Quin imo spretis pastorali dignitate nostra litterisque et exhortationibus nostris, nobis, eisdem litteris et exhortationibus nostris obtemperare non curarunt neque curant, in animarum suarum grave periculum. Verum quia superiorum suorum gratiam non merentur, qui superiores suos agnoscere contemnunt, idcirco omnes et singulas gratias per nos dictis priori et conventui monasterii carmelitarum civitatis nostrae Leodiensis hactenus concessas super audiendas confessiones et impendendas absolutiones in casibus episcopalibus, praedicationibus et quaestis faciendis, divinis celebrandis extra eorum monasterium in aliis monasteriis, ecclesiis, capellis et locis publicis dioecesis nostrae, praefato magistro Huberto in iis duntaxat excepto, cassamus, revocamus et annullamus, atque pro cassatis, revocatis et annullatis haberi volumus; inhibentes vobis omnibus et singulis supradictis, sub poenis suspensionis a divinis officiis et excommunicationis latae sententiae, ne quis vestrum in ecclesiis, monasteriis vel capellis suis, praedictos priorem et conventum aut singulares personas ejusdem conventus ad confessiones audiendas, praedicationes et quaestus facienda aut quaeque divina celebranda eis per nos olim generose indultas et indulta admittere praesumat: alioquin vos et vestrum quemlibet in iis rebelles praetactas poenas et censuras ipso facto volumus subjacere. In quorum omnium fidem et testimonium prae-

missorum praesentes literas sigilli nostri ad causas fecimus et jussimus appensione communiri. Datum in oppido nostro Trajectensi, sub anno a nativitate Domini M° CCCC° LXXII° mensis julii die quarta.

Sic signatum de speciali mandato reverend. Leodiensis, praesentibus dominis vicario, praesidenti et pluribus de concilio. — *Jo. Lupi.*

Collatio facta est de praesenti copia ad originales sanas et integras cum quibus ipsa concordat sine quacumque discrepantia, per me G. de Sanctis, apostolica et imperiali auctoritatibus notarium publicum.

Bibl. royale, MS. 9149; *dernier feuillet de garde d'un* SPECULUM HISTORIALE, *écrit par Laurent de Stavelot.*

LXVI.

SIXTI IV CONSTITUTIO, DATA TERTIO NONAS DECEMBRIS 1472, QUO PRIVILEGIA EXEMPTIONIS ECCLESIARUM COLLEGIATARUM DIOECESIS LEODIENSIS CONFIRMANTUR [1].

—

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decanis et capitulis omnium et singularum collegiatarum ecclesiarum civitatis et dioecesis Leodiensium praesentibus et futuris salutem et apostolicam benedictionem. Exigit devotionis vestrae sinceritas, quam ad nos et apostolicam sedem gerere comprobavistis, ut vestris humilibus et honestis votis, quantum in Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet omnes ecclesiae collegiatae civitatis et dioecesis Leodiensis, illarumque decani et capituli, singulique canonici et personae ac illis suppositi a tanto tempore, cujus contrarii memoria non existit, ab omni jurisdictione, potestate, dominio et superioritate episcopi Leodiensis pro tempore existentis, suorumque decanorum et officialium penitus exemptae et sedi apostolicae subjectae fuerint et existant; ita quod episcopi Leodiensis ac vicarii et officialis praedicti etiam ratione delicti, contractus vel rei, de illis

[1] Idem pontifex anno 1479, ecclesiae cathedralis Leodiensis privilegia confirmavit, et antiquis nova addidit.

tanquam exemptis et liberis nullatenus se intromiserint, prout nec modernus episcopus se etiam intromittit. Nihilominus quia causante destructione civitatis Leodiensis, privilegia et exemptiones hujusmodi vel ignis incendio consumpta vel alias perdita fuerunt, ita quod de illis apparere vel de praedicta exemptione, alias quam per longaevam consuetudinem, fides fieri non potest, dubitatis contra hujusmodi privilegia et exemptiones molestari posse tempore procedente. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut, attenta hujusmodi longaeva consuetudine et quod privilegia ipsa consumpta vel deperdita sunt, ut praefertur, quodque tam modernus quam ejus antecessores episcopi Leodienses exemptionem hujusmodi recognoverunt et in eorum assumptione illi non contradixerunt vobis, quod sicut hactenus per eosdem episcopos molestati non fuistis, ita nec in futuris molestari possitis, alias quod in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quieti et tranquillitati vestrae et ecclesiarum, necnon canonicorum, personarum et suppositorum eorumdem, quantum cum Deo possumus, providere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati vobis, dummodo de hujusmodi consuetudine et pacifica possessione constet, quod sicut hactenus per ipsos episcopos molestati non fuistis, ita nec in futuris molestari possitis, quodque praesentes litterae ad probandum plene exemptionem hujusmodi in judicio et extra ubique sufficiant, et illis stetur firmiter, sicuti privilegiis praedictis staretur, si originaliter apparerent, nec ad id prolationis alterius adminiculum requiratur, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, decernentes ex nunc omnes et singulos processus, sententias, censuras et poenas, quos et quas per modernum et pro tempore existentes episcopos Leodienses, eorumque vicarios et officiales, contra dictam consuetudinem ac tenorem praesentium literarum, in odium vel praejudicium ecclesiarum, decanorum, capitulorum, personarum et suppositorum earumdem praesentium et futurorum rerum et bonorum vestrorum et suorum, forsan haberi vel promulgari, necnon secus quicquam a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita et inania nulliusque existere firmitatis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit in-

cursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadragintesimo septuagesimo secundo, tertio nonas decembris pontificatus nostri anno secundo.

Bibl. royale de Bruxelles, MS. n. 10898-10952.

LXVII.

SIXTI IV LITERAE EXTENSIONIS SEU DECLARATIONIS CONSERVATORIAE, QUAM NICOLAUS V DECREVIT, AD ABBATEM MONASTERII S. LAURENTII ET DECANOS ECCLESIARUM SS. APOSTOLORUM COLONIENSIS ET S. JOHANNIS TRAJECTENSIS, DATAE SEPTIMO KALENDAS NOVEMBRIS 1473[1].

—

Sixtus, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Laurentii extra muros Leodiensis, et sanctorum apostolorum Coloniensis et Sancti Johannis Trajectensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem. Gregi divino licet immeriti divina praeordinatione praesidentes, circa curam ecclesiarum omni solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum pastoralis officii earum occurramus dispendiis et profectibus et divina cooperante clementia intendamus. Dudum siquidem per felicis recordationis Nicolaum papam quintum, praedecessorem nostrum, dilectorum filiorum decanorum, capitulorum, singulorumque canonicorum et personarum collegiatarum civitatis et dioecesis Leodiensium ecclesiarum conquaestione percepta, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, aliique ecclesiarum praelati et clerici ac ecclesiasticae personnae, tam religiosae quam seculares, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laïci, civitatum universitates, oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac aliae singulares personae civitatum et dioecesis, partiumque diversarum, contra laudabiles consuetudines a tanto tempore, cujus contrarii memoria non existit, inviolabiliter observatas, necnon privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates et francisias, ipsis decanis, capitulis, canonicis, personis

[1] Vid. supra p. 401.

et ecclesiis in genere vel in specie etiam a sede apostolica concessa, temere venientes, ipsos et dictarum ecclesiarum supposita communiter et divisim eo fortius et gravius impugnare praesumebant, ac majores injurias, molestias et jacturas eis conabantur inferre, quo per illa erant donati majori libertate, sic pro parte eorumdem decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum eidem praedecessori humiliter supplicato, ut cum eis valde redderetur difficile pro singulis querelis ad praefatam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaret. Idem praedecessor vobis, vestris propriis nominibus non expressis, per apostolica scripta dedit in mandatis, ut vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etiam, si essent extra loca in quibus deputati eratis, conservatores et judices praefatis decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis communiter et divisim efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittentes eos vel eorum aliquem contra consuetudines et franciscis ac privilegiorum, indultorum, exemptionum, libertatum et immunitatum hujusmodi formas et tenores a praedictis vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina vel injurias irrogari, facturi dictis decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo desuper essetis requisiti, de quibuslibet molestiis, gravaminibus atque injuriis, tunc praesentibus et futuris, in illis videlicet quae judicialem requirebant indaginem, summarie de plano sine strepitu et figura judicii; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit justitiae complementum praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel nobilitatis forent, quandocumque et quotiescumque expediret, per censuram ecclesiasticam et alia optima juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, prout in ejusdem praedecessoris literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicuti exhibita nobis nuper pro parte decanorum, capitulorum, singulorumque canonicorum, personarum et suppositorum praedictorum petitio continebat, a nonnullis revocetur in dubium an archiepiscopi, episcopi et alii praelati inferentes eisdem decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis, molestias, injurias atque damna in bonis mobilibus et immobilibus ad ipsos decanos, capitula, canonicos, personas et supposita, tam ratione canonicatuum, praebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, quae in dictis ecclesiis

obtinent, quam alias quomodolibet pertinentibus, ipsorumque decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum debitores, ratione canonicatuum et praebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum praedictorum et alias etiam alia quam beneficiorum ecclesiasticorum occasione eorum vobis dictarum litterarum vigore in causam trahi possint et ad judicium evocari, vosque contra eosdem molestatores, injuriatores et debitores juxta earumdem literarum continentiam procedere et justitiam ministrare velitis, pro parte decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praedictum ambiguitatis dubium submovere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus contra archiepiscopos et alios, in dictis litteris expressos, inferentes eisdem decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis injurias, molestias atque damna in bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ad ipsos decanos, capitula, canonicos, personas et supposita, tam ratione quorumcumque beneficiorum suorum ecclesiasticorum quam personarum suarum ac alias qualitercumque et quavis occasione seu causa spectantibus et pertinentibus, necnon contra quoscumque eorumdem decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum etiam alia quam beneficiorum ecclesiasticorum ratione debitores alias juxta dictarum litterarum continentiam atque formam procedatis, et justitiam faciatis in omnibus et per omnia, perinde ac si in eisdem litteris de bonis et debitoribus praedictis plena et expressa mentio facta fuisset, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem praedecessor in dictis literis voluit non obstare caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, septimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Bibl. royale de Bruxelles, MS. n. 10898-10952.

LXVIII.

LITERAE LUDOVICI BORBONII, DE DIE 1 FEBRUARII 1476, QUIBUS CLERI LEODIENSIS PRIVILEGIA CONFIRMAT.

Ludovicus de Bourbon, Dei et apostolicae sedis gratia, episcopus Leodiensis, dux Bulloniensis et comes Lossensis, dilectis nobis in Christo abbatibus, decanis, prioribus, vicedecanisque, capitulis et conventibus monasteriorum et ecclesiarum nostrarum collegiatarum, tam secundariarum civitatis quam forensium, totique clero patriarum et dioecesis nostrarum Leodiensium, salutem in Domino sempiternam.

Grata nobis per vos saepius impensa obsequia, et quae in dies sollicitis studiis impendere non desistitis, aliaque vestra merita nos inducunt, ut vobis ad gratiam reddamur liberales. Volentes itaque vobis praemissorum meritorum vestrorum intuitu gratiam facere specialem, omnia et singula pridem in jucundo adventu nostro per nos, tunc electum et confirmatum Leodiensem, vobis alias sub data anni a nativitate Domini millesimi quadringentesimi quinquagesimi sexti, mensis octobris diei vicesimae sextae, in civitate nostra Leodiensi, per nostras authenticas litteras sub sigillo nostro ad causas, quarum tenores ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae forent hic haberi volumus pro expressis [1], liberaliter concessa, ratificamus, laudamus, innovamus, et robore nostrae ordinariae auctoritatis confirmamus. Necnon ad majorem praemissorum declarationem et ex certa nostra scientia innovationem, jura, privilegia, consuetudines, franciziasque, libertates et exemptiones vestras, ecclesiarumque vestrarum praetactarum ac suppositorum eorumdem, necnon reformationes dudum per piae memoriae reverendum patrem dominum Jahannem de Heynsberch, praedecessorem nostrum, de et super abusibus tollendis, etc., de et cum consensu et consilio venerabilis capituli nostri Leodiensis editas, atque sigillis ipsorum domini Johannis et capituli rite sigillatas, ac etiam per sanctam sedem apostolicam confirmatas, innovamus et ratificamus, volentes et pollicentes, vos et quemlibet vestrum in illis manutenere et conservare, necnon ab omnibus et singulis

[1] Vid. supra, p. 420.

vexationibus, oppressionibus et molestationibus, vobis et cuilibet vestrum, per quascumque personas, tam spirituales quam seculares, de facto et injuste ac contra ecclesiasticam libertatem, franciziasque et exemptiones supratactas, factis et illatis, faciendisve vel inferendis, possetenus defendere, atque attentata revocari facere et realiter procurare cum integra restitutione ablatorum et damnorum illatorum.

Insuper tenebimus vos immunes ac defendemus, pro posse nostro, ab omnibus pensis, talliis seu impositionibus per quascumque personas, spirituales aut seculares, impositis seu imponendis, concessisve seu concedendis. Praeterea non permittemus, per aliquem seu aliquos in et circa monasteria et ecclesias nostrarum civitatum patriarum dioecesis Leodiensis praedictarum fieri visitationem, nisi juxta et secundum formam et tenorem statutorum synodalium et curiae nostrae Leodiensis.

Item, volumus et mandamus statuta synodalia hujusmodi necnon curiae nostrae, unacum modificationibus et reformationibus felicis recordationis domini Adulphi, episcopi Leodiensis, praedecessoris nostri, necnon majorum et secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium, super abusibus judicum delegatorum sanctae sedis apostolicae, necnon officiatorum eorumdem, in anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo septimo, die duodecima mensis decembris edita, in omnibus et per omnia, juxta illarum et illorum tenorem et seriem in singulis suis punctis et articulis, et praesertim quoad processus, ut praefertur, per judices apostolicos faciendos, et jura ratione eorumdem quomodolibet recipienda et exigenda, inviolabiliter observari: monetas ibidem designatas juxta cursum monetarum moderni temporis declarantes, videlicet grossum veterem sive etiam Turonensem aestimari debere ad unum scoterum quondam Henrici, regis Angliae, necnon esterlingum argenti, ad tertiam partem talis grossi Turonensis sive veteris, quodque illa praedicta singula partibus, pro defensionibus jurium et causarum suarum indigentibus, et petentibus ac volentibus in judicio exhiberi seu exhibere illorum originalia, seu in et sub authentica forma non negentur. Quorum quidem statutorum synodalium ac curiae nostrae Leodiensis, necnon reformationum et modificationum praedicti bonae memoriae Adulphi praedecessoris nostri, episcopi Leodiensis, et aliorum praedictorum copiam sub authentica forma vobis concedimus et annuimus, in archivis vestris fideliter conservandam ac reponendam; volumusque et auctoritate nostra praedicta praesentiumque te-

nore mandamus, quod quilibet officialium assessorum et judicum, advocatorum, collectorum, procuratorum fiscalium ac procuratorium communi curiae nostrae Leodiensi praepositi et aliorum achidiacanorum in ecclesia nostra Leodiensi, teneantur et debeant illa jurare et observare, quantum in eis erit et quemlibet eorum concernere poterit, ac quod nullus praedictorum possit illa negare, ut praefertur. Quod si secus facere praesumpserint, corrigantur, et in expensis condamnentur per judicem illius curiae, ubi hoc actum fuerit. Quodque quoad conjugatos et bigamos, collectores, ficales et procuratores, serventur statuta, reformationes ac modificationes praedictae, mandantes eadem inviolabiliter observari.

Item, indulgemus, innovamus tenore praesentium singulis canonicis praedictarum ecclesiarum nostrarum, collegiatarum forensium et de confraternitate ecclesiarum nostrarum secundariarum antedictarum existentibus praebendatis et residentibus simile privilegium, quod canonicis praebendatis et residentibus earumdem nostrarum ecclesiarum secundariarum Leodiensium, in reformationibus dicti bonae memoriae domini Johannis de Heynsberch supradictis, super non denegantes absentes et placet concessum est, dempto et salvo quod rebelles contra nos nostrarumque jurisdictionem et dominium ipso privilegio, rebellione hujusmodi durante, minime gaudeant, nec illud eis seu cuilibet eorum suffragetur, mandantes nostro sigillifero et aliis praelatis, prout in dictis reformationibus circa praetactum privilegium continetur, et per praefatum dominum Johannem, praedecessorum nostrum, mandatum fuit et est, ac volentes illa observari.

Et insuper quia contra et ultra indulta apostolica, a felicis recordationis domino Eugenio papa quarto primo, et deinde a felicis memoriae domino Pio papa secundo, sanctaque sede apostolica ad perpetuam rei memoriam nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus episcopis Leodiensibus, ac ordinariis collatoribus et collatricibus civitatis et dioecesis nostrarum Leodiensium praedictarum, tam super electionibus abbatum, praepositorum, decanorum et aliorum praelatorum, dignitatum et officiorum, tam in majori quam caeteris ecclesiis et monasteriis civitatis et dioecesis nostrarum praedictarum Leodiensium, quam super turno alternativorum sex mensium in collatione beneficiorum, sub taxa duarum marcharum in quibuslibet duodecim mensibus vacantium, ac alia contra tenorem hujusmodi indultorum gratiose concessa per nonnullos dietim turbantur, electores et collectores ordina-

demnitatibus, super hoc consulere cupientes, vobis ac omnibus et singulis praesentibus futurisque dictae ecclesiae canonicis, auctoritate praesentium indulgemus, ut ipsi canonici apud ecclesiam praedictam pro tempore residentes, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, quae in quibusvis aliis praeterquam cathedralibus ecclesiis sive locis obtineret et inposterum obtinebunt, etiam si canonicatus et praebendae, dignitates, personatus vel officia in collegiatis ecclesiis, et ipsae dignitates inibi principales fuerint et ad illos ac hujusmodi persónatus vel officia consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat nostrarum cum ea integritate quotidianis distributionibus, duntaxat excepti libere percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis aliis vel locis hujusmodi personaliter residerent et ad residendum interim in eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam compelli possint inviti; quodque interim fructus, redditus et proventus hujusmodi, quibusvis personis etiam laïcis, cum quibus suam ac dictorum beneficiorum conditionem efficere poterunt meliorem ad tempora de quibus eis videbitur arrendare, locare seu ad firmam et annuam pensionem concedere possint dioecesanorum locorum et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita : non obstante si alias vobis dictisque canonicis, ut in aliquibus vestris beneficiis resident, seu alias illorum fructus, redditus et proventus imperpetuum, vel ad certum tempus, jam forsan vel nondum elapsis praecipere valeretis, apostolica vel ordinaria fuerit auctoritate concessum, etiam si dicti canonici in eisdem ecclesiis aliisve locis primam non fecerint personalem residentiam consuetam, ac felicis recordationis Bonifacii, papae octavi, praedecessoris nostri, per quam concessiones hujusmodi sine praefinitione temporis fieri perhibentur, et quibusvis aliis tam apostolicis quam provincialibus et synodalibus, conciliis generalibus vel specialibus constitutionibus, necnon statutis et consuetudinibus, ipsarum aliarum ecclesiarum contrariis, juramenti confirmatione, apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, etiam si dicti canonici de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, litterisque praefatis non utendo, etiam ab alio vel aliis impetratis, seu alias quovismodo concessis, per se vel eorum procuratorem praestiterint, vel eos in posterum praestare contigerit forsan juramentum; seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit concessum vel in antea concedi contigerit, quod canonicos et personas ecclesiarum suarum, civitatis et dioecesis, etiam in dignitatibus vel officiis con-

stitutis, per substractionem proventuum suorum beneficiorum ecclesiasticorum vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si ordinariis praedictis et dilectis filiis ipsarum aliarum ecclesiarum capitulis, vel quibus aliis communiter vel divisim a praedicta sit sede indultum vel in posterum indulgeri contingat, quod canonicis et personis ecclesiarum et locorum hujusmodi, etiam in dignitatibus, personatibus vel officiis constitutis, non residentibus in eisdem, aut qui hujusmodi primam in eis residentiam non fecerint, fructus, redditus et proventus suorum canonicatuum et praebendarum ac dignitatum, personatuum, officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum minime ministrare teneantur, et ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in litteris nostris monitio specialis, proviso quod beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa immineat, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de ipsorum beneficiorum proventibus necessaria congrue ministrantur, diligenter exerceatur, et deserviatur inibi laudabiliter in divino. Nulli ergo homini liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraïre; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo secundo, septimo idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo. »

« Pius, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Laudanda sedis apostolicae rectitudo, etc. [1]. »

Et cum sicut accepimus inter alia statuta et ordinationes ecclesiae Leodiensis caveri dicitur expresse, quod nullus in ipsius ecclesiae canonicatu accipi possit, nisi de militari genere procreatus aut doctor vel licentiatus existat, ac in ipsa ecclesia sit antiqua et approbata hactenus a tanto tempore, de cujus nunc memoria hominum non existit, pacifice observata consuetudo, quod majoris

[1] Hoc loco integra inseritur Pii II bulla, quae supra p. 435 legitur.

Leodiensis officia, et illius etiam major ac principales aliarum civitatis et dioecesis Leodiensis collegiatarum ecclesiarum dignitates fere omnes ac praepositura ecclesiae Sancti Rumoldi Mechliniensis, Cameracensis dioecesis, aliisque canonicis actu praebendatis ipsius ecclesiae majoris conferri, aut commendari nequeant cum effectu; quodque dilecti filii decanus et capitulum dictae ecclesiae majoris pueros aptas voces ad cantandum divinis officiis habentes, etiam in aliis ecclesiis salariatos et sub nominibus duodenorum ordinatos in qualibet aliarum ecclesiarum praedictarum, quoties et quandocumque eisdem decano et capitulo placuerit, ad cantandum divina officia in dicta majori ecclesia assumere, ac in quibusvis causis in omnes civitatis et dioecesis praedictarum clericos fuerint impertiti, jurisdictionem per se vel eorum officialem aut alium vel alios ad id deputandum vel deputandos exercere, easdem personas ad judicata parendi et alias quomodolibet per censuras ecclesiasticas cohercere possunt, necnon quoties contingit fieri de aliqua persona electionem ad aliquam dignitatem, etiam abbatialem vel abbatissalem in civitate et dioecesi praedictis existentem, cujus confirmatio a venerabili fratre nostro episcopo Leodiensi obtinenda sit, decretum electionis hujusmodi primo et dein capitulo praesentari deberet per electam personam hujusmodi aut procuratoris ad visum et effectum, ut viso et intellecto tenore decreti hujusmodi illud eidem capitulo per eum confirmantem vel infirmantem, prout sibi videbitur, remittatur; ac quod canonici Leodienses, dum in majori ecclesia hujusmodi resident, teneantur solum et duntaxat petere ab episcopo praedicto et dilectis filiis archidiaconis vel eorum officiariis, sub quibus alia canonicorum eorumdem beneficia consistant certo anni tempore, gratiam, placet et absentias, nuncupatam ac occasionem gratiae hujusmodi aut illius regratiaturae jura per alios quam canonicis Leodiensibus residentibus solvi soluta, non solvere teneantur; et insuper capitula, canonici, et supposita collegiatarum ecclesiarum dictae civitatis in certis anni solemnitatibus, causis specialibus, processionibus et aliis divinis officiis in eadem majori ecclesia et alibi suas praesentias exhibere ac nonnulla alia obsequia et servitia in divinis officiis impendere teneantur, ac major ecclesia hujusmodi illiusque praepositus decanus, archidiaconi, canonici et supposita ab omni jurisdictione, dominio, potestate et superioritate episcopi Leodiensis pro tempore existentis suorumque vicariorum ac officialium penitus exempta et sedi apostolicae immediate subjecta fuit, ita quod episcopi Leodiensis ac vicarii et officiales praedicti etiam ratione dicti contractus

vel rei de illis tanquam exemptis et liberis nullatenus se intromittere possent, ac nonnulla alia privilegia immunitatis, gratiae conservatoriae, ac indulta per nonnullos alios romanos pontifices, praedecessores nostros seu pro romanis pontificibus in eorum obedientiam habitis, etiam per praelatos, imperatores ac romanorum et alios reges, duces, comites et barones pro augmento divini cultus ipsiusque majoris ecclesiae decore concessa pariter et indulta, ac nonnulla statuta et ordinationes per dilectum filium decanum seu vicedecanum et capitulum ecclesiae majoris hujusmodi conjunctim vel divisim edita et ordinata fuerint. Verumtamen sicut etiam accepimus, saepe contingit praepositum, decanum, archidiaconos, capitulum, canonicos et suppositos contra litteras, privilegia, statuta et ordinationes, consuetudines, exemptiones et indulta per nonnullos, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, indebite molestari; nos praedecessorum praedictorum vestigiis inhaerentes, ac tranquillitati et paci praepositi, decani, archidiaconorum, capituli, canonicorum et suppositorum praedictorum, quantum cum Deo possimus, providere cupientes, aliorumque consuetudinum, statutorum, ordinationum, privilegiorum, litterarum, exceptionum et indultorum hujusmodi formas, tenores et numerum, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad praepositi, decani, archidiaconorum, capituli, canonicorum et suppositorum paaedictorum vel quorumvis aliorum nobis super hoc oblatae petitionis instantias, sed de nostra mera liberalitate et apostolicae potestatis plenitudine, Eugenii necnon Pii praeinsertas ac alias quascumque litteras, privilegia et indulta ac exemptiones ecclesiae majoris, ac praeposito, decano, archidiaconis, capitulo, canonicis et suppositis praedictis tam conjunctim quam divisim concessas et concessa, necnon pontificum, imperatorum, regum, praelatorum, ducum, comitum, baronum, ac omnia praemissa et alia statuta et consuetudines non expressa, quatenus rationi consona sunt, ex nunc in perpetuum auctoritate apostolica et ex certa eorum scientia tenore praesentium confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos defectus tam juris quam facti ac solemnitatis omissarum, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac litteras Eugenii, praedecessoris nostri, hujusmodi cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et processibus inde secutis ad singulas personas in dicta ecclesia majori hujusmodi beneficio nunc pro tempore obtinentes, motu, scientia et auctoritate similibus extendimus, ipsasque personas in eadem ecclesia majori beneficia, ut praefertur, nunc et pro tem-

pore obtinentes, litteris ac processibus hujusmodi perinde in omnibus et per omnia, ac si ipsae litterae a principio eis specialiter et expresse concessae processusque desuper habiti et decreti fuissent, perpetuo gaudere et uti, absque praejudicio episcopi et archidiaconorum praedictorum in placet, absentiis praedictis et causarum regratiationes, posse et debere volumus et decernimus, et quod omnia et singula canonicatus et praebendae ac dignitates, personatus, administrationes et officia caeteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura dictae ecclesiae majoris, etiam si in illa dignitas major post pontificalem existat, et ad illam ac alias dignitates, personatus, administrationes vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi eisque cura immineat, nulli personae cujuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existat, etiam si episcopali dignitate praefulgeat, commendari possint, ac commode de eis pro tempore fiendae nullius existat roboris vel momenti, quodque alia persona cujusvis ordinis regularis ad canonicatus et praebendas ac dignitates, personatus, administrationes vel officia caeteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura dictae ecclesiae majoris recipi aut admitti non possit, motu, auctoritate, scientia et tenore praedictis, perpetuo statuimus et ordinamus, ac quod per quascumque litteras sive mandata apostolica, quibusvis personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existant, per sedem praefatam vel ejus legatos sub quibusvis verborum formis et expressionibus, ac etiam clausulis praesentibus specifice et expresse derogantibus continentia, praesentibus nullatenus derogari possit, nec etiam censeretur esse derogatum, nisi derogatio ipsa per trinas litteras juxta formam et tenorem praeinsertarum litterarum Pii, praedecessoris praefati, cum praesentium praedictarum toto de verbo ad verbum insertione, a sede apostolica obtenta fuerit, ac quidquid per quoscumque quavis etiam auctoritate scienter vel ignoranter contra litteras, statuta, ordinationes, consuetudines, privilegia, indulta, exemptiones hujusmodi attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, irritum et inane fuisse et esse, motu, auctoritate, scientia, potestate et tenore praedictis etiam decernimus et declaramus. Et nihilominus dilectis filiis abbati monasterii sancti Jacobi Leodiensis et decano ecclesiae Coloniensis ac officiali Trajectensi, per apostolica scripta, motu, scientia et auctoritate similibus mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praemissa omnia et singula, ubi et quoties eis expediens fuerit, solemniter publicantes, ac praeposito, decano,

archidiaconis et capitulo canonicorum, necnon aliis personis in majori ecclesia hujusmodi beneficia obtinentibus, pro tempore etiam super extensione litterarum hujusmodi in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes non permittant eos contra tenorem praesentium in toto vel in parte quoquo modo per quoscumque molestari, perturbari seu etiam impediri directe vel indirecte, quovis quaesito colore, molestatores impedientes supradictos quoslibet vel rebelles per excommunicationem, quam eo ipso contra facientes incurrant et a qua nonnisi a romano pontifice praeterquam in mortis articulo constituti absolvi possint, necnon suspensionem a divinis ac alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia juris remedia appellatione postposita compescentes, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis : non obstante piae memoriae Bonifacii papae octavi, etiam praedecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede deputati praedicta extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac de duabus diaetis in concilio generali editis ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliquis communiter vel divisim ab eadem si sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, extensionis, voluntatis constitutionem, statuti ordinationem, decreti declarationem et mandati infringere vel ei ausu temerario contraîre; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, nona januarii, pontificatus nostri anno nono.

Bibl. royale de Bruxelles, MS. n° 10947.

LXXX.

LES NOVELLES ORDONNANCES ET MODÉRATIONS DU 30 JANVIER 1479, TOUCHANT DEXINNEMENS, ADJOURS DE QUINSAINE ET CONTREPANS.

—

Modérations faites par membres et estas du pays, touchant les poins subescrips en l'an mil IIII[c] et LXXIX, proclamée au Péron à Liége, et mieses en warde de loy, le pénultime jour de jenvier l'an susdit.

Comme après les guerres et divisions, qui ont rengné en ceste pays de Liége et de Looz, et après les arsins et ruynes des grans manoires et édiffices, qui paravant le prieze[1] delle cité estoient en icelle, aient esteit faites pluisseurs remonstrances par pluisseurs bonnes gens, tant par devers le grâce de nostre très-redoubté seigneur, monseigneur de Liége, vénérables seigneurs doiien et capitle de sa vénérable église de Liége, comme pardevers les autres membres et estas de ses pays, sur pluisseurs journées tenues pour ceste cas et pour pluisseurs autres; sur quoy pluisseurs notables personnes euissent, de part nostredit très-redoubté seigneur et lesdits autres membres et estas de ses pays, esté députez, commis et ordonnés pour sur lesdis poins faire ordonner et aviseir le melleur, selon ce que ilz trouveroient au cas appartenir, et pour d'ors en avant en pooir et devoir par loy useir en la meilleur manière que faire se poroit, considéré la disposition du temps qui estoit autre que elle n'avoit esteit devant ladicte prise de Liége; et ensi soit que sur ce lesdits députez, ensuyant la carge à eulx donnée par nostredit très-redoubté seigneur et lesdits membres et estas de sesdits pays, soy soient trais ensembles, communicket, avisé et ordonné les ordonnances chi-après contenues, par delès lesquelles nostredit très-redoubté seigneur et lesdits membres et estas de sesdits pays, à une autre journée, après ce que visentées les oerent, soient plainement et entièrement demourés, en passant et accordant qu'elles

[1] *Prieze*, prise.

fuissent cryées et publiiés au Péron à Liége, affin que cescun en euyst cognyssance et en fuist d'ors en avant useit et que mieses fuissent en warde de loy. Par quoy en accomplissant et mettant en effect tout ce que prescript, est au commandement de nostredit très-redoubté seigneur, et ensieuvant la sequelle desdits membres et estats de sesdits pays, furent icelles ordonnances cryées et publiiées au Péron à Liége, de part nostredit très-redoubté seigneur et par son mayeur de Liége, mieses en le warde et retenance des esquevins de sadite cité là-présens, en présence desdits commis et députez de nostredit très-redoubté seigneur, des maistres de ladite cité, et des commis desdits membres et estas de sesdits pays, l'an delle nativité Nostre-Seigneur Jhésu-Christ, mil IIII[c] LXXIX, de moix de jenvier le pénultimme jour. Lesquelx poins ordonnés, passés et accordez, comme dit est, s'ensieuvent et sont :

Premier, touchant l'article, faisant mention comment l'on devera useir des déminnemens qui soy faisoient par plaix généralx, est aviseit pour éviteir les prolongemens et prolixté desdits déminnemens, qui se faisoient ausdits plaix généralz, que l'on pora faire démineir par deux quinzaines ès haulteurs, là les biens sont situez et gissans, dont le premier déminnement sera signifiet par le forestier de ladite haulteur, à celuy sour cuy on fera déminner, et à sa propre boche, maison ou domicille suffisamment, si avant qu'il soit demourant en pays, et s'il est demourant hors du pays, on le doit publier en scampne de ladite haulteur et signifier en lieu là il seroit manant, si avant que l'on y poroit licittement et seurement faire signification, moyenant que l'héritaige fuist assés suffissant pour porteir les fraix, car point n'entendons, s'il n'estoit point suffissant, ains de petitte valleur, qu'on deuyst plus avant alleir que aux prosmes et aux manyans telz héritaiges tant seullement, et le seconde déminnement se pora faire sens signifier partie, mais après lesdits deux déminnemens expirez, se partie dominante vuet avant procéder, elle devera faire partie adjourner à quinzaine, et signifier à la manière susdite, pour veyr prendre saisine en exprimant par ledit forestier, le jour auquel ladite quinzaine seroit servante.

Item, et quant est aux héritaiges gissans dedens la cité et franchiese de Liége, les borgoix de Liége et autres puelent faire déminner par ung mayeur et deux tenans de leur court, par deux quinzaines, en signifiant par lesdits mayeur et tenans le premier déminnement, à cely ou ceulx sur lesquelx telz déminnemens seront fais, s'ilz sont demourans dedens ladite cité et

franchiese, et s'ilz sont demorans dehors ladite cité et franchiese, on les pora faire signifier, pour plus grand fraix eskiweir, par ung mayeur, présens deux tesmoings qu'il y pora appelleir. Après laquelle signification faite, et lesdits deux déminnemens par deux quinzaines expirées, cely qui fera déminner devra faire adjourner cely sur quy il déminnera à quinzaine, pour veyr prendre saisine par le sergant delle haulte justice.

Item, et touchant les héritaiges, ausquelz on revint, par adjour de quinzaine, ensuyant le tenure des lettres sour ce faites, on en pora useir selon le contenu des lettres, comme on at useit anchiennement, mais cely qui ferat faire tel adjour arat le chuyse et option de prendre saisine par devers le chieff, s'il ly pleest, pour plus grand fraix eskiweir, ou par devers le haulteur, là telz héritaiges sont situés, et que quant saisine en sera rendue par devers ledit chieff, et que on apportera le copie signée des clercques secrétaires dudit chieff par devers les haulteurs, là telz héritaiges sont gissans, que lesdits haulteurs ne puissent eskondir de faire les exécutions des petis comans et des grans comans, pour partie resaisie parvenir à joyssance de ses waiges, ensi que loy requiert.

Item, pourtant que les plais sont mult longues par quattre quinzaines de provances et oltretant d'alligances et contremonstrances, touchant héritaiges, à la manière que useit en at esté anchiennement, et que parties parsuyantes sont souvent par telz longs termes vexées et travelliés, est avisé, pour abbrévier les matères et avoir plus légèrement expédition de loy et de justice, que les mayeurs, esquevins, courts, jugeurs et justice, par devers lesquelz plais et procès s'esmouveront, poront lesdits termes acourchir et abbrévier plus brieff, selon ce qu'ilz sentiront les matères disposées, et que au cas appartenra, en préfigiant aux parties certains jours compétens et raisonables, de povoir faire leurs prouvances et parellement débas, alligances et contremonstrances, sens y quérir fraude, déception ne mal engien, réserveit causes cryminelles et causes touchantes ale lhonneur, desquelles n'entendons point les quinzaines et termes de loy anchienement observées y estre transmuez.

Item, touchant l'article faisant mention des contrepans des maisons, arses et brulées, est aviseit que se héritier ayant cens ou rentes sour aucuns héritaiges puet revenir à ses waiges et contrepans, il le puet par loy parsuyre, mais se li lausageur vuet détenir sa place, et le vuille remaisonner, et y met ou fache faire édiffices qui soient si vallables que pour y estre con-

trepans suffissans assez, son contrepant que paravant avoit fait sour autre héritaige sera parmy icelle réfection et remidrement quitté et déligiet. Et se faire ne le vuet, dont doit emporteir l'héritier le moitié dudit contrepant, et le lausageur l'autre moitié. Et s'il pleest à cely qui sera désaisis, purgier le saisine que prise seroit sour ly, dedens l'année d'icelle faire le pora et en estre devantrain devant tous autres.

Item, touchant les héritaiges et maisons, arses et brûlés, est acordé que celuy que soy vora retraire à son héritaige et lausaige pour remaisonner, se pora et devera traire pardevers les treffonsiers et ceulx dont il tenra ledit lausaige, lesquelx treffonsiers y poront et deveront condeskendre, en faisant doucheur et raba raisonnable, douchement et gracieusement, et soy en accorder et appointier l'une à l'autre amiablement, se faire se puet. Et se accorder ne s'en puelent amiablement, revenir deveront pardevers justice, laquelle justice, oyues les raisons d'une partie et d'autre, ara l'auctorité et puissance de y ordonner, appointier, modérer et lesdites parties accorder, soit par amiable ou par rigeur de justice, sur tel différent que parties en poroient avoir, selon ce que ladite justice viera et sentera la matère disposée et à cas appartenir, tousjours en bonne manière sens fraude. Car on doit entendre que les héritiers et lausaigeurs, ausquelx lesdits héritaiges appartenoient, doient tousjours par pris raisonnables y estre plus prochains et devantrains de ravoir leurs héritaiges et lausaiges, qui ne soient les estraingnes, moyennant que de temps et d'heure soy trayent avant et en fachent diligence, sens forpasser les termes que loy et justice y poroient comprendre, sens par telz lausaigeurs pooir stanchier les déminnemens, que telz héritiers feroient faire, s'ensi dont n'estoit que lesdits lausageurs volsissent remaisonner, pour avoir grâce ou raba en le manère desseure déclarée. Item, et se le lausageur que seroit désaisis volloit purgier ladite saisine, dedens l'année d'icelle saisine, faire le poroit et en deveroit estre devantrain, devant tous prosmes, parmi rendant ce que audit purgement appartenroit, avec remidremens et réfections que par loy mieses y seroient.

Archives de la province de Liége, grand greffe des échevins, registre 250, case 15v.

LXXXI.

LITERAE EXECUTORIALES DE DIE 15 APRILIS 1480, QUIBUS ARNOLDUS DE BERCKT, ABBAS S. JACOBI, A SEDE APOSTOLICA DEPUTATUS, ECCLESIAE ET CLERI LEODIENSIS JURA ET PRIVILEGIA IN INTEGRUM RESTITUIT JUXTA TENOREM BULLAE SIXTI IV.

—

Universis et singulis reverendis in Christo patribus dominis, archiepiscopis, episcopis, eorumque in spiritualibus et temporalibus, vicariis et officialibus generalibus, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, caeterisque praelatis et quibusvis aliis in dignitatibus constitutis ac canonicis et capitulis quarumlibet ecclesiarum collegiatarum ubilibet constitutis, omnibusque et singulis aliis quorum interest vel intererit seu interesse et quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur aut cujuscumque praeeminentiae, excellentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, tam communiter quam divisim, Arnoldus de Berckt, Dei patientia abbas monasterii Sancti Jacobi Leodiensis, ordinis Sancti Benedicti, judex, conservator et executor jurium, jurisdictionum, privilegiorum, rerumque domini episcopi pro tempore Leodiensis, necnon venerabilium et circumspectorum virorum dominorum praepositi, decani, archidiaconorum et suppositorum insignis ecclesiae Leodiensis ad infrascripta una cum infrascriptis nostris in hac parte collegis, modo et forma infrascriptis a sancta sede apostolica ac sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Sixto, divina providentia papa quarto, sub titulo nostrae abbatialis dignitatis hujusmodi datus specialiter et deputatus, salutem in Domino sempiternam et praesentibus nostris, imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras apostolicas sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti papae praedicti, ejus vera bulla plumbea in cordula canapis more romanae curiae impendenti, bullatas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec in aliqua earum parte suspectas, verum omnibus prorsus vitio et suspicione carentes,

nobis pro parte dictorum reverendi patris ac venerabilium et circumspectorum virorum dominorum episcopi, praepositi, decani, archidiaconorum dictae ecclesiae Leodiensis in eisdem apostolicis ac sanctissimi domini nostri domini papae praedicti litteris principaliter nominatorum, coram notario publico et testibus infrascriptis, rite praesentatas, nos cum ea qua decuit reverentia recepisse noveritis, hujusmodi sub tenore :

Sixtus, episcopus, servus servorum Dei, dilectis, etc., ut in bulla [1].

Post quarum quidem litterarum apostolicarum hujusmodi praesentationem et receptionem nobis et per nos, ut praemittitur, factas, fuit nobis pro parte dictorum reverendi patris domini, domini episcopi, praepositi, decani, archidiaconorum et suppositorum dictae ecclesiae Leodiensis expositum gravi cum querela, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, aliique ecclesiarum praelati et clerici ac ecclesiasticae personae, tam religiosae quam seculares, necnon rector, doctores, magistri et scholares universitatis oppidi Lovaniensis dictae Leodiensis dioecesis, atque duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites atque laïci, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum villarum et aliarum locorum, ac aliae singulares personae civitatum et dioecesis et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, jura et jurisdictiones, necnon fructus, census, redditus, proventus dictorum reverendi patris, dominorum episcopi, praepositi, decani, archidiaconorum et suppositorum dictae ecclesiae, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad eos conjunctim aut divisim spectantia et pertinentia seu spectantes et pertinentes, et ea detinent indebite occupata seu saltem ea detinentibus praestant auxilium, consilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum dioecesis et partium praedictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem reverendo patri dominis episcopo, praeposito, decano, archidiaconis et suppositis dictae ecclesiae super praedictis castris, villis et locis aliis, terris, domibus et possessionibus, juribus et jurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorumdem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus creditisque et actionibus spiritualibus et temporalibus, aliisque rebus ad eos conjunctim vel divisim spectantibus, multiplices molestias, perturbationes et injurias inferunt atque jacturas, necnon et eosdem

[1] Vid. supra, p. 659.

ac ipsorum episcopi, praepositi, decani et capituli in ea parte factores ac officiatos rite ad hoc deputatos, quominus juribus, jurisdictionibus, rebus, debitis, bonis et possessionnibus ipsis competentibus uti et gaudere, ipsaque bona percipere et levare possunt et valent impediverunt, et judices impediunt. Quapropter pro parte antedictorum reverendi patris domini ac dominorum episcopi, necnon venerabilium et circumspectorum virorum dominorum praepositi, decani, archidiaconorum et capituli, eorumdemque suppositorum quorumcumque, fuimus debita cum instantia requisiti, quatenus ipsos tam conjunctim quam divisim super praemissis de remedio opportuno providere et ad praeinsertarum litterarum apostolicarum contentorumque in eisdem executionem juxta vim, formam, continentiam et tenorem earumdem procedere, ipsisque litteras et processus contra supradictos occupatorum, detentorum et injuriatorum ac alios quoscumque in praemissis inobedientes et rebelles seu eosdem quominus, etc., *ut in folio papiri,* impedientes insolita et indebita decernere et concedere, necnon et eosdem ad abinde desistentes via juris compellere vellemus et dignaremur.

Nos igitur Arnoldus, abbas, conservator, judex et executor praedictus, attendens requisitionem hujusmodi justam fore et rationi consonam, et quod justa petenti non est denegandus assensus, ac volens tanquam obediens filius mandatum apostolicum nobis in hac parte directum reverenter, ut tenemur, exequi, litteras nostras imo verius apostolicas et processus executoriales, ut praefertur praepetitis, supradictis reverendo patri domino, domino episcopo Leodiensi atque venerabilibus et circumspectis viris dominis praeposito, decano, archidiaconis et capitulo Leodiensi eorumdemque suppositis quibuscumque decernendum duximus et concedendum ac decrevimus praesentium tenore et concedimus modo et forma inferius descriptis. Quae praemissa omnia et singula supra et infra scripta, praetactasque litteras apostolicas et hunc nostrum processum ac omnia et singula in eis contenta vobis omnibus et singulis supradictis ac cuilibet vestrum intimamus, insinuamus, notificamus, et ad vestram et cujuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes. Quocirca vos omnes et singulos supradictos tam clericos quam laïcos et quoscumque alios cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae fueritis, etiam si rector, doctores, magistri et scholares universitatis oppidi Lovaniensis Leodiensis dioecesis aut eorum aliquis exstiterit, hujusmodi castrorum, villarum, terrarum et locorum aliorum,

jurisdictionum, jurium et bonorum, mobilium et immobilium, reddituumque et proventuum ac aliorum debitorum quorumcumque et bonorum ad praefatos dominos episcopum, praepositum, decanum, archidiaconos et capitulum eorumque suppositos spectantium, occupatorum, detentorum, praesumptorum, molestatorum injuriatores et debitores, necnon contradictores et impedimentum praestantes quoslibet et rebelles, ipsisque occupatoribus, detentotoribus, molestatoribus, debitoribus et injuriatoribus et impedimentum praestantibus, consilium, auxilium vel favorem praestantibus pariter et praebentibus, apostolica auctoritate praesentium tenore requirimus et monemus, primo, secundo, tertio et peremptis, vobisque nihilominus et ipsis ac vestrum et eorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae et sub poenis infrascriptis districte praecipientes mandamus, quatenus infra triginta dierum spatium post insinuationem et notificationem praesentium vobis et eis factas immediate sequentium; quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro secundo et reliquos decem dies pro tertio et peremptis termino, ac canonica monitione vobis et ipsis ac vestrum et eorum singulis praefigimus et assignamus, hujusmodi attentata revocetis et detenta ac alia praemissa restituatis, ac revocent et restituant, atque de et a praetactis molestiis, injuriis, jacturis per vos et eos illatis et inferendis, desistatis et desistant, atque de ipsis et aliis commissis et committendis, laesis et injuriam ac impedimentum passis condignam satisfactionem impendatis et impendant realiter et cum effectu. Alioquin si infra dictum trigiuta dierum terminum praemissa non adimpleveritis seu adimpleverint, nos singulariter in singulos delinquentes et rebelles, exnunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc, dicta canonica monitione praemissa excommunicationis sententiam in iis scriptis ferimus et etiam promulgamus. Praeterea tam in vos praedictos occupatores detentorum praesumptorum, molestatorum, injuriatorum et impedimentum prestantium quam omnes alios et singulos clericos et personas ecclesiasticas seculares et regulares necnon archiepiscopos, episcopos et ecclesiarum praelatos, ducesque, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laïcos, communia civitatum ac universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac alias singulares personas civitatum et dioecesis partiumque diversarum, etiam rectorem, doctores, magistros et scholares dictae universitatis oppidi Lovaniensis dicta apostolica auctoritate, praesentium tenore ut supra, requirimus et monemus, vobisque et eis ac vestrum et eorum cuilibet in solidum districte

praecipientes mandamus et a praenarratis occupationibus, detentionibus praesumptionibus, molestationibus, injuriis et impedimentis ac aliis praemissis, deinceps penitus et omnino abstineatis, desistetis ac abstineant et desistant, necnon et antetactis reverendo patri domino domino episcopo, praeposito, decano, archidiaconis et capitulo Leodiensibus eorumdemque suppositis, quibuscumque eorum debitis satisfaciatis seu satisfaciant, ac illatis injuriis tam conjunctim quam divisim emendam condignam praestetis et faciatis, inhibentes et expresse interdicentes vobis et eis ac vestrum et ipsorum cuilibet ne quidquam contra praemissa seu aliquod praemissorum attentare seu innovare praesumatis aut praesumant. Alioquin in vos ac ipsos omnes et singulos contradictores impedimentum praestantes, quoslibet et rebelles qui talia committere seu attentare praesumpseritis seu praesumpserint, singulares scilicet personas, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc, dicta canonica monitione praemissa excommunicationis, necnon in communitates et universitates omnium et singulorum talia committentium, civitates, oppida, castra, villas, terras et loca, interdicti sententias in iis scriptis ferimus et etiam promulgamus. Vobis vero dominis archiepiscopis, episcopis supradictis, quibus ob reverentiam vestrarum pontificalium dignitatum in hac parte deferre volumus, si contra praemissa seu aliquod praemissorum feceritis per vos vel submissas personas publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito ingenio aut colore, sex dierum canonica monitione praemissa ingressum ecclesiae interdicimus in iis scriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios sex dies praetactos sex dies immediate sequentes animo, quod absit, sustinueritis indurato, vos et vestrum quemlibet eadem canonica monitione praemissa in eisdem scriptis a divinis suspendimus officiis; verum si praefatas interdicti et suspensionis sententias per alios sex dies praefatos duodecim dies immediate sequentes animis vestris, quod absit, sustinueritis induratis, vos et vestrum quemlibet eadem canonica monitione praemissa in eisdem scriptis a divinis suspendimus officiis. Verum si praefatas interdicti et suspensionis sententias per alios sex dies prafatos duodecim dies immediate sequentes animis vestris, quod absit, sustinueritis induratis, vos et vestrum quemlibet, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc, dicta canonica monitione praemissa excommunicationis sententia innodamus.

Caeterum cum ad executionem dicti nostri imo verius apostolici mandati faciendam, quoad praesens aliis arduis nostris et dicti nostri monasterii prae-

pediti negotiis commode personaliter interesse nequimus, universis et singulis dominis abbatibus prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, scholasticis, thesaurariis, ecclesiarum tam cathedralium quam collegiatarum canonicis, parochialium ecclesiarum rectoribus et locatenentibus earumdem, ac presbyteris, curatis et non curatis, clericis, notariis et tabellionibus publicis quibuscumque per provinciam Coloniensem et alias ubilibet constitutis et eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione praedicti mandati apostolici atque nostri ulterius facienda, praesentium tenore plenarie committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas; ipsosque et eorum quemlibet requirimus et per praesentes monemus primo, secundo, tertio et peremptis, eisque nihilominus et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in ipsos et eorum quemlibet, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc, trina monitione canonica praemissa ferimus in iis scriptis, si ea quae ipsis in hac parte committimus et mandamus neglexerint aut distulerint adimplere, districte praecipientes mandamus, quatenus infra sex dierum spatium post notificationem seu praesentationem praesentium eis factam, et postquam pro parte dictorum reverendi patris et domini domini episcopi necnon venerabilium et circumspectorum virorum dominorum praepositi, decani, archidiaconorum et capituli Leodiensis, eorumdemque suppositorum, vigore praesentium super hoc requisiti fuerint ac eorum alter fuerit requisitus, ita tamen quod in iis exequendis alter alium non expectet nec unus per alium se excuset ad vos omnes et singulos supradictos ac alias quascumque personas ecclesiasticas et seculares, ubi, quando et quoties expediens fuerint, et accedere fuerint requisiti personaliter, accedant et accedat eorum alter et praedictas litteras apostolicas, huncque nostrum imo verius apostolicum processum et singula in eis contenta et descripta legant, insinuent, publicent et fideliter publicari procurent, necnon praefatos reverendum patrem et dominum dominum episcopum necnon praepositum, decanum, archidiaconos et capitulum Leodiense eorumdemque suppositos contra supratactos occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores, injuriatores, impedimentum praestantes et contradictores quoslibet et rebelles omnibus viis et juribus, remediis protegant et defendant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ac ab eis occupata seu detenta supradicta restitui, laesisque et injuriam passis satisfieri et satisfactionem impendi faciant realiter et cum effectu, et generaliter omnia et singula nobis

in hac parte commissa plenarie exequantur juxta traditam seu nobis a sede apostolica praedicta directam formam, non obstantibus omnibus et singulis quae dictus sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Sixtus papa modernus in praeinsertis suis ac apostolicis literis voluit non obstare, ita tamen quod ipsi subdelegati nostri aut qualiscumque alius nihil in praejudicium praedictorum reverendi in Christo patris et domini domini episcopi Leodiensis venerabilium et circumspectorum dominorum praepositi, decani, archidiaconorum et capituli Leodiensis ac eorumdem suppositorum valeant attentare, necnon circa praefatos nostros, imo verius apostolicos processus per nos habitos, et sententias per nos latas, absolvendos vel suspendendos, super quibus ipsis et eorum cuilibet potestatem omnimodam denegamus. Et si contingat nos super praemissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reservamus, non intendimus propterea commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocare, nisi de revocatione hujusmodi specialem et expressam in nostris litteris hujusmodi fecerimus mentionem; per processum autem nostrum hujusmodi nolumus nec intendimus nostris in aliquo praejudicare collegis, quominus ipsi vel eorum alter, servato cum hoc nostro, imo verius apostolico processu, in hujusmodi executionis negotio procedere possint et valeant, prout eis seu eorum alteri visum fuerit expedire, modo et forma in praeinsertis apostolicis ac sanctissimi domini nostri papae praedicti litteris latius expressatis. Praefatas quoque litteras apostolicas et hunc nostrum imo verius apostolicum processum volumus penes praelibatum reverendum in Christo patrem et dominum dominum episcopum, necnon venerabiles et circumspectos dominos praepositum decanum, archidiaconos et capitulum Leodiense ac eorumdem suppositos vel eorum procuratorem vel procuratores legitimum seu legitimos remanere, et non per vos seu quemquam alium contra eorum voluntatem quomodolibet detineri; mandamus tum copiam fieri de praemissis eam petentibus et habere debentibus, petentium quidem sumptibus et expensis.

In quorum omnium et singulorum praemissorum robur, fidem et veritatis testimonium, praesentes litteras seu praesens publicum instrumentum, hunc nostrum, imo verius apostolicum processum, in se continentes sive continens, per notarios publicos infrascriptos exinde fieri et in hanc publicam formam redigi signarique et subscribi mandavimus, nostrique abbatialis dignitatis sigilli jussimus et fecimus appensione communiri.

Datum et actum in abbatia sive monasterio Sancti Jacobi Leodiensis praetacto, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo, indictione tertia decima, mensis aprilis die decima quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti, anno nono, praesentibus ibidem discretis viris et honesti A et V.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 111, fol. 220 verso.

LXXXII.

LITERAE QUIBUS LUDOVICUS BORBONIUS, DIE 20 APRILIS 1480, CLERI LEODIENSIS PRIVILEGIA CONFIRMAT ET EXTENDIT.

—

Ludovicus de Bourbon, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Leodiensis, dux Bulloniensis et comes Lossensis, dilectis nobis in Christo abbatibus, decanis, prioribus, vicedecanisque, capitulis et conventibus monasteriorum et ecclesiarum nostrarum collegiatarum, tam secundariarum civitatis quam forensium, totique clero patriarum et dioecesis nostrarum Leodiensium salutem in Domino sempiternam. Grata nobis per vos saepius impensa obsequia, et quae in dies sollicitis studiis impendere non desistitis, aliaque merita vestra nos inducunt, ut vobis ad gratiam reddamur liberales. Volentes itaque vobis praemissorum meritorum vestrorum intuitu gratiam facere specialem, omnia et singula pridem in jucundo adventu nostro, per nos tunc electum et confirmatum Leodiensem, vobis alias sub data anni a nativitate Domini millesimi quadringentesimi quinquagesimi sexti, mensis octobris diei vicesimae sextae, in civitate nostra Leodiensi, per nostras authenticas litteras sub sigillo nostro ad causas [1], quarum tenores ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent hic haberi volumus pro expressis liberaliter concessa, de nostri capituli consensu ratificamus, laudamus, innovamus et robore nostrae or-

[1] Exstant supra, p. 490.

dinariae auctoritatis confirmamus. Necnon ad majorem praemissorum declarationem et ex certa nostra scientia innovationem, jura, privilegia, consuetudines francisiasque, libertates et exemptiones vestras ecclesiarumque vestrarum praetactarum ac suppositorum earumdem, necnon reformationes dudum per piae memoriae reverendum patrem dominum Johannem de Heynsberch, praedecessorem nostrum de et super abusibus tollendis, etc., de et cum consensu et consilio venerabilis capituli nostri Leodiensis editas, atque sigillis ipsorum domini Johannis et capituli rite sigillatas, ac etiam per sanctam sedem apostolicam confirmatas, de dicti nostri capituli expresso consensu innovamus, approbamus et ratificamus, volentes et pollicentes vos et quemlibet vestrum in illis manutenere et conservare necnon ab omnibus et singulis vexationibus, oppressionibus et molestationibus vobis et cuilibet vestrum per quascumque personas tam spirituales quam saeculares de facto et injuste ac contra ecclesiasticam libertatem francisiasque et exemptiones supratactas faciendas vel inferendas, possetenus defendere atque attentari, revocari facere et realiter procurare cum integra restitutione damnorum inferendorum. Insuper tenebimus vos immunes et defendemus pro posse nostro ab omnibus pensis, talliis, gabellis sive impositionibus per quascumque personas tam spirituales quam seculares impositis seu imponendis, concessis et seu concedendis. Item, volumus et mandamus statuta synodalia Leodiensia hujusmodi necnon curiae nostrae unacum modificationibus et reformationibus felicis recordationis domini Adulphi, episcopi Leodiensis, praedecessoris nostri, necnon majoris et secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium, super abusibus judicum delegatorum sanctae sedis apostolicae, necnon officiatorum eorumdem, in anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo septimo die duodecima mensis decembris edita, in omnibus et per omnia juxta illarum et illorum tenorem et seriem in singulis suis punctis et articulis, et praesertim quoad processus, ut praefertur, per judices apostolicos faciendos et jura ratione eorumdem quomodolibet recipienda et exigenda, inviolabiliter observari; monetas ibidem designatas juxta cursum monetarum moderni temporis declarantes, videlicet grossum veterem seu etiam turonensem extimari deberi ad unum scuterum quondam Henrici regis Angliae. necnon esterlingum argenti ad tertiam partem talis grossi turonensis sive veteris. Quodque illa praedicta singula partibus pro defensionibus jurium et causarum suarum indigentibus et petentibus ac volentibus in judicio

exhibere, seu exhiberi illorum orginalia seu in et sub authentica forma non negentur; quorum statutorum synodalium ac curiae nostrae Leodiensis, necnon reformationum et modificationum praedicti bonae memoriae Adulphi, praedecessoris nostri, ac aliorum praedictorum, copiam sub authentica forma vobis concedimus et annuimus in archivis vestris fideliter conservandam et reponendam. Volumusque et auctoritate nostra praedicta praesentiumque tenore et similiter de expresso consensu capituli nostri supradicti mandamus, quod quilibet officiatorum, assessorum et judicum, advocatorum, notariorum, collectorum, procuratorum fiscalium et procuratorum communium curiae nostrae Leodiensis, praepositi ac aliorum archidiaconorum in ecclesia nostra Leodiensi, teneantur et debeant illa jurare in manibus officialis nostri, praesentibus deputatis ecclesiarum nostrarum secundariarum praedictarum desuper vocandis, si interesse voluerint aut notario publico per ecclesias ad hoc deputando et sub juramento hujusmodi, illas et illa observare, quantum in eis erit, et quemlibet eorum concernere poterit, ad quod nullus praedictorum possit illa negare, ut praefertur, quod si secus fecerint, corrigantur et in expensis condemnentur, et per judicem competentem, qui judex, si negligens fuerit, tunc per nostrum officialem Leodiensem corrigatur. Quodque quoad conjugatos et bigamos, collectores, fiscales et procuratores serventur statuta, modificationes, reformationes, necnon apostolicae desuper sub anno incarnationis dominicae millesimo, quadringentesimo quinquagesimo primo kal. novembris concessae confirmationes, mandantes illas et illa de ejusdem nostri capituli consensu inviolabiliter observari, declarantes ac de ejusdem capituli nostri expresso consensu mandantes, et sub poena centum florenorum rhenensium ac privatione officii inhibentes, ne quis bigamus aut conjugatus vel fornicarius seu adulter publicus, vel usurarius manifestus, homicida, vel infamis quovismodo per se vel alium exercere praesumat aliquod officium, vel saltem vices gerere judicis, cui incumbit cognitio, correctio sive compositio negotiorum, seu sacramentalium aut etiam secretorum presbyterorum sive rerum ecclesiasticarum. Item, indulgemus et innovamus tenore praesentium canonicis praedictarum ecclesiarum nostrarum forensium et de confraternitate ecclesiarum nostrarum secundariarum antedictarum existentibus praebendatis et residentibus, simile privilegium, quod canonicis praebentatis ac residentibus earumdem nostrarum secundariarum Leodiensium, in reformationibus dicti bonae memoriae domini Johannis de Heyns-

berch supradictis, super non denegandam absentiam et placet, concessum est. Dempto et salvo quod rebelles contra nos nostramque jurisdictionem et dominium ipso privilegio, hujusmodi rebellione durante, minime gaudeant nec illud eis seu cuilibet eorum suffragatur, mandantes sigillifero nostro et aliis praelatis, prout in dictis reformationibus circa practactum privilegium continetur et per praefatum dominum Johannem, praedecessorem nostrum, mandatum fuit et est, ac volentes illa observari. Item, volumus et consentimus, quod subsidia et alia quaecumque nobis a vobis hucusque gratiose concessa, et quae adhuc levanda sunt, infra claustrum ecclesiae nostrae Sancti Petri Leodiensis, prout consuetum est, juxta veros valores beneficiorum prout in registro super subsidio domino Johanni de Heynsberch praelibato novissime concesso confecto descripti sunt atque verificati, leventur atque solvantur, salvo quod si aliqua beneficia minuta fuerint medio tempore et usque ad praesens diminutorum super quibus veris valoribus hodiernis et temporibus solutionis fiendae stabitur ac stari volumus, praecipimus et ordinamus, juramentis seu juramento rectorum eorumdem beneficiorum in manibus decani seu vicedecani Sancti Petri et aliorum deputatorum secundariarum ecclesiarum nostrarum praetactarum praestandis seu praestando, etiam eo salvo quod in relevamine cleri forensis, etiam ecclesiarum forensium infra mensem post terminos vobis gratiose concessos forenses ipsi de illis satisfacere possint et valeant deputatis seu deputandis per eosdem in suis conciliis absque incursu poenae seu aliquarum expensarum periculo, et quod si ita egerint, exinde non vexentur nec aliquo modo vexari possint. Insuper quia abbates, decani, capitula et conventus monasteriorum et secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium hactenus plura onera, vexationes et labores nobiscum et cum venerabili capitulo nostro praetacto pro libertate ecclesiastica servanda, necnon pro resistentia injuriarum, oppressionum et gravaminum, proh dolor! nostrae jurisdictioni libertatique ecclesiasticae necnon clero nostro tam civitatis quam dioecesis nostrarum Leodiensium praefactarum retroactis temporibus illatorum, sustinuerunt et passi fuerunt, ac in dies per amplius sustinent et ferunt, in agendisque communibus dicti totius nostri cleri incessanter occupantur, idcirco in recompensam hujusmodi onerum, vexationum, occupationum et laborum continuorum eisdem capitulo nostro Leodiensi, ac abbatibus, decanis, monasteriis et ecclesiis nostris secundariis singulisque beneficiatis et residentibus in eisdem favorabiliter indulgemus ac volumus,

statuimus et ordinamus, quatenus in juribus placet et absentiarum ac cathedratici et obsonii nobis seu sigillifero nostro pro nobis ac proposito et archidiaconis ecclesiae nostrae Leodiensis, necnon decanis ruralibus ipsius nostrae dioecesis solvendis, praedicti capitulum nostrum Leodiense ac abbates, decani, monasteria, capitula et conventus singulique beneficiati in eisdem residentes infra tempus statutum et ab antiquo consuetum deinceps possint et valeant hujusmodi placet et absentiam ac cathedraticum et obsonium per eosdem conjunctim et divisim debitum aut debitam solvique consuetum et consuetam infra dictam nostram civitatem Leodiensem praedicto nostro sigillifero seu ipsius substituto pro nobis, necnon per ipsos praepositum, archidiaconos et decanos rurales et specialibus in ea parte commissariis deputatis seu deputandis solvere et de illis satisfacere, jure tamen dictorum nostrorum decanorum ruralium in ipsius cathedratico et obsonio levando, ac grossis ea propter recipiendis, ac alterius cujuscumque semper salvo. Volumus insuper, statuimus et ordinamus, quatenus officialis noster Leodiensis pro nobis ac dicti praepositus, archidiaconi et decani rurales habeant deinceps et teneantur in dicta civitate nostra Leodiensi speciales commissarios ad hujusmodi placet et absentiam. cathedraticum et obsonium temporibus opportunis recipiendum; quitantias etiam opportunas desuper, in quantum opus fuerit et requisiti exstiterint, dandum et caetera omnia circa ipsa necessaria faciendum facere et deputare, alioquin poenae tam de jure quam consuetudine propterea et in defectu solutionis incurrendum in praejudicium minime locum sive cursum sibi vendicabunt. Quin imo eosdem in dictis absentia placet et obsonio et cathedratico obligatos, quamdiu per eos non steterit quominus satisfecerint in dicta nostra civitate, ut praefertur desuper, haberi volumus, statuimus et ordinamus indemnes, consentientes expresse et de ejusdem nostri capituli consensu volentes, quod vos praefatarum nostrarum secundariarum ecclesiarum nostrae civitatis Leodiensis decani seu vicedecani et capitula pro vobis et toto clero nostro forensi ac quolibet eorumdem per syndicum seu procuratorem, ob hoc ab officiali nostro generali vobis id petentibus nominandum et deputandum, contra infringentes praetactas reformationes, aut contra easdem seu praemissa aut eorum aliquod facientes seu per se vel alium illis contravenientes coram eodem officiali nostro praedicto tam ad correctionem transgredientium seu infrangentium dicta statuta, modificationes, ordinationes et reformationes, quam ad poenas juri consonas et ad restitutionem ablatorum ac ad emendas condignas

procedere et ipse officialis noster minus idoneos deponere omnino et amovere possit et valeat; mandantes officiali nostro Leodiensi, quantum possumus, quatenus vobis aut procuratori praedicto, toties quoties opus erit, constituendo, ut praemittitur, atque renovando contra rebelles aut infringentes praefata statuta, modificationes et reformationes summarie et de plano sine strepitu judicii, procedens justitiae ministret complementum : aliis autem litteris pridem a nobis nostrisque praedecessoribus quomodolibet emanatis ac per nos et nostros praedecessores ac capitulum nostrum sigillatis, necnon per sanctam sedem apostolicam seu romanos pontifices confirmatis et approbatis, quibus per praesentes minime derogari volumus, in suis robore et viribus perpetuis temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, robur et testimonium has litteras sigilli nostri ad causas fecimus et jussimus appensione communiri. Datum in civitate nostra Leodiensi, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo, mensis aprilis die vicesima.

MS. de M. le prof. Serrure.

LXXXIII.

DÉCLARATION DE LOUIS DE BOURBON, DU 28 AVRIL 1480, EN VERTU DE LAQUELLE LES DRAPIERS DE VERVIERS CONSERVENT LE DROIT DE VENDRE LEURS DRAPS AUX HALLES A LIÉGE.

—

Louis de Bourbon, par la grâce de Dieu évesque de Liége, duc de Bouillon et comte de Looz. Comme plussieurs de nos subjetz de nostre ville et bang de Vervier, pays de Franchimont, eussent, samedi xxii[e] jour d'avril, apporté ou fait apporter en notre citeit une quantité de draps, faits et drappez audit lieu de Vervier, pour iceulx vendre en noz halles scituées en près de notre palais, ainsy qu'il est de coustume, et que lesdits de Vervier disoient que bien faire le povoient, est advenus que les gouverneurs et autres gens du mestier des drappiers d'illec notre citeit, eux opposans et contredisans à la vendition susditte, maintenant que faire ne se povoit ou devoit, ont iceux

draps pris et emportez volontairement et de force hors des mains de nosdits sujets de Vervier, dont plainte nous ont esté faites par lesdits de Vervier, eux dolans et fort déplaindans dudit empeschement et de la violente substraction de leursdits draps. Sur quoy de prime fache, nous, appellez les maistres de nostredite citeit, accompagniés de plussieurs du conseil d'icelle, avons, pour tout débat éviter, fait mettre incontinent lesdits draps au délivre, sur caution que d'estre en droit par devant nous de tout ce dont ledit différent soudre povoit : au moyen dequel apointement lesdites parties représentées se soient à autre jour pardevant nous, donnant par escript et produisans d'une parte et d'autre plussieures chartres, lettres, escriptures, ordonnances, avec la déposition de plusieurs tesmoings dignes de foy, jurez et examinez, dont sur le tout bonne examination et visitation a esté faite en nostre conseil, lesdits maistres à ce présents, veu que ledit différent touche et concerne le bien comun de nostredit cité, pays et sujets, entre lesquels muniments, chartes, lettres, escriptures, apparu nous est de certaine ordonnance faite autenticquement du temps de feu de bonne mémoire Adulphe, nostre prédicesseur évesque de Liége en son vivant, de daute mil trois cens vint-trois, mercredy, vigille de la purification Nostre-Dame. Veu le contenu de laquelle lettre, les causes et raisons, ordonnances et permissions en icelles contenues, avons, par l'advis et délibération desdits maistres de nostredite citeit et d'autres plusieurs tant de nostre haute justice que d'autre estat, lesdites partyes premièrement oyes en tout ce que dire, proposer et remonstrer ont sceu et voulu, et icelles présentes appellées, dit, déclaré et sentencié, disons, déclarons et sentenchons, par ces présentes, que lesdits de Vervier poront, sans empeschement aucun, amener et faire amener et vendre leursdits draps sur nos halles en la forme et manière que lesdittes lettres de nostre prédécesseur Adulphe se contiennent, lesquelles, par l'advis que dessus, disons et déclarons devoir estre d'ores en avant observées, gardées et entretenues en tous ses points et articles, mettant jus et à néant l'empeschement donné ausdits de Vervier, par lesdits drappiers et aussy la caution ou ségurté par eux donnée, de laquelle eulx et leurs plesges demourront quittes et en paix à tousjours; et afin d'estre pourveu duement audit bin public et comum proffit de nostredite citeit et pays, disons que les six eswardeurs, dont ladite lettre fait mention, soient incontinent choisis et esleus, assavoir deux de parte lesdits maistres, deux de part lesdits drappiers et deux de part les halliers, lesquels eswardeurs feront le sé-

riment, ensuivant le contenu d'icelles lettres, en réservant à nous et à noz successeurs évesques de Liége, l'interprétation desdites lettres, ainsi que réservé est.

Fait et prononchiet, en notre plain conseil, le 28e jour d'avril, l'an XIIIIc et IIIJxx, en la présence de nos très-chers et féalz conselliers maistre Johan Picourt, vicaire, Johan de Marbaix, chanoine de nostre église de Liége, maistre Martin Vanderelen, doyen de l'église saint Denis, Tielman Valdoreau, maieur, et Johan le Proidhome, esquevin de nostre citeit, et de parte nostreditte citeit messseigneurs Guilleaume de Ornyst, Sr de Berlo, Quentin de Tuyn, seigr de Gehen, chevaliers, maistres d'icelle pour le temps, Guille Surlet, Bauduyn de Corbion et autres plussieurs; en tesmoing desquelles choses fait nous avons appendre nostre seel, requérant lesdits maistres que semblablement le facent pour l'approbation de ce que dit est.

Archives de la province de Liége, registre du grand greffe des échevins, no 261, fol. 196.

LXXXIV.

CRY PROCLAMÉ AU PÉRON A LIÉGE, LE QUATTRIÈME SEPTEMBRE L'AN 1480, POUR QUE NULLE ASSISTANCE NE SOIT DONNÉE A GUILLAUME D'ARENBERG OU A SES COMPLICES [1].

—

L'on fait asscavoir de parte mon très-redoubté et souverain seigneur et prince monseigneur de Liége, les maistres, eschevins, jureis et conseil de sa cité, en ensuyvant le contenu de la sentence pronunchée et publiée à Liége, par les susdits maistres, eschevins et jureis, le 4e jour dudit mois de septembre, qu'il ne soit nul ou nuls, de quelque estat, vacation ou condition que ce soit, qui de ce jour en avant face ou donne confort ou assistence, en quelconque manière que ce soit, à messire Guillaume de la Marche, Tilman d'Heure, et autres ses complices et adhérens, plus ou loing dénommés ens-

[1] Voy. sur la reprise des brouilleries entre Guillaume d'Arenberg et Louis de Bourbon, la chronique de Jean de Los, ci-dessus p. 79; Bouille, tom. II, p. 190, et M. de Gerlache, p. 168.

dites lettres de sentence, et ce sur incourir ès pènes, toutesfois et si souvent que trouvé seroit, contenues plus ou loing èsdites lettres et autres lettres, crys et publications sur ce faictes.

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, p. 202.

LXXXV.

CRY PROCLAMÉ AU PÉRON A LIÉGE LE V[e] JOUR DE SEPTEMBRE L'AN 1480, CONTRE GUILLAUME D'ARENBERG, CONDAMNÉ AU BANNISSEMENT ET A LA CONFISCATION DE SES BIENS.

—

L'on faict asscavoir de parte nostre très-redoubté seigneur, monseigneur de Liége, que tous ceulx et celles qui par ci-devant et jusques aujourd'hui, datte de cette, ont eu la manniance, recepte, administration ou possession des biens meubles, rentes, revenus, offices de justice ou autres bénéfices, appartenans à messire Guilleame d'Arenberghe, estans ès pays et seigneurie de nostredit très-redoubté seigneur, posé ores que ce soit à tiltre d'advouerie, par commission ou garde de chastellerie, maisons, fortes places ou autres, en quelconque manière, fachon ou condition que ce soit, qu'ils en lèvent et ostent les mains, endedens tiers jours après la publication de ces présentes, en mettant ou faisant mettre lesdites places, maisons, chastelleries, offices, bénéfices, biens, rentes et revenus ens mains de nostredit très-redoubté seigneur, pour les faire régier, gouverner et recepvoir par ses commis, tels que ci-après ordonné y pourrat, et ce sur et à peine d'incourir en la grieff indignation de nostredit très-redoubté seigneur; et que finalement les desseuredis et un chascun d'eulx, endedens lesdits tiers jours, et sur les peines dictes, rapportent et mectent ès mains des gens des chambres des comptes de nostredit très-redoubté seigneur, touttes lettres, registre, chartres, commissions ou autres exploix, faisans mention desdits offices, bénéfices, biens, rentes et revenues. Item, en oultre auffin de nourir paix et union entre la grâce de nostredit très-redoubté seigneur, les membres et estas de ses pays, et que les lettres et crys par ci-devant faict, tant des lettres d'alliance, ossi des lettres

de bannissement derainement fais contre la personne dudit messire Guilleame et ses complices, comme des crys que ce ensuyvant en ont esté faits, soyent mieulx entretenus, et que nul ne puist pretendre ignorance, l'on fait asseavoir, comme dessus, de parte nostredit très-redoubté seigneur, qu'il ne soit nul ou nulles de quelconques condition que ce soit qui d'ors en avant, et sur incourir ès peines contenues èsdites lettres, reçoive lettres ou messaiges quelconcques, ne pour quelque affaire que ce soit, du prénommé messire Guilleame d'Arenberghe, Tilman d'Heure et autres ses complices bannis, plus au loing dénommeis ès lettres dudit bannissement.

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, p. 263.

LXXXVI.

LETTRE DU 14 OCTOBRE 1480, PAR LAQUELLE ÉVRARD DE LA MARCK DÉCLARE QU'IL TIENT EN FIEF DE L'ÉVÊQUE DE LIÉGE LE CHATEAU D'AGIMONT [1].

—

Je Evrard de la Marcke, seig^r d'Agymont, fay sçavoir à tous et recognoy par ces présentes, pour moi, mes hoirs et successeurs, que je tiens en fief et hommaige de révérend père en Dieu, haut et puissant prince et mon très-redoubté seigneur mons^r Loys de Bourbon, évesque de Liége, duc de Buillon et comte de Looz, et de sa vénérable église, la fortresse, terre, haulteur et seigneurie d'Agymont avec toutes ses appartenances et appendices à icelle, si avant qu'elle meut de mondit seigneur et de sadite vénérable église, et luy en aye faict le sériment et debvoir de relieff tel qu'il apartient, et il soit ainsi que ledit révérend père en Dieu m'ait ensuivant les traictés et appoinctemens, faits par ci-devant par mon très-cher damoiseau père avec les prédécesseurs évesques de mondit seigneur, sommer et requérir, par la vertu des jugemens de ses hommes féodaux par trois advis à trois quinzaines, pour parvenir et avoir l'ouverture de madite place d'Agymont, ausquels advis aie toujours fait responce

[1] Voyez Mantelius, *Hist. Loss.*, p. 183, et Foullon, t. II, p. 25, et t. III, p. 283.

que mon intention estoit et est voloir faire à mondit seigneur et à sadite vénérable église ce que tenus suis par raison, sans en mannière nulle contrevenir ausdites lettres obligatoires. Je, en accomplissant madite responce, pour lesdites lettres entretenir, promés et aie encouvent par ma foy, loyauté et sériment pour moi, mesdits hoirs et leurs successeurs, que madite fortresse d'Agymont serat de ce jour en avant ouverte audit révérend père en Dieu et mon très-redoubté seigneur et ses successeurs, évesques et esleus de Liége, sadite vénérable église de Liége et pays, pour y avoir entrée et yssue, toutes et quantesfois que mondit seigneur le requérat [1], et que ne souffray ne permettraie entrer ou recepvoir personne aulcune en icelle madite place, pour faire guerre, nuire ou grever les seigneurs et pays voisins à sondit pays de Liége, ne qui soit ennemi publicque de mondit seigneur ne ce de sondit pays, si ce n'est par le gré et consent dudit révérend père en Dieu et des membres et estats desondit pays. Ains entretiendrai fermement et léalment lesdits traictés faicts par mondit très-cher damoiseau père, comme ilz se contiennent, sans rien renier ne accepter. En tesmoing et confirmation de ce j'aie à ces présentes faict appendre mon propre seel, armoyé de mes armes, et signé de ma propre main, le xiiiie jour d'octobre, l'an de la nativité Nostre-Seigneur mille quattres cens et quatres-vings. — Ainsi signé : *Everart de la Marke* [2].

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, p. 179.

[1] Au mois de juin de l'année suivante, Evrard de la Marck ne se conforma point à une demande des états. Voyez ci-dessous p. 690.

[2] On lit à la suite de cette pièce : « Littera « principalis signata sigillo ac signatura manu « propria ipsius domini de Agimont, reposita « est in archivis venerabilis majoris ecclesiae « Leodiensis. »

LXXXVII.

INSTRUMENTUM PUBLICUM, MENSE APRILI ET MAIO 1481 EXARATUM, QUOAD PECUNIAS LEODII COLLETRAS AD OPUS INDULGENTIARUM ORDINIS HIEROSOLYMITANI [1].

Anno a nativitate Domini XIIII^{c} octuagesimo primo, mensis aprilis die decima sexta, praesentibus in insigui ecclesia Leodiensi discretis viris Johanne Engelberti de Echt, Henrico de Styers, Arnoldo de Bruexken et Theodrico Spirinc, clericis, notariis publicis, testibus, apertus fuit pro prima vice truncus, in dicta ecclesia Leodiensi positus, pro collectione oblationum et pecuniarum oblatarum ad opus indulgentiarum ordinis Jherosolymitani in ipsa Leodiensi civitate, in quo reperti fuerunt pro tunc quadringenti sexaginta octo floreni Rhenenses, et quindecim stuveri communes, quos venerabilis pater dominus Robertus Bertrandi, decretorum doctor et dicti ordinis professus, tanquam substitutus procurator reverendissimi patris domini et fratris Johannis de Cardona, principalis procuratoris, illorum calculo desuper prius habito, secum detulit et portavit atque eosdem de et ex eodem trunco se recepisse, habuisse et ad opus antetacti ordinis assecutum fuisse recognovit sua sponte et confessus fuit, modo et forma in instrumento publico desuper confecto et per me notarium infrascriptum signato et subscripto latius descriptis. Super quibus, etc.

Deinde anno praescripto, mensis tamen maii die decima sexta, praesentibus in eadem ecclesia domino Jaspare de Morialmeiz, canonico Sancti Materni in ecclesia Leodiensi, Johanne Engelberti de Echt et Theodrico Spirinc, notariis publicis, testibus, apertus fuit secundario truncus praescriptus, in quo reperti fuerunt, illorum calculo debite praehabito, quingenti quadraginta novem floreni Rhenenses communes, decem et sex stuveri Burgondiae communes, et decem et octo solidi communis pagamenti Leodiensis, verum viginti stuveris Burgondiae communibus, pro quolibet dictorum florenorum,

[1] De decimis in subsidium contra Turcos nes de Los, supra page 80.
Leodii a legato apostolico collectis agit Johan-

necnon et viginti quatuor solidis dicti pagamenti Leodiensis pro quolibet dictorum stuverorum computatis. Quos antefatus dominus Robertus nomine quo supra ad se recepit et secum portavit sibique retinuit, illosque se de et ex praetacto trunco recepisse, habuisse, et ad opus antetacti ordinis Jherosolymitani assecutum fuisse recognovit sponte et confessus fuit, modo et forma in praetacto publico instrumento desuper per me confecto et signato latius descriptis. Super quibus, etc.

Demum anno et mense praescriptis, die tamen xxiii mensis maii praedicti, praesentibus in domo habitationis venerabilis viri domini et magistri Johannis de Ruella, collegiatae ecclesiae Sancti Petri Leodiensis canonici, discretis viris et honestis, eodem domino Johanne, necnon domino Johanne de Ponthe, presbytero, ejusdem ecclesiae canonico, et Renero de Molendino, testibus, antefatus dominus Robertus, nomine quo supra, sponte et ex certa sua scientia ac animo praemeditato, minime coactus ad hoc aut seductus, recognovit et in veritate confessus fuit praemissa omnia et singula fuisse et esse vera. Et eapropter venerabiles et circumspectos viros dominos decanum et capitulum dictae insignis ecclesiae Leodiensis, licet absentes tanquam praesentes, de praenarratis pecuniis per eum, ut praefertur, perceptis, habitis et assecutis quitavit et quitos clamavit, de illisque apud dictum ordinem illiusque procuratores praedictos et quoscumque alios sua in ea parte interesse habentes, quitos et liberos per fidem suam corporalem propter hoc loco juramenti corporaliter praestitam in manu mei notarii publici legitime stipulantes et recipientes praestitam ac sub suspensione a divinis officiis et excommunicationis poenis tenere et servare convenit et promisit, dolo et fraude seclusis, renuntians, etc. Super quibus, etc.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, nº 111, fol. 229 recto.

LXXXVIII.

RÉPONSE D'ÉVRARD DE LA MARCK, EN DATE DU 11 JUIN 1481, AUX ÉTATS ET MEMBRES DU PAYS DE LIÉGE, POUR ÊTRE DISPENSÉ D'ADMETTRE UNE GARNISON DANS LE CHATEAU D'AGIMONT [1].

—

Vénérables et honorez seigneur, très-chiers et espéciaulx amis. J'ai receu voz lettres par cestui porteur, escriptes le ixe jour de ce présent moix, contenant que me requérez que vous face ouverture d'icelle ma place, pour y mettre gens en garnison pour la préservation du pays, comme vostredite lettre contient. Sur quoi, vous plaise sçavoir que jusques au présent nuls dangiers n'en sont sourvenus, et aussi je suis sur frontières, dont il m'est nécessaire de moy garder et préserver à mon pouvoir, car jusques au présent j'aie heu peu et petitte assistence des foulles qui me ont esté faictes, et en ce faisant ce seroit mon destruction. Et samble estre aussi la foulle et destruction du pays que de mettre garnison, et vauldroit mieux à remédier et pourveoir pour le bien par autre mannière, car il me semble que soyons peu et mal puissans de résister par telles manières. Pourquoi vous prie que me ayez pour excusé et estre content de moy, car mon intention n'est point de me faire destruire, le plus longuement que pourray. Vénérables et honnorez seigneurs, très-chiers et espéciaulx amis, Nostre-Seigneur vous ayt en sa saincte garde. Escript à Agymont ce xie de juing, l'an quatuorze cent quattres-vingts-et-ung. — Ainsi signé : *Everard de la Marke.* — Et au dos : *A vénérables et honnorez seigneurs très-chiers et espéciaulx amis, messeigneurs de la vénérable église, maistre et conseil de la cité de Liége.*

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, p. 179.

[1] Voyez ci-dessus, p. 686.

LXXXIX.

INSTRUMENTUM APPELLATIONIS DE DIE 3 DECEMBRIS 1481, PRO CLERO LEODIENSI A NUNTIO APOSTOLICO CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE [1].

In nomine Domini, amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejusdem Domini millesimo quadragintesimo octuagesimo primo, indictione quarta decima, mensis decembris die tertia, decima hora ante meridiem aut circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti anno undecimo, in mei notarii publici et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, sub corona majori in medium insignis ecclesiae Leodiensis in altum pendenti, loco quidem quo haec et similia instar edicti publici fieri solent, praesentia personaliter constitutus honestus et discretus vir dominus Wilhelmus Molitoris, collegiatae ecclesiae sanctae Crucis Leodiensis canonicus, ut et tanquam syndicus seu procurator et eo nomine procuratorio cleri, abbatum, priorum, sanctimonialiumque monasteriorum et conventuum civitatis et dioecesis Leodiensium, habens et suis in manibus tenens folium unum papiri in tribus suis paginis descriptum, certas provocationem et appellationem ac apostolorum petitionem et alia in se, ut asseruit ac ex illo legebatur, continens, illud mihi notario publico infrascripto in manibus recipiendum ibidem legendum et publicandum tradidit et porrexit atque per me notarium praetactum et subscriptum ibidem legi ac alta, sonora et intelligibili voce publicari petivit instanter instantius et instantissime ac requisivit. Quod siquidem provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis papiri folium ad ejusdem domini Wilhelmi Molitoris, nomine quo supra, instantem petitionem et requestam, illico legere ibidem incepi altaque sonora et intelligibili voce publicavi, cujus tenor talis esse dinoscitur. *Quoniam notorie ad extremum*, etc., usque in finem tunc sic. Quo siquidem provocationis et

[1] V. Chron. Joannis de Los, p. 80, et documentum quod mox sequitur.

appellationis ac apostolorum petitionis folio, sic ut praescribitur, partim per me lecto et publicato, antefatus dominus Wilhelmus Molitoris, illud pro lecto habens nomine quo supra, de et a gravaminibus et aliis in praeinserta provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis cedula latius contentis et descriptis, omnibusque aliis et singulis comminatis et attentatis aut attentandis, modo et forma inibi expressatis pro se, nomine quo prius et singulis sibi adhaerentibus, adhaerere volentibus et adhaesuris contra et adversus reverendum in Christo patrem et dominum Silvestrum, Dei et apostolicae sedis gratia episcopum Clugiensem, in eadem appellationis cedula nominatum illique adhaerentes, adhaerere volentes et adhaesuros provocavit et appellavit ac apostolos sibi dari et de illis, si quis adesset qui illos sibi dare et de eisdem respondere posset, et praesertim a me notario publico infrascripto, de apostolis saltem testimonialibus responderi petivit, aliasque in omnibus et per omnia fecit et facit, prout et quemadmodum in praescripto provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis papiri folio latius continebatur et continetur ac describitur. Unde ego notarius praetactus et infrascriptus supradicto domino Wilhelmo Molitoris, nomine quo supra appellanti, apostolosque sibi dari et de eisdem responderi petenti, in quantum de jure potui et debui, apostolos saltem testimoniales dedi et concessi, et illico praemissis sic peractis, antefatus dominus Wilhelmus Molitoris, nomine quo prius, appellans, assumptis secum me notario et testibus praetactis et infrascriptis valvas principaliores antetactae insignis ecclesiae Leodiensis versus palatium episcopale tendentes accessit et ibidem praescriptis provocatione et appellatione ac apostolorum petitione et concessione inhaerentibus, easdem provocationem et appellationem ac apostolorum petitionem et concessionem in et ad ipsas valvas, instar publicorum edictorum, per me notarium publicum praetactum publicari et insinuari ac ad cujuslibet interesse habentis notitiam deduci instanter petivit. Unde ego notarius praetactus praenarratum provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis papiri folium antetactis valvis affixi et aliquandiu dimisi, provocationem et appellationem ac apostolorum petitionem inibi descriptas sic publicavi, insinuavi et intimavi ac ad cujuslibet interesse habentis notitiam, via, jure, modo, causa et forma melioribus quibus scivi, potui et debui, deduxi. Super quibus praemissis omnibus et singulis antefatus dominus Wilhelmus Molitoris, appellans nomine quo supra, sibi a me notario publico infrascripto fieri petivit instrumentum unum publicum, sive plura publica

instrumenta. Acta fuerunt haec successive in antetacta venerabili et insigni ecclesia Leodiensi et illius locis praenarratis, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu suprascriptis, praesentibus ibidem discretis viris et honestis Johanne Cloestenere, Johanne Engelberti de Echt, et Theodrico Lichuelt, clericis Leodiensis dioecesis et notariis publicis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 111. f° 352 recto.

XC.

ALTERUM INSTRUMENTUM APPELLATIONIS DE DIE 14 DECEMBRIS 1481, PRO CLERO LEODIENSI A MONITIONE NUNTII SIVE ORATORIS APOSTOLICI CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE [1].

In nomine Domini amen. Per hoc praesens publium instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejusdem Domini XIIII^c LXXX primo, indictione quarta decima, mensis decembris die vicesima quarta, hora nona ante meridiem aut circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti anno undecimo, coram reverendo in Christo patre et domino domino Silvestro, Dei et apostolicae sedis gratia episcopo Clugiensi, nuntio ut asseritur apostolico, in meique notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum praesentia personaliter constitutus honestus vir et discretus dominus Wilhelmus Molitoris, syndicus sive procurator, ut asseruit, totius cleri, abbatum, priorum, sanctimonialium, monasteriorum et conventuum civitatis, et dioecesis Leodiensis, habens et suis in manibus tenens cedulam unam papiream abintus duntaxat descriptam, certas provocationem et appellationem ac apostolorum petitionem et alia in se, ut asseruit, ac ex illa legebatur, continentem, illam mihi notario publico infrascripto in manibus recipiendam praedicto reverendo patri domino Silvestro episcopo et nuntio apostolico legendam et

[1] Vid. supra p. 691.

publicandam tradidit et porrexit, ipsique reverendo patri eam per me legi et publicari petivit, prout et illam tam ad ipsorum domini episcopi et nuntii apostolici quam syndici sive procuratoris instantiam et petitionem, ibidem publice alta et intelligibili voce legi et publicavi hujusmodi sub tenore: *Coram te notario, etc.*, ut in cedula. Qua siquidem provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis cedula per me sic lecta et per ipsum dominum episcopum, ut praefertur, audita, autefatus dominus Wilhelmus Molitoris, nomine quo supra de et ab eodem reverendo patre domino episcopo ac nuntio atque gravaminibus, factionibus, et processibus aliisque in praeinserta provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis cedula contentis latius et descriptis ad sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Sixtum papam praedictum ejusque sanctam sedem apostolicam et universalem ecclesiam provocavit, appellavit sive recurrit, ac apostolos sibi per eumdem reverendum patrem desuper tales, quales sibi de jure debeantur, dari petivit, ac alias in omnibus et per omnia fecit et facit, prout et quemadmodum in eadem praeinserta provocationis et appellationis ac apostolorum petitionis cedula latius continetur et describitur, copiam veram ejusdem cedulae eidem reverendo patri recipiendam, manu et minuto meo signo signatam et subscriptam, tradendam et deliberandam. Unde dictus dominus episcopus et nuntius, praeinserta cedula appellationis per eum audita, illico quemdam suum familiarem ibidem adstantem tanquam notarium, ut dixit, publicum, ad se vocavit, et de injuriis sibi et honori suo pro parte appellantium in praeinserta appellationis cedula tactorum per ejusdem cedulae contenta, nisi illa rite probaverint, ut asseruit, illatis, protestatus fuit et protestabatur certis modo et forma desuper, ab eodem et minime a me notario subscripto sibi instrumentum unum vel plura sub adstantium aliarum personarum testimonio fieri petivit. Et ulterius mox dicto domino Wilhelmo Molitoris, quo supra nomine appellante et id denuo repetente, respondit per hanc dictionem sive vocabulum, videlicet refutatorios. Super quibus, antedictus dominus Wilhelmus Molitoris, nomine quo supra, sibi a me notario publico infrascripto fieri petivit instrumentum unum publicum sive plura publica instrumenta. Acta fuerunt haec in quadam camera sive cubili uno monasterii Bellireddituş Leodiensis, ordinis Praemonstratensis contiguae aulae abbatiali ejusdem monasterii stanti, sub anno, indictione, mense, die, hora, et pontificatu suprascriptis, praesentibus ibidem discretis viris et honestis Johanne Haghen de Trajecto supe-

riori, et Petro Fabri de Gheynick, clericis Leodiensis dioecesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° III, f° 335.

XCI.

ROBERTUS DE MARKA CONSTITUTUS CASTELLANUS BULLONIENSIS, DIE 31 AUGUSTI 1482.

Ultima augusti, obtenta per nobilem et generosum ac strenuum virum dominum Wilhelmum de Mercha, alias de Arenberch, civitate Leodiensi, quam potenti manu et vi introïvit hesterna die, sede episcopali vacante, venerabiles domini Johannes de Rumyers, decanus, et capitulum Leodiense eorum et ipsorum dominio utendo, ut asseruerunt, constituerunt generosum dominum Robertum de Mercha, dicti domini Wilhelmi fratrem, militem, castellanum castri de Bullone, mediante juramento, per illius castellanos praestari consueto, quod et ibidem solemniter praestitit, praesentibus in capitulo retro chorum, hora nona de mane aut circiter, discretis viris et honestis dominis Johanne de Faukenberch et Jaspare de Morialmis, presbyteris ejusdem ecclesiae claustrariis et capellanis testibus. Super quibus, etc.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 112.

XCII.

WILHELMUS DE MARKA ELECTUS MAMBURNUS LEODIENSIS, DIE 31 AUGUSTI 1482.

Eodem die, [1] completorium, praesentibus in praetacto capitulo testibus antedictis, antedicti venerabiles domini decanus et capitulum, volentes, ut

[1] Deest vox *ante*, *ad* vel *post*.

asseruerunt, ecclesiae, civitati et patriis Leodiensibus, Bullonensibus et Lossensibus, propter sedem, proh dolor! vacantem, vocetenus de idoneo providere mamburno, pro quanto in eis fuit et est, et salvo moderamine trium statuum patriarum praetactarum, elegerunt in eorum et dictarum patriarum mamburnum et defensorem antedictum strenuum et illustrem dominum Wilhelmum de Mercha, praesentem et acceptantem, mediante juramento per mamburnum earumdem patriarum praestari consueto, et in libro cartarum ecclesiae Leodiensis descripto, quod idem illic ad statim praestitit.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, nº 112.

XCIII.

DEPUTATIO PETRI ROEQUAER IN VILLICUM LEODIENSEM PER MAMBURNUM, SEDE EPISCOPALI VACANTE, DIE 2 SEPTEMBRIS 1482.

Secunda septembris, hora capitulari de mane consueta, praesentibus in praetacto capitulo retro chorum dictae ecclesiae Leodiensis dominis Johanne de Faukenberch, capellano, et Jaspare de Morialmis, canonico Sancti Materni, in eadem ecclesia et ejusdem ecclesiae claustrariis, testibus, illustris et strenuus dominus Wilhelmus de Mercha, mamburnus praedictus viva voce praesentavit dictis venerabilibus dominis decano et capitulo, in eorum capitulari loco praetacto capitulariter congregatis, virum honestum Petrum Roechaer [1] suum familiarem, in villicum sive scultetum Leodiensem, petens illum per eosdem dominos ad hoc admitti, prout et eidem domini eumdem admiserunt, recepto prius ab eodem et praestito juramento per villicos Leodienses praestari consueto, salvis juribus, etc. Super quibus, etc.

Ibidem.

[1] Seu *Roequaer.*

XCIV.

PROCURATORIUM MAGISTRI HENRICI DE LOEVENBORCH AD ELIGENDUM FUTURUM DOMINUM SEU EPISCOPUM (8 SEPTEMBRIS 1482.)

Octava septembris (1482), praesentibus in ecclesia Leodiensi, hora quarta post vesperas, dominis Johanne Uleix, canonico collegiatae ecclesiae beatae Mariae Virginis oppidi Trajectensis, et Eustacio Toelinck, familiaribus venerabilis domini et magistri Henrici de Puthem, canonicis Leodiensibus testibus, venerabilis dominus et magister Henricus de Loevenbrech canonicus Leodiensis, constituit dominos et magistros Johannem de Quercu, Johannem de Myerlo et Henricum ex Palude, decretorum doctores, licet absentes tanquam praesentes, et eorum quemlibet in solidum, ad eligendum ipsius constitutoris nomine illustrem virum dominum Johannem de Mercha, praelibati domini Wilhelmi filium naturalem et legitimum, aut saltem postulandum eumdem in futurum episcopum seu electum Leodiensem in forma meliori, promittens, etc. Super quibus, etc.

Ibidem.

XCV.

PROTESTATIO DOMINORUM DECANI ET CAPITULI LEODIENSIS, ANTEQUAM PROCEDERETUR AD ELECTIONEM FUTURI DOMINI, FACTA DIE 13 SEPTEMBRIS 1482.

Decima tertia septembris anni praescripti, hora capitulari de mane, et statim ante summam missam, praesentibus in solito capitulari loco, retro summum altare situato, discretis viris et honestis dominis Jaspare de Morialmeiz, canonico Sancti Materni ecclesiae Leodiensis, et Johanne de Faukenberch, in

eadem ecclesia capellanis, presbyteris et ejusdem ecclesiae claustrariis, testibus, venerabiles domini Johannes de Humirez, decanus, Alexander de Seranio, Gilbertus de Seranio, praepositus Huyensis, Petrus de Holleugnoul, Wilhelmus de Lyberme, Theodoricus de Xanctis, Anthonius Asteruel, Johannes de Busco, Johannes d'Esne, Johannes de Terney, Jacobus de Lybermey, Hugo de Lannoey, Johannes de Myerle, Walterus de Coerswarem et magister Henricus de Loevenborch, canonici Leodienses, coram venerabilibus et circumspectis viris, dominis et magistris Renero Bormans, Sanctorum Petri, Johanne de Eyck, Pauli, Henrico Bormans, Martini, et [1]............ Bartholomei decanis, necnon Johanne Fabri, Carolo Laduyns, Jacottin et Jonathe, dicto Gentis, Sancti Petri, Aegidio de Leodio, Johanne Moll, investito de Leerneur, Petro de Myerle, Wilhelmo de Blisia, Wilhelmo Molitoris, Sanctae Crucis, Martino Schowart, Aegidio Huberti, Johanne de Floeyon, Godefrido de Bastonia, Johanne Goeswynstoren, et [2]...... de Bruxellis, Sancti Martini, Johanne Hoengne, Argenthieri, Gabriele Baker, Balduino Baker, et Andrea Groet, Sancti Johannis, Leonio de Baest, Anthonio Happart, Sancti Pauli [3],........ Gregorii investito de Sarto, Johanne Groet, cantore Sancti Dyonisii, Johanne de Opheers, Aegidio Jamesins, Johanne de Colonia, et Gerardo Eckers, Sancti Bartholomaei Leodiensis collegiatarum ecclesiarum Leodiensium canonicis, pluribusque aliis vivae vocis oraculo venerabilis domini et magistri Henrici de Loevenborch, eorum confratris praedicti, dixerunt et exposuerunt, in praetacto eorum capitulari loco capitulariter congregati et capitulantes, capitulo etiam ad et propter hoc specialiter indicto per quamdem eorum citationem ab eis emissam, eorum confratres canonicos Leodienses, infra provinciam saltem Coloniensem existentes et degentes, citatos fuisse et esse peremptorie Leodii coram nobis in et ad locum eorum capitularem solitum, ad crastinam diem, ad procedendum solito more et procedi videndum et audiendum ad futuri episcopi Leodiensis sive electi aut postulati electionem, etc. Et eapropter protestati fuerunt et expresse protestabantur ac protestantur via, jure, modo, causa et forma melioribus quibus potuerunt et possent, quod non tenent locum civitatis Leodiensis secundum Clementinum aut alium quemcumque canonem interdictum, et quod ideo per prae-

[1] Locus vacuus in MS.

[2] Idem.

[3] Locus vacuus in MS.

tactam eorum citationem ad dictum eorum capitularem locum emissam et executam et subsequendam electionem novi episcopi electi aut postulati non voluerunt neque volunt sanctissimum dominum nostrum papam Sixtum, ejus sanctam sedem apostolicam vel collegium reverendissimorum dominorum cardinalium, aut quemcumque alium in aliquo offendere, sed id fecisse facereque velle tantummodo pro conservatione juris eorum ecclesiae et ad providendum illi de iis quae ei competunt, etc. Super quibus ipsi venerabiles domini mei petierunt ipsis a dominis N. Bergerines, Sanctae Crucis, Johanne de Gandavo et me Johanne Spirinc fieri instrumentum unum publicum sive plura publica instrumenta. — *Joh. Spirinc.*

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 112.

XCVI.

EXCOMMUNICATIO IN WILHELMUM DE MARCKA EJUSQUE COMPLICES AB ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, OB NECEM LUDOVICI BORBONII EPISCOPI LEODIENSIS, LATA DIE 23 SEPTEMBRIS 1482.

Hermannus [1], Dei gratia archiepiscopus Coloniensis, sacri Romani imperii per Italiam archicancellarius, princeps elector ac Westphaliae et Angariae dux legatusque natus; universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, scholasticis, cantoribus, succentoribus et tam metropolitanae nostrae Coloniensis quam cathedralium Leodiensis, Trajectensis, Monasteriensis, Osnabrugensis et aliarum quarumcumque collegiatarum canonicis parochialiumque ecclesiarum, capellaniarum et altarium ac dominiorum rectoribus, necnon quorumcumque monasteriorum, conventuum per civitatem et dioecesim Coloniensem, Leodiensem, Trajectensem, Monasteriensem, Osnabrugensem, totamque provinciam nostram Coloniensem, ubilibet constitutis,

[1] Is est Hermannus, Ludovici Hassiae Casselensis landgravii filius, qui Maximilianum I, electum in regem, solemni ritu coronavit, die 9 aprilis, non vero die 20 septembris anni 1486.

prioribus et fratribus, caeterisque presbyteris, curatis et non curatis, clericis, notariis et tabellionibus publicis quibuscumque, per easdem civitatem et dioecesim atque provinciam constitutis, salutem in Domino et nostris infrascriptis parere mandatis.

Cum non plane satis crebre mala, inimicitiae, guerrae, ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum infestationes, et aliae imminere diversorum generum plagae iis retro temporibus proh dolor! adeo invaluerint, hincque malitia in tantam furiam saevierit, ut non solum ecclesiae Dei decastentur, verum etiam pontifices, quod dolenter referimus, manus cruentas subire cogantur, unde cum fama illa infausta nationes istas et procul ab eis distantes de nefando, detestabili et sacrilego illo facinore per Willermum de Marcka, suosque complices et satellites, in bonae memoriae dominum Ludovicum de Bourbon, episcopum Leodiensem, manus violentas in unctum Domini injiciendo, ipsumque crudelissimo martyrio interimendo et occidendo consperserit, nedum sacri canones et ecclesiasticae constitutiones, verum etiam legales sanctiones eos qui in simplices clericos, diabolo suadente, manus injiciunt violentas, graves poenas, in pontificum occisores arctiores infligant, itaque nos fama praedicta acclamante et notorietate dicti facinoris, non sine vehementi cordis amaritudine, ad plenum deducta, tali videlicet quae suum auctorem manifestissime prodit, adeo quod nulla possit tergiversatione celari, ejusque evidentia ita clarescat, quod accusator clamare non indigeat, veritate etiam fidedignorum informatione comperta, non valentes tantum flagitium sub nube aut conniventibus oculis transire, volentes uti juris ministri jura canonica in praemissis sibi locum vendicant executioni debitae, prout tenemur demandare, praefatum Wilhelmum de Marcka, dicti sceleris auctorem suosque complices et satellites ac omnes et singulos alios dicti facinoris socios consiliarios, fautores et scienter defensantes, sententiam excommunicationis et anathematis in canone *Si quis suadente* 17 *q: iiii,* ac poenas in poenis aliisque juribus poenalibus super hoc editis contentas temere et de facto propter praemissa incidisse et incurrisse, ipsumque Wilhelmum a feudis, locationibus et officiis quibuscumque, quae a dicta ecclesia Leodiensi forsitan obtinet, cecidisse, et ea ad ipsam ecclesiam rediisse ac ipsius filios per masculinam lineam descendentes usque ad secundam generationem, ad quaecumque beneficia ecclesiastica in civitate et dioecesi Leodiensibus obtinenda inhabiles redditos fore; terram quoque ipsius Wilhelmi et locum in quo dictus bonae memoriae do-

minus Ludovicus occisus est, juxta tenorem dictae Clementinae, ecclesiastico interdicto subjacere, justitia mediante, idque exigentibus tam metropolitica et causis praedictis quam legatione apostolica auctoritatibus praedictis, duximus delarandum et decernendum, prout declaramus atque decernimus per praesentes : quae omnia et singula vobis omnibus et singulis supradictis ac vestrum cuilibet notificamus, intimamus, insinuamus atque ad vestram et cuilibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes. Vobis nihilominus ac vestrum cuilibet in solidum, in virtute sanctae obedientiae, quam dictae sedi apostolicae et nobis respective debetis, et sub excommunicationis poena, quam in vos et vestrum quemlibet trium tantum dierum canonica et peremptoria monitione prima, auctoritatibus praedictis ferimus his scriptis, nisi feceritis quae sic vobis injungimus, districte praecipiendo mandamus, quatenus in vestris ecclesiis, monasteriis, capellis, et in locis aliis publicis, ubi necessarium et oportunum videbitur, et quoties super hoc fueritis requisiti aut aliquis vestrum fuerit requisitus, praemissa omnia et singula publicari, necnon supradictum Wilhelmum de Marcka, ejusque complices et satellites in dicto forefacto socios, consiliarios, fautores et tales scienter defensantes, singulis diebus dominicis et festivis, campanis pulsatis candelis accensis et extinctis ac in terram projectis pedibusque conculcatis, excommunicatos et anathematizatos publice denuntietis. Et nihilominus in terra dicti Wilhelmi et in loco in quo dictus bonae memoriae dominus Ludovicus interfectus est, interdictum ecclesiasticum juxta dictam Clementinam primam et illius formam et tenorem strictissime observetis, ac inibi a divinis cessetis, donec et quousque ipse Wilhelmus et alii excommunicati et anathematizati praedicti beneficium absolutionis a santissimo domino nostro papa, prout illam sibi reservatam constat, meruerint obtinere, diem seu dies ac modum et formam publicandi et denuntiandi ac aliorum praedictorum nobis liquide rescribentes. In quorum fidem nostras litteras sigilli nostri appensione communiri fecimus. Datum in castro Zuytstrom, mensis septembris die 23, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo.

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, fol. 171.

XCVII.

LETTRE DE PHILIPPE DE CLÈVES ET DE JEAN DE CHALON, ADRESSÉE LE 18 OCTOBRE 1482 A CEUX DE LA VILLE DE HASSELT, RELATIVEMENT A LA DESTRUCTION DE LEURS FORTIFICATIONS, SELON LES TERMES DU TRAITÉ DE PAIX CONCLU ENTRE LE DUC PHILIPPE ET LES LIÉGEOIS.

Besondere goede vriende. Also u geordineert ende bevolen is geweest, dat ghy uwe poirten ende mueren afdoen ende breken soudt ende die vesten ende graven slecht maken ende vullen, d'welc als wy verstaen ghy nyet en hebt gedaen, daer af ons boven maten verwondert scriven wy dair om tiegewoirdelic aen u, ontbiedende ende beveliende alnoch zeer ernstelic desen mael voer al, dat ghy uwe voirscreven poirten ende mueren van stont afdoet ende brect ende de vesten ende de graven slecht maect ende vult sonder daer eenege stercte oft vasticheyt meer te latende, wetende oft ghy des nyet en doet wy de gantze stat ende edificien sullen doen raseren ende destrueren, vanden welken wy u adverteren met desen brieve om u daer na weten te rechten. Besondere goede vriende, Onse Heeren zy met u.—Gescreven te Loven op ten xviii[den] dach van octobris anno XIIII[c] LXXXIJ. — *Phe* (*Van Cleve*). — *Jehan de Chalon.*

Den eerbaren borghermeesteren, schepenen ende ingesetenen der stad van Hasselt onsen geminden vrienden.

Archives du royaume, trésorerie de Brabant, LAYE VAN LUYCK, *liasse* 21 *à* 30.

XCVIII.

LETTRES DONNÉES A BRUXELLES, LE 24 OCTOBRE 1482, PAR LESQUELLES L'ARCHIDUC MAXIMILIEN ORDONNE MAINLEVÉE DE LA SAISIE DES BIENS DU CLERGÉ DE LIÉGE, ETC. [1].

Maximilian, par la grâce de Dieu duc d'Austrice, de Bourgongne, de Lothier, de Brabant, de Lembourgh, de Luxembourg et de Gueldres, comte

[1] Dans le MS. cité de la bibliothèque de Liége, fol. 244, se trouve une *Supplication à Mons. le duc d'Ostrice pour le relièvement des églises de Liége, contre le bourgeoix d'icelle cité, en suivant leur obligation*. Cette pièce, qui est sans date et qui présente quelques lacunes, me semble pouvoir être rapportée ici.

« Au roy des Romains nostre sire, et à Monsr. l'archiduc son filz.

« Remonstrent et supplient le plus humblement que faire puellent (voz humbles chapellains et serviteurs) les prélatz, abbez, doyens, chapitres, tant de l'église cathédrale et première, que des collégialles et secondaires de la cité et banliewe de Liége, que comme il soit ainsi que en l'an de la nativité Nostre-Seigneur mille quattres cent soixante-huit, après la réduction d'icelle cité et pays et l'appoinctement pour lors faict avec feu de noble mémoire mons^r le duc Charles de Bourgongne, de Brabant, etc., que Dieu pardoinst, ladite cité fuist redebvable envers ledit duc Charles en la somme de vi^m milles lyons, chascun lyon du pris de lx gros monoye de Flandres, à payer en deniers comptans, pour les causes contenues et déclarées ès lettres sur ce faictes, et pour lequel payement accomplir et fournir, tailles et crenées furent lors mises et assises sur les habitans de ladite cité et banliewe d'icelle. Quoy nonobstant ladite somme ne se peut pour lors recouvrer ne recueillier. Si fut pour le plus expédient advisé estre nécessaire vendre rentes, héritables et viagères pour parvenir audit payement; mais pourtant qu'il estoit vraisemblable non pouvoir trouver achapteurs, si premièrement asseurez n'estoient de pleiges, cautions et respondans de gens ayans terres et seigneuries, rentes et revenus suffisantes, scituées et assises èsdits pays de mons^r le duc, pour lors où lesdites rentes acquérir se debvoient, suppliarent lesdits de la cité et requéroient mess^rs les doyen et chapitre de la grande église, les abbez, prieux et couvents, doyens et chapitres des secundaires églises susdites, ayant plussieures terres, rentes et revenues signories scituées et assises ès pays de mondit seigneur le duc, pour le furnissement desdits deniers deuz et promis pour le bien de paix, comme dit est. Offrans pour ce lesdits de Liége ausdits supplians obliger et submettre, tant en nom de ladite cité et communaulté comme en leurs propres et privez noms, et eux faisans forts pour tous autres inhabitans de ladite cité et banliewe, rachater icelles rentes et pensions, payer et furnir le cours d'icelles aux termes qu'elles eschéroient, de rendre et restituer tous dommaiges, despens et interrest qu'à ceste cause lesdits supplians pourroyent porter et soustenir, et de les rendre francz, quittes et indemnes sur leur honneur et sour paine d'estre réputez parjures et de eulx jureir la mengaille jusques au nombre de ii^c, quant requis en se-

de Flandres, d'Artois, de Bourgongne, palatin, de Haynault, de Hollande, de Zeelande, de Namur et de Zutphene, marquis du St-Empire, seig^{r} de Frize, de Salins et de Malines, à noz séneschaulx de Brabant, de Lembourgh, Daelhem et Faulcoumont, à noz maires de Louvain et de Tillemont, bailly de Nyvelle et de nostre romant pays de Brabant, Lembourch, Daelhem et Falquemont, ou à leurs lieutenans et chascun d'eulx en son endroit sur ce requis, salut.

De la parte de noz bien aimez les chanoines, officiers et suppostz des secondaires églises de la cité de Liége, ensemble des abbés, religieux et couvens des monastères de ladite cité, nous at esté remonstré comment eulx voyans que messire Guillaume d'Arembergh avoit piteusement occis et mis à mort feu

ront. Oucis lesquelles prières, offres et promesses, lesdits supplians, véans pour lors la dépopution de ladite cité, marchandise faillie, laboureurs cessée, touttes gabelles diminuée, avec autres inconvéniens, et que pour lors, grand nombre des bons bourgeois estoient. . . . . hors du pays, meus iceux suplians de pitié et de compassion, ayans leur . . . . et couraige au bien publicque, accordarent, moyennant ce que dict est, et en acceptant les offres et conditions susdites plus amplement déclarées ès lettres obligatoires sur ce faictes, dont lesdits supplians produisent le double avec ces présentes tous leurs rentes et revenues qu'ils avoyent et possédoyent èsdits pays, jusques à la somme de cinquante milles livres monnoie dite, sur ferme espoire d'estre relevez tant du principal comme des accessoires et despens, desquels ilz doibvent estre creus par leur simple parolle apparant par lesdites lettres obligatoires; toutes lesquelles promesses, obligations et conventions nonobstantes, lesdits de la cité et banlieuwe ont obmis, postposé et négligé payer, furnir et accomplir les cours desdites rentes et pensions, non pas d'un terme tant seulement mais de plussieurs, à l'occasion de quoi et pour leursdites faultes et négligences, les biens, cens, rentes et revenus desdits supplians estans ès pays, terres et seigneuries de vostre noble grâce sont arrestez, pris, détenuz et dissipez, distribuez et vendus au proffit desdits pensionnaires, au très-grand grieff et dommaige desdits supplians, extimez et montans juste calculation faicte oultre la somme de . . . . mil florins de Rhin d'or, ou plus, qui redonde présentement à la lésion, irréparable perdition et destruction desdits supplians, qui de présent ne sçavent de quoi vivre, veu le grand foulle et perte que souffert ont par les guerres, et plus feroit si au moyen de ladite obligation et par la vertu d'icelle ne leur estoit pourveu de remède propre et convengnable. Et pourtant que lesdits de Liége et de la banlieuwe d'icelle ont obligé et ypotecqué tant leurs corps comme leurs biens, mesmement ceulx qui sont scituez et assis soubs vostre puissance, pour estre vendus et exploictez seignourieusement par tous juges et justices où ilz pouroyent estre trouvez et qu'il plairat ausdits supplians d'eslire et choisir, comme par leursdites obligations appert, que vostre plaisir soit, si que prince de justice, fauteur espécial de l'église, juge et exécuteur en ce cas pris, choisis et esleus par lesdits supplians, accorder, consentir et faire expédier voz lettres patentes exécutoriales de ladite obligation sur et allencontre des personnes, cens et rentes, seigneuries, pensions, marchandises, prouffits, émoluments, que lesdits de Liége, cité et banliewe susdits puellent ou pourroyent avoir par tous voz pays, terres et seigneuries, et par espécial en voz villes de Treict sur Meuse et de Hui . . . , qui sont

nostre très-chier et très-amé cousin messire Louis de Bourbon, en son vivant évesque de Liége, son père espirituel et seigneur naturel, et que ledit messire Guillaume estoit entré en ladite cité à grand nombre de gens d'armes, noz ennemis et adversaires, et faisoit piller et rober lesdits remonstrans, avec aussi les menachoit de faire plussieurs autres oultraiges, maulx et dommaiges; ils, considérans les très-grands horribilité et détestablité desdits énormes faictz, perpétrez par icellui messire Guillaume et autres noz ennemis, et que lesdits remonstrans point ne vouloyent estre favorisans ou aulcunement consentans ne adhérans à iceulx noz ennemis ne en ladite morte et occision de leur dit père espirituele ne aux autres énormes et détestables faits de nosdits ennemis, et aussi qu'une grande partie de leurs biens et héritaiges estoyent gissans en noz pays, terres et seigneuries, s'estoient et sont retraits soubz nous et en nostre obéissance, espérans y estre traitez en toutte doulceur, raison et équité et comme noz subjectz propres, et que néantmoins ils estoient advertis qu'aulcuns de leurs dits biens et héritaiges avoyent esté de parte nous saizis, prins et mis en nostre main, soubz ombre et à l'occasion des entreprinses faictes sur iceulx nos pays par ledit messire Guillaume et autres ses alliez, qui leur tourne à très-grand desplaisir, intérest et dommaige, si comme ils dient, en nous requérant pour ce de nostre grâce et provision convenable.

Sçavoir vous faisons que nous, ces choeses considérées, inclinans favorablement à la requeste desdits remonstrans, nostredite main et tout autre empeschement, mis departe nous èsdits biens et héritaiges pour la cause dite, avons levé et hosté, et de grâce espéciale, se mestier est, levons et oestons par ces présentes; et avec ce aussi, de nostre plus ample grâce, avons prins et mis, prennons et mettons par cesdites présentes iceulx remonstrans, ensemble tous et quelconques leursdits biens et héritaiges, en nostre protection et sauve-

leurs retraictes et bantises principales et plus prochaines, pour les faire détenir, appréhender et vendre par tous juges et justices, cris et publications, et de donner les seeuretez d'entretenir et mander à faire entretenir les achapteurs en leurs achapts, comme faire se doibt en tel cas, auffin que les deniers venans et procédans desdites vendition puissent estre convertis au payement desdits pensionaires préallablement et subséquutivement au remboursement enthier desdits supplians pour leurs intérest et dommaige; aussi que le service divin grandement diminuée et en diverses parties par faultes desdites rentes délaissié, continuer se puisse et résumer * à l'honneur de Dieu, et consolation des âmes des fondateurs d'icelles. En quoi faisant vous ferez ce qui à l'office de bon prince et seigneur appartient, et lesdits supplians prieront Dieu pour vous et tous voz progéniteurs. »

* Il faut sans doute ajouter *dans nos églises*.

garde espéciale. Si vous mandons et à chascun de vous, sur ce requis, que de nostre grâce et main levée vous faictes, souffriés et laissiés lesdits remonstrans plainement et paisiblement jouir et user, sans leur faire ni souffrir estre faict aulcun destourbier ou empeschemeut au contraire; ains se leurs corps ou aulcuns de leursdits biens et héritaiges estoient encor saizis, prins ou arrestez, à la cause dite, vous les mettez ou fait mettre tantoest et sans délaye, à plaine et entière délivrance, en les deffendant et faisant deffendre au surplus de toutte voye de faict, car tel est nostre plaisir et voulons que ainsi le faictes, nonobstant quelconeques droits par nous faicts ou à faire d'iceulx biens, ordonnances, mandemens ou deffenses à ce contraires. — Donné en notre ville de Bruxelles, le 24e jour d'octobre l'an de grâce mille quattres cens quattres-vingts et deux. — Ainsi signé par monseigneur le duc : *Ja. Hujoel.*

MS. de la bibliothèque de l'université de Liege, n. 188, f° 243.

XCIX.

COPIE DE CERTAINE OBLIGATION FAICTE LE 11 AVRIL 1483, PAR LE PAYS DE LIÉGE, DE 30 MILLE LIVRES, EN FAVEUR DE MESSEIGNEURS JEHAN DE CHALON ET PHILIPPE DE CLÈVES [1].

—

Nous les membres et estas du pays de Liége, de Bouillon et de Looz, salut. Sçavoir faisons à tous ceulx qui ces présentes verront, que pour recognoissance et rémunération des grands faveurs et plaisirs, que nous ont fait en certains noz grands affaires, haulx, puissans et très-honnorez seigneurs, messeigneurs Jehan de Châlon, prince d'Orainges, et Philippe de Clèves et de la Marcke, capitaine général de Brabant, et autres de leur compaignie, nous avons accordé et conclud à eulx debvoir estre faicte et expédiée une grâce de la somme de trengte mille libvres artois, de quarante gros, mounoye de Flandre la libvre, laquelle somme pour accomplissement et expédition de ce avons promis et promettons par cesdites présentes, par noz foys, honneurs et

[1] Voyez ci-dessous la note p. 707.

sur l'obligation de tous noz biens, payer nostredit seigneur Philippe de Clèves, ou nom et au proffit de lui et de tous lesdits autres, ausquels il serat trouvé computer et apartenir, chascun en son endroict, en dedens les jours et termes qui s'ensieult, asscavoir dix mille libvres artois en dedens le jour de la nativité Nostre-Seigneur que premier attendons, autres dix milles, tels que dits sont, en dedens le jour de la nativité saint Jean-Baptiste, tantost après ensieuvant, et les autres dix milles libvres, par accomplissement ladite somme de trengte mille libvres en dedens le jour du Noël subséquent ensuyvant, qui serat l'an XIIII^c IIII^xx et chincque, stiele de Liége. Et parmi ce, seront et demeureront à ceste occasion abolyes et défaittes toutes promissions ou pétitions qu'aulcuns de la partie desdits seigneurs pourroyent à ceste occasion prétendre et demander. En tesmoing de quoi nous avons sur cesdites présentes faict appliquer les seels de la vénérable église de Liége, pour le membre d'icelle église, de messire Raus de Guygoven, seigneur de Goursen, et messingneurs Henri de Serain, seig^r de Rocourt, chevaliers, Conrard, advoué de Liers, pour le membre de la noblesse, et les seels des cité de Liége et ville de Huy, pour le membre de commun, sur l'an de grâce mille quattre cents quatre-vingts-et-trois, le onzième jour du mois d'apvril.

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, f° 257.

C.

APPOINCTEMENT FAIT (VERS LE COMMENCEMENT DU MOIS D'AVRIL 1483) DEVANT LA VILLE DE HUY [1].

—

Pour parvenir à bien de paix avec ceux du pays de Liége, sont accordez les articles qui s'ensieuvent :

Primo que lesdits de Liége bailleront ès mains de mons^r Philippe de Clèves,

[1] Vers la fin de février 1483, l'archiduc Maximilien s'empara de la ville de Bilsen, et au mois de mars il alla mettre le siége devant la ville de Huy ; mais les frères de la Marck ne lui permirent pas de conserver ses positions.

Les deux parties fatiguées de la guerre, son-

ou nom du duc et des estats du pays de Brabant, le chasteau de Huy, pour seureté dudit traicté et pour l'accomplissement des poincts y contenus, pour par lui ou ceux qu'il commettra estre gardé, soubz l'obligation d'icellui seig[r] et desdits estats, de rendre icellui chasteau ès mains de l'évesque qui serat confermé par nostre sainct père, après ce que les seuretez de furnir ledit traicté seront baillées par lesdits de Liége. Henry de Huy et Thiri Pouillon, sont commis à l'aide et garde soubz ledit mons[r] Philippe, en faisant serment à luy, au nom desdits duc et estas, aussi à l'église de Liége, de le bien garder et rendre, comme dessus, et pour icelle garder furniront ceulx de Huy les frais de trengtes personnes durante ladite guerre.

Item que messire Guillaume de la Marcke se partira dudit pays de Liége, tant qu'il plairat au duc et estas dudit pays de Brabant.

» Cest article est consenti par condition qu'icellui messire Guillaume jouirat du sien, quelque parte qu'il soit. »

Item que lesdits du pays de Liége obéiront à touttes provisions qu'il plairat ordonner à nostredit saint père, touchant l'éveschés de Liége, en lui faisant toutte obéissance et autres debvoirs qu'ils sont tenus de faire.

« Cest article est consenti. »

Item que lesdits de Liége payeront d'ores en avant la rente annuelle de xxxiiii mille livres par an laquelle sont tenues de payer, comme apert par lettres sur ce faictes, mises en dépost ès mains du chapitre d'Aix, à la reddition desquelles lettres ceux de Liége consentiront.

» Sur cest article est consenti que lesdites lettres soyent mises ès mains du duc et desdits estas de Brabant pour y poursuivre leur droict par justice, selon le contenu desdites lettres et sans les innover ne enfraindre. »

Item que de l'amende honorable des arréraiges de ladite rente, painne de cent mille escus et des dommaiges et intérest, extimez à 200 mil escus qu'ont lesdits estas de Brabant, ilz se submetteront à mondit s[r] ou tels seig[r] et villes qu'il

gèrent à faire la paix. Une trève jusqu'aux fêtes de Pâques fut enfin conclue par l'entremise de Philippe de Clèves et du prince d'Orange. Elle ne fut pas de longue durée; les frères de la Marck recommencèrent bientôt les hostilités.

C'est à cette trève que semble se rapporter cet *appoinctement* qui ne porte pas de date dans le manuscrit d'où nous l'avons extrait. L'acte du 11 avril, par lequel les Liégeois s'engagent à payer une somme de trente mille livres à Philippe de Clèves, ne doit-il pas faire supposer que l'*appoinctement* a été fait vers le commencement du même mois?

serat advisé, et ce qu'il serat par eux ordonné et appoincté accompliront lesdits de Liége.

« Ceste submission est consentie sur l'ung ou deux des villes de Mets, Trèves et Coulogne, tels que lesdits estas esliront, et auront lesdis de Brabant élection de choisir premièrement. »

Item prometteront lesdis de Liége de non jamais faire ne souffrir faire guerre du pays de Liége aux duc et pays de Brabant ne à autres pays d'icellui duc et ses successeurs, et ce par serment solempnel et soubs l'obligation de tous leurs biens estans audit pays de Brabant, et aussi sur painne de 500 mil escus, et de ce bailler leurs seels suffissans des trois estats au proffit desdis duc et estas de Brabant.

« Cest article est consenti. »

Item tous ceulx qui ont tenu le parti de feu monseigneur de Liége, cui Dieu pardoinst, tant avant son trespas que depuis, aussi de mondit seigneur le duc et des pays, et semblablement ceux qui ont tenu le parti desdis de Liége, durante ceste guerre, tant gens d'église, nobles, bourgeois, marchans et autres, retourneront et viendront de plain droict au leur et en tout tel estat qu'ils le trouveront; et tout cas advenu avant ledit trespas et depuis dudit seig[r] de Liége, pour le fait de ladite guerre, sont et demeureront abolis d'une parte et d'autre. Et toutes ces choses passées et accordées, l'armée présente desdits duc et estats se partirat dudit pays de Liége. Avec ce seront baillées lettres et seellées desdits duc et estats, d'entretenir ledit traicté, comme dessus est déclaré.

MS. de la bibl. de l'université de Liége, n° 188, p. 172.

CI.

MANDATUM SYNDICATUS STATUUM PATRIARUM LEODIENSIS, BULLONIENSIS, ETC., DE DIE 18 APRILIS 1483.

Vicedecanus et capitulum Leodienses ac nobiles et militares civitatis et patriae Leodiensis, ducatus Bulloniensis et comitatus Lossensis, nec non burgi-

magistri, consules et jurati civitatis Leodiensis et oppidi Huyensis, Leodiensis dioecesis, universis praesentes nostras litteras inspecturis, notum facimus quod nos tres status patriarum praedictarum repraesentantes, unanimiter et unanimi consensu, certis legitimis ex causis animos nostros ad hoc moventibus, praesertim et pro bono pacis et concordiae manutenendae, venerabiles nobilesque ac honestos et discretos sagacesque viros dominos Walterum de Coerswarem, canonicum Leodiensem, Conrardum de Bubays, advocatum de Liers, Henricum Morlet, Walterum Paylhe, cives Leodienses, et Johannem Burien, oppidanum Huyensem, licet absentes tanquam praesentes, nostros et cujuslibet statuum praedictorum fecimus, constituimus, creavimus, nominavimus et solemniter ordinavimus, ac praesentium tenore facimus, constituimus, creamus, nominamus et solemniter ordinamus syndicos ac procuratores, actores et factores ac negotiorum nostrorum subscriptorum gestores nuntiosque speciales et generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec e contra, ad comparendum, nostris et trium statuum patriarum praetactarum nominibus ac pro nobis seu cujuslibet nostrum, coram venerabilibus et circumspectis viris dominis decano seu vicedecano et capitulo collegiatae ecclesiae beatae Mariae Virginis gloriosae urbis Aquensis et ibidem in hoc quod quaecumque litterae et cartae per oratores sive nuntios illustrissimi principis domini domini Maximiliani, Austriae, Brabantiae, etc., ducis, illiusque patriae Brabantiae statuum nuper juxta tenorem cujusdam compromissi in et sub custodia sive manutenentia eorumdem venerabilium dominorum decani et capituli, tanquam depositariorum, de anno scilicet septuagesimo septimo et undecima mensis octobris aut circiter depositae, eisdem principi et statibus seu illorum nuntiis, oratoribus sive procuratoribus ad illos recipiendum missis sive mittendis, ad hoc speciale mandatum habentibus in sequentem tenorem certorum inter dictum illustrissimum principem dominum ducem illiusve status patriae Brabantiae, ex una, ac status patriarum Leodiensis, Bulloniensis et Lossensis noviter concordatorum restituantur, tradantur et realiter deliberentur consentientes, necnon et quascumque protestationes et requisitiones in et circa earumdem restitutionem, traditionem et deliberationem necessarias et requisitas facientes, caetera omnia et singula in iis et circa ea juxta tenorem praetactorum concordatorum necessaria et requisita facientes et procurantes, quae nosmetipsi omnes et singuli faceremus seu facere et exercere possemus et deberemus, si illis praesentes et personaliter interessemus, etiam si talia forent

quae mandatum exigant magis speciale et majora forent praenarratis. Promittentes praesentium tenore per fides nostras perpetuo tenere et habere ratum, gratum atque firmum totum id et quidquam in praemissis et circa ea per dictos nostros procuratores constitutos conjunctim aut divisim dictum, actum, factum, gestumve fuerit seu alias quomodolibet procuratum, ipsosque nostros procuratores hujusmodi et eorum quemlibet, quos per praesentes relevamus ab omni onere satis dandi relevare sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum nostrorum bonorum praesentium et futurorum. In quorum omnium et singulorum robur, fidem et testimonium praemissorum nos vicedecanus et capitulum ecclesiae nostrae ad causas, nos vero nobiles et militares praedicti nobilium et generosorum dominorum, Rasonis de Gudegoven, domini temporalis de Haneff et Thins, etc., et Henrici de Seranio, domini temporalis de Rocourt, et nos burgimagistri, consules et jurati civitatis Leodiensis, atque nos burgimagistri, consules et jurati oppidi Huyensis, ejusdem oppidi sigilla quibus in hac parte pro nobis et statibus patriarum antetactarum praesentibus nostris litteris utimur, duximus appendenda. Sub anno a nativitate Domini xiiii^{c} lxxx tertio, indictione prima, mensis aprilis die decima octava, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti, anno duodecimo.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de saint Lambert, n° 111, f° 340.

CII.

INSTRUMENTUM PROCURATIONIS COMMISSARIORUM IN AQUAS MISSORUM, ETC., DATUM DIE 23 APRILIS 1483.

—

In nomine Domini amen. Tenore praesentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, indictione prima, die vero mercurii, vicesima tertia mensis aprilis, mane, intra nonam et decimam horas ante meridiem aut

circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia papae quarti anno duodecimo, coram venerabilibus, egregiis et circumspectis viris, dominis decano et capitulo insignis ecclesiae beatae Mariae Aquensis, Leodiensis dioecesis, inque nostra notariorum publicorum ac testium infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum praesentia personaliter constituti, venerabiles ac strenui et sagaces viri domini Walterus de Coerswarem, venerabilis et insignis ecclesiae Leodiensis canonicus, ex parte ejusdem ecclesiae capituli, Conrardus de Bubays, advocatus de Leirs, ex parte nobilium civitatis et patriae Leodiensium, Henricus Morrelet, unus quatuor Violettae, et Walterus Paylhe, ipsius civitatis manburnus generalis et ex parte civitatis ejusdem, necnon Johannes Bueren, ex parte Huyensis et aliorum dictae patriae Leodiensis oppidorum, tanquam tres status dictarum civitatis et patriae repraesentantium, commissarii cum pleno mandato in hac parte, ut asseruerunt, missi et deputati vivae vocis oraculo dicti Walteri Paylhe, ibidem exposuerunt et asseruerunt, quod jam noviter fuisset certus tractatus pacis et concordiae per et inter illustrissimum principem et dominum dominum Maximilianum, archiducem Austriae, Burgondiae, Brabantiae etc., atque tres status patriae Brabantiae ex una, necnon tres status patriae Leodiensis partibus ex alia, de et super novissimis guerris sive dissentionis materiis inter ipsos tunc exortis proh dolor! et pendentibus conceptus, firmatus et conclusus, quodque in hujusmodi pacis tractatu foret inter alia unus articulus, concernens nonnullas litteras nuper per praefati domini archiducis necnon trium statuum patriae Leodiensis ad hoc deputatos commissarios pacis, dictos dominos decanum et capitulum, depositas, sicque ad hujusmodi articulo satisfaciendum eaedem praedictae partes sibi mutuo diem dominicam proxime praeteritam de sero in hospitio ad hunc locum concurrendi assignassent et concurrere statuissent. Quapropter ipsi domini Walterus, Conrardus, Henricus, Walterus et Johannes commissarii, sic ut praefertur, per dictos tres status patriae Leodiensis missi et deputati, animo et intentione tractatum dictae pacis ac praetactum articulum in eodem tractatu comprehensum insequendi illique realiter et effective parendi et optemperandi, ad hunc statutum et assignatum locum venissent et jam tertia dies esset quod praedictorum illustrissimi principis et domini archiducis ac Brabantinorum commissarios in hac parte mittendos exspectassent, et tandem intellexissent ipsos in itinere usque ad oppidum Dyest fuisse et iterum retrocessisse, causam ob quam ignorantes;

unde hujusmodi sic facta expositione, iidem domini Walterus, Conrardus, Henricus, Walterus, et Johannes, commissarii deputati antedicti, protestati fuerunt atque protestabantur, quod ipsi tanquam commissarii, sic ut praemittitur, per dictos tres status patriae Leodiensis missi et eorumdem trium statuum nomine illic coram dictis dominis decano et capitulo dictarum litterarum depositariis comparuissent et cum pleno mandato comparerent, animo et intentione praenarrato dicti tractatus articulo et eidem tractatui secundum omnes sui formam et tenorem satisfaciendi, quodque parati essent illi parere cum omnibus suis punctis et obtemperare; et quod per ipsos non stetit neque stat, quominus dicto tractatui in hac parte satisfactum sit seu satisfiat. De et super quibus praemissis omnibus et singulis memorati domini Walterus, Conrardus, Henricus, Walterus et Johannes commissarii deputati petiverunt sibi, quo supra nomine, a nobis notariis publicis infrascriptis unum publicum instrumentum fieri seu plura publica, si opus fuerit, instrumenta. Acta fuerunt haec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco praedictis, praesentibus ibidem honestis et discretis viris dominis Jacobo Tzant, artium magistro, parochialis novae curiae Beghinarum urbis Aquensis pastore, et Johanne Pistoris, praedictae beatae Mariae Aquensis capellano ecclesiarum, presbyteris dictae Leodiensis dioecesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Wilhelmus Sceevarts, presbyter Leodiensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus, necnon venerabilis curiae Leodiensis notarius juratus, quia expositioni, assertioni, protestationi aliisque praemissis, omnibus et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum honesto viro Johanne Spirinc, meo in hac parte connotario infrascripto, ac testibus praenominatis, interfui, eaque sic fieri scivi et audivi, idcirco praesens publicum instrumentum manu alterius, me aliis praepedito negotiis, fideliter scriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis, quibus utor per et post creationem notariatus apostolici, una cum eodem connotario meo subscripsi et signavi, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum, rogatus pariter et requisitus.

Et ego Johannes Spirinc de Aelborch, clericus Leodiensis, publicus sacra imperiali auctoriate et venerabilium ecclesiae curiaeque Leodiensis notarius juratus, quia expositioni, assertioni, protestationi aliisque praemissis omnibus et singulis, dum, sic ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum provido viro domino Wilhelmo Sceevarts, presbytero, meo in hac parte connotario supra-

scripto, ac testibus praenominatis, praesens interfui, eaque sic fieri scivi et audivi. Idcirco hoc praesens publicum instrumentum, manu alterius mei fidelis, me aliis arduis praepedito negotiis, fideliter scriptum, exinde confeci et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum eodem meo connotario, me hic propria mea manu subscribente signavi, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 111, f° 303 verso.

CIII.

COLLATIO PRAEBENDAE JOHANNIS DE FERNEY ROBERTO FILIO EVERARDI DE MARCHA, FACTA DIE 3 JUNII 1483.

Feria tertia post sacramenti, die tertia mensis junii, de sero, hora septima aut circiter, praesentibus in capitulo retro chorum domino Jaspare de Morialmeiz, canonico Sancti Materni, Theodrico Spirinc, Martino de Fexhe, virgifero ac Michaële Bolgry et pluribus aliis testibus, venerabiles domini Johannes de Quercu et Walterus de Coerswarem, fratres, Liberius Senior, Petrus Hollengnoul et Busco,.... contulerunt illustri domicello Roberto, filio domini Everardi de Marcha, clerico, id flexis genibus petenti, canonicatum et praebendam Leodienses, vacantes per obitum, etc., dicti domini Johannis de Ferney, et eidem eorum jure utenti inde providerunt, qui illico juravit personaliter. Quo praestito juramento, illico dominus Gilbertus praedictus eumdem in corporalem et actualem posuit possessionem, ducens eum in stallis et locum in choro assignavit. Super quibus, etc. Et respondit dominus Jacobus de Coerswarem pro juribus, etc.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 112.

CIV.

ACTA DIE 6 ET 15 JULII 1483. QUOAD SUMMAM DUCENTORUM FLORENORUM RHENENSIUM, QUAM GUILLIELMUS DE MARCKA AB ABBATE STABULENSI AC MALMUNDARIENSI MUTUO ACCEPIT.

Anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, indictione prima, die vero sexta mensis julii, hora decantationis summae missae in ecclesia Leodiensi aut circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti, anno duodecimo, in mei notarii publici ac testium infrascriptorum praesentia personaliter constitutus honorabilis vir Petrus dictus Rocquart, villicus pro tempore Leodiensis, procurator et eo procuratorio nomine honesti viri Johannis Tompsen [1], armigeri et castellani castellariae de Franchimont, Leodiensis dioecesis, ad infrascripta facienda, ut dixit, ab eodem sufficienter constitutus, de cujus quidem procurationis mandato legitimis constat documentis, sponte et ex certa ejus scientia animoque praemeditato minimeque etiam coactus ad hoc, ut asseruit, aut seductus, recognovit et in veritate confessus fuit nobilem et generosum dominum Guilhelmum de Marcha, dominum temporalem dominiorum de Agimont et Lumpinay, etc., per se et suos in ea parte factores habuisse et recepisse amore amicabilis mutui in prompta et numerata pecunia de et a reverendo patre venerabilique et religioso viro et domino domino Jaspare, monasteriorum Stabulensis et Malmundariensis, Leodiensis et Coloniensis dioecesis, canonice unitorum abbate, ducentos florenos rhenenses communes, viginti scilicet stuveris Burgundiae communibus pro illorum quolibet computatis. Quosquidem ducentos florenos idem Petrus, procuratorio nomine quo supra, pro praefato nobili et generoso domino Guilhelmo intercedente non solum et fidejubenti, sed et dictum Johannem Tompson principalem debitorem eorumdem ducentorum florenorum rhenensium constituendum, praedictum Johannem Tompson, eidem reverendo domino abbati aut ejus successo-

[1] Hic per instrumentum conditum die 27 junii ejusdem anni procuratores suos constituerat Johannem Gregorii, canonicum S. Petri Leodiensis, et praedictum Petrum Rocquart.

ribus seu saltem ejus vel illorum procuratori reddere et restituere promisit indilate ad orationem ipsius domini abbatis seu ejus successoris aut ejus procuratoris ad hoc sufficiens mandatum habentis, monitionem et requisitionem, infra sex menses, postquam illustris dominus Johannes de Marcha, aut quivis alter confirmationem episcopatus Leodiensis a sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino papa praefato aut successore suo obtinuerit, omnibus dolo et fraude sive cavillatione semotis, eumdem Johannem Tompson, principalem suum dominum suosque haeredes et successores ac omnia et singula sua et ipsorum bona haereditaria et alia quaecumque mobilia praesentia et futura in meliori forma, cum omnibus clausulis ad hoc necessariis et requisitis, erga praedictum dominum abbatem illiusve haeredes et successores aut causam ab eo seu eis habentes, obligavit pariter et ypothecavit, subjiciens eumdem Johannem jurisdictioni omnium judicum spiritualium et temporalium, etc.. etiam substituens quoscumque procuratores omnium curiarum apostolicarum spiritualium et temporalium pro tempore existentium, quorum nomina et cognomina hic haberi voluit pro expressis, ad confitendum hujusmodi debitum, etc., renuntians omnibus privilegiis juris canonici et civilis ac municipalibus, etc., promittens, etc. Acta fuerunt haec in ecclesia Leodiensi, anno, indictione, die, hora, mense et pontificatu quibus supra, praesentibus ibidem discretis viris Johanne de Echt, Johanne de Cyney et Theodrico Spirinc clericis Leodiensis dioecesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis, etc.

Deinde anno supradicto, mensis julii die decima quinta, hora decantationis summae missae in ecclesia Leodiensi, praesentibus discretis viris et honestis domino magistro Johanne de Quercu, decretorum doctore, canonico Leodiensi et Johanne de Naerfonteyn armigero, testibus, generosus vir Dyonisius dictus Corbeal, civis Leodiensis, sponte et ex certa sua scientia ac animo praemeditato, non vi, metu aut alias coactus seu seductus, sed sua spontanea voluntate, nomine et pro illustri domino Guilhelmo de Marcka, milite retro nominato non solum fidejubens, sed et se principalem debitorem ducentorum florenorum rhenensium supratactorum constituens, animo etiam novandi debitum eorumdem et illud in se suscipiens, recognovit ac alias in omnibus et per omnia promisit pro se ipso, prout et quemadmodum Petrus Rocquart, procuratorio nomine retroscripto, ut etiam retro scribitur, Johannem Tompson retro nominatum, obligavit se ipsum, et singula etiam sua bona ejusve hae-

redes et successores, prout latius et retro tangitur, obligavit pariter et ypothecavit, etc., ut in forma meliori renuntians, etc. — *Spirinc,* quoad praemissa notarius.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 112.

CV.

INSTRUMENTUM PROMISSIONIS ET OBLIGATIONIS PRO CLENODIIS ECCLESIAE CATHEDRALIS LEODIENSIS FACTARUM, DE DIE 10 JULII 1483.

—

In nomine Domini. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, indictione prima, mensis julii die duodecima, hora decantationis summae missae in ecclesia Leodiensi, aut circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti, anno duodecimo, in mei notarii publici et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum praesentia, personaliter constituti illustres nobilesque et generosi viri domini Everardus de Marcka, de Arberch, Mirwar, etc., Wilhelmus de Marcka, civitatis et patriarum Leodiensis, Lossensis et Bulloniensis mamburnus et gubernator, de Agimont, Lumpinay, etc., dominiorum domini temporales, milites et fratres, et unacum ipsis generosi domini Ghiselbertus de Canne, Johannes le Pollain, milites, Guilhelmus de Anptines, Rigaldus de Thys, Dyonisius dictus Corbeal de Poesseur, armigeri, Andreas de Wehongne, Jacobus de Bolseez, Johannes del Falloes, Arnoldus Lambert, Johannes dictus le Roque, cives Leodienses, necnon Petrus dominus Roquart, de Herina, villicus Leodiensis, tam suo quam Johannis Tompsen, castellani castellaniae de Franchimont, procuratoriis nominibus, ab eodem ad infrascripta sufficienter constitutus, de cujus procurationis mandato legitimus constabat et constat documentum, etc., sponte et ex certis eorum scientiis ac animis praemeditatis et deliberatis, non vi, metu, dolo, aut fraude, ut dixerunt, seducti, recognoverunt et in veritate confessi fuerunt, tam conjunctim quam divisim, accommodasse, ac veri, puri

et legitimi commodati titulo, recepisse de et a venerabilibus et circumspectis egregiisque ac nobilibus dominis vice-decano et capitulo insignis ecclesiae Leodiensis, cupientes atque intendentes periculis, malis, incommodis, jacturis atque damnis, ut ex actibus constabat gravi mentis cum amaritudine, verisimiliter eventuris, non quidem mediocribus praeoccurrere, capitulariter congregatis capitulantibus et infrascripta acceptantibus, nonnulla clenodia et jocalia aurea et argentea et alia dictae eorum ecclesiae paramenta subscripta :

Et primo imaginem unam sancti Georgii cum ejus lancea, vexillo, dracone auricale, supra quod imago felicis recordationis principis dudum ducis Karoli Burgondiae ad genua jacuit, quadam galea et duobus cerotecis per omnia de puro auro confectis, ponderantes simul tredecim marcas auri puri.

Item, pedem ejusdem imaginis, super quo ipsa imago stabat et stat, argenteum deauratum, ponderantem novem marcas argenti puri.

Item, unam imaginem beatae Mariae Virginis gloriosae argenteam, cum ejus filio, in cathedra una sedentis, ponderantem decem et sex cum dimidia marcas argenti puri.

Item, adhuc unam aliam imaginem beatae Mariae Virginis gloriosae yvoriam, clausam cum notabili tabernaculo argenteo deaurato; stantem super quatuor leones argenteos deauratos, in cujus exteriori parte lateris illius sunt imagines beatorum Petri et Pauli apostolorum, et in anteriori parte ejusdem tabernaculi annuntiatio beatae Mariae Virginis existit, ponderantem quatuordecim marcas argenti.

Item, unam aliam imaginem sancti Johannis-Baptistae argenteam, cujus barba deaurata existit, sicuti et etiam eadem imago in pluribus aliis suis locis deaurata existit, in cujus capite unum magnum os reliquiarum reclusum est, ponderantem viginti duas marcas et sex uncias argenti.

Item, adhuc unam aliam imaginem sancti Petri argenteam, cujus crines et barba deauratae existunt, habentis etiam clavem unam in ejus manu, ponderantem decem et sex marcas argenti.

Item, adhuc unam imaginem sancti Pauli apostoli cum gladio in ejus manu argenteam, cujus barba deaurata existit, ponderantem quindecim et dimidiam marcas argenti.

Item, adhuc tabulam unam quadrangularem, cum imagine Christi crucifixi in ligno crucis pendentis, de auro confectam, ponderantem quatuor marcas et sex uncias auri puri.

Item, adhuc unam aliam imaginem beatae Mariae Virginis gloriosae, habentem in ejus superioritate crucem unam, cum imagine matris Christi et Johannis evangelistae sub cruce, auri puri, et pluribus perlis, quae crux et imagines aureae existentes, ponderantem quatuor uncias et sex esterlingas minus unam quartam partem auri puri.

Item, imago beatae Mariae praetactae, habens in ejus dorso imaginem beatae Mariae cum ejus filio a cruce deposito; est ponderis duarum marcarum et duarum cum dimidia unciarum argenti.

Item, fibulum unum argenteum cum pluribus lapidibus, in cujus medio est imago una alba cum figura hominis et uno animali *buck* dicto, ac pluribus saphiris, ponderantem duas marcas et decem esterlingas argenti.

Item, adhuc unum alium fibulum argenteum, habentem unum canonicum ad genua ante imaginem beatae Mariae Virginis jacentem, qui per beatum Lambertum praesentatur dictae beatae Mariae, penes quam stat sanctus Servatius, ponderantem quatuor marcas et duas uncias argenti.

Item, adhuc unum alium fibulum argenteum, instar unius cordis confectum, habentem lapidem cum una facie in medio et sub illo lunam unam blavei coloris, cum aliis sex lapidibus diversorum colorum, aliis majoribus, qui plures sunt, ponderantem duas et dimidiam marcas argenti.

Item, adhuc unam magnam et notabilem crucem, ante processionem portandam, argenteam deauratam, cum pluribus et diversis lapidibus et imagine crucifixi, habentem martyrium sancti Lamberti inibi sculptam, etiam et vitam ejusdem sancti Lamberti a retro sculptam, ponderantem quatuordecim marcas et duas uncias argenti.

Item, adhuc unam pretiosam et valde notabilem vestem supra casulam, per episcopum celebrantem induendam, quae habet in anteriori ejus parte imaginem unam beatae Mariae Virginis gloriosae, cum ejus filio, et in illius reteriori parte Christum crucifixum, de perlis valde pretiose confectum, unde in pluribus aliquae perlae videbantur deperditae [1].

Ad capiendum desuper et mutuo recipiendum summam seu valorem quatuor millium ducatorum aureorum, seu eorumdem verum valorem, in usum

[1] Il y a dans le registre une note volante ainsi conçue : « Item, adhuc unam cappam valde notabilem, infinitis figuris de perlis ornatam, in magna multitudine per omnia quasi coopertam. Item, unum paramentum pro uno novo episcopo, appellatum superhumerale, habens in se plures lapides pretiosos. »

expeditionis litterarum apostolicarum, confirmationem postulationis illustris nobilisque et generosi domini Johannis de Marcka, in et ad episcopatum Leodiensem postulati, exponendam et convertendam et non alias; quae quidem aurea et argentea et alia clenodia antetacta in et sub pondere praescripto, antefati recognoscentes omnes et singuli tam conjunctim quam divisim, et eorum quilibet per se et in solidum per eorum fides corporales, per ipsos et ipsorum quemlibet, in manus mei notarii subscripti, stipulantes et recipientes vice, loco et nomine omnium et singulorum quorum interest, intererit seu interesse poterit quomodolibet in futurum, propter hoc corporaliter praestitas, lato juramento, atque sub excommunicationis poena, convenerunt et promiserunt antedictis venerabilibus dominis vicedecano et capitulo Leodiensibus praesentibus et acceptantibus, bene, integre, realiter et legaliter reddere, consignare et restituere ad locum thesaurariae Leodiensis, ex qua supradicta sunt, sine custibus, periculis, damnis et expensis, in eo valore et essentia in quibus tempore deliberationis fuerant, reponere seu reponi et reduci facere, infra sex menses confirmationiem postulationis episcopatus Leodiensis, dolo et fraude seclusis, proxime et immediate sequentes, sese et eorum corpora, necnon omnia singulaque eorum bona, mobilia et immobilia sive haereditaria, castrave et dominia quaecumque, ubicumque locorum situata, et ad eos spectantia, et quocumque nuncupentur nomine, propterea erga eosdem venerabiles dominos vicedecanum et capitulum Leodienses obligantes pariter et hypothecantes. Et insuper pro majori securitate praemissorum, ac ut dictis venerabilibus dominis vicedecano et capitulo Leodiensi tutius caveatur, de praemissis submiserunt sese antefati recognoscentes et praesentibus se submittunt, submisitque eorum quivis jurisdictioni, cohercitioni, compulsioni, foro et examini quorumcumque judicum, principum, ducum, comitum, baronum, militum, terrarum et dominiorum dominorum, eorumve spiritualium sive ecclesiasticorum necnon et temporalium villicorum et scabinorum ac justitiariorum, consenseruntque et consensit eorum quivis per se, quod ipsi recognoscentes, tam conjunctim quam divisim, eorumve haeredes et successores quicumque, etiam utriusque sexus corporaliter, necnon bona quaecumque eorum mobilia et immobilia sive haereditaria, praesentia et futura, etiam feodalia, eorumdem dominorum seu ipsorum villicorum et scabinorum ac justitiariorum potentia et auctoritate capi et arrestari ac in arresto detineri, vinculisque mancipari atque ad realem et actualem restitutionem praetactorum clenodiorum via juris

aut legis et legidice compelli possint et arctari, etiam et iidem judices spirituales et temporales principesve duces, comites, barones, milites, terrarum et dominiorum domini quicumque, illorumve villici, scabini et justitiarii, ubi ipsi recognoscentes eorumque bona conjunctim aut divisim, quaecumque reperiantur, inveniantur, apprehendantur, seu a quibus illa moventur et descendent, vendantur, transferantur, transportentur et alienentur, indeque legis opere requisitae quas ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc in dictum eventum ratas habent et acceptas, ea ementes seu acceptantes per personas quascumque, quas etiam ad id faciendum suos fecerunt et constituerunt procuratores, more legis fiant ad opus dictorum venerabilium dominorum vicedecani et capituli, et quod pretium exinde proveniens seu quaecumque pecuniarum summae abinde provenientes eisdem venerabilibus dominis vicedecano et capitulo aut ab eis causam ad haec habenti seu habentibus tradantur, exsolvantur et realiter deliberentur, ipsique domini illos percipiant, levent et assequantur per se aut alium seu alios, eorum nominibus, donec et quousque antetacta jocalia, clenodia et paramenta in et sub pondere et valore praenotatis reddita fuerint, restituta et liberata, reposita et ut praestita reassignata, necnon et de quibuscumque damnis, custibus, expensis et interesse ob hoc per eosdem venerabiles dominos quomodolibet sustinendis, quorum in ea parte simplicibus verbis credent et tempore ac loco congruis, absque aliquibus juramentis aut probationibus desuper faciendis credi volunt, et stari plenarie et integraliter fuerit et sit satisfactum. Quae si quidem haereditaria eorum bona praenarrata, antefati recognoscentes propterea, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, erga antedictos venerabiles dominos vicedecanum et capitulum obligarunt pariter et hypothecarunt, nil ipsis juris aut actionis ad illa, in quantum praemissis contrariari poterunt, retinentes; imo ex nunc prout ex tunc ea ad manus judicum, de quibus moventur, ad opus ecclesiae et dictorum dominorum faciendo episcopum legis operas transportarunt et transtulerunt. Et insuper adhuc ultra praemissa pro majori securitate praemissorum, dictis venerabilibus dominis vicedecano et capitulo Leodiensibus danda et praestanda, voluerunt supradicti recognoscentes et eisdem venerabilibus dominis plenarias potestatem, facultatem et mandatum dederunt speciale, quod ipsi venerabiles domini in casu quo iidem recognoscentes in praemissis defectuosi fuerint seu negligentes, et eisdem dominis jocalia, clenodia et paramenta antetacta infra terminum seu terminos prae-

expressos non restituerint, ut praenarratur, poterunt et possent de et ex eisdem recognoscentibus decem personas quascumque eorum ad beneplacitum per se aut certos eorum deputatos aut deputandos procuratores sive commissarios nominare et eligere, qui tenebuntur et obligati erunt absque quacumque contradictione, sub poena perjurii et amissionis honorum eorum, quemcumque locum seu quaecumque loca, hospitiumve seu hospitia ipsis per eosdem dominos seu illorum commissarium aut commissarios ex parte eorumdem nominandum et assignandum, seu nominanda et assignanda, ad comestus, subintrare cum totidem equis et inibi comestus servare ac expensas solito more facere. Quilibet scilicet eorum usque ad summam ponatur deceni unius floreni post... quolibet in die ascendentem et abinde clam vel secrete publice aut occulte non recedere, donec antetacta jocalia, clenodia et paramenta, et omnia et singula, unacum singulis expensis, damnis et interesse, per eosdem venerabiles dominos, ob eorumdem jocalium, clenodiorum et paramentorum non restitutionem realem, sustentis quomodolibet et perpessis sive quomodolibet sustinendis, restituta fuerint realiter et deliberata; in quibus solo verbo ipsorum dominorum seu eorum commissarii aut commissariorum stabitur et stari (debet), ut praedicti voluerunt, absque aliquibus probationibus desuper fiendis, proviso etiam quod, si ipsi sic ex dictis recognoscentibus eligendis ad comestus negligentes fuerint et remissi, et locum sive hospitium locave seu hospitia praetacta ad comestus non intraverint aut ab illis quomodolibet recesserint eorumdem dominorum absque licentia, quod ex tunc ipsi sic electi et nominati perjurium incurrent et eorum honores perdent et amittent omissione sola; quodque ipsi iidem recognoscentes in talis modi casu corporaliter et eorum tam propria corpora quam singula bona, mobilia et immobilia sive haereditaria quaecumque, auctoritate et potentia quorumcumque dominorum judicum, tam spiritualium et ecclesiasticorum quam secularium et temporalium, etiam et quibuscumque in locis capi, arrestari et detineri possint et valeant, donec et quousque antetacta clenodia, jocalia et paramenta ipsis dominis vicedecano et capitulo, seu potius ecclesiae Leodiensi restituta fuerint et realiter ad locum sacristiae Leodiensis ecclesiae reposita et reassignata, relocata et reliberata eorum custibus et expensis exstiterint, ut praefertur. Quorum si quidem dominorum judicum hujusmodi jurisdictioni judiciis, foris et examinibus, ipsi recognoscentes sese submiserunt et praesentibus submittunt, ita et taliter quod contra illos et eorum judicia exci-

pere, dicere aut allegare non valeant quoquo modo. Consenseruntque iidem recognoscentes, quod vidimus praesentium principalium litterarum et instrumenti seu instrumentorum, in quibuscumque judiciis ecclesiasticis et secularibus stetur et stari debet, ac fides adhiberi tanquam principalibus; quodque ipsi etiam ac eorum haeredes et successores contra ea dicere seu allegare non poterunt plus quam contra principales, renuntiantes supradicti recognoscentes conjunctim et divisim omnibus et singulis exceptionibus doli, mali et fraudis, laesionis, circumventionis rei aliter gestae quam scriptae, ac juris et facti et praesertim epistolae domini Adriani novae constitutionis de fidejussoribus beneficio cedendarum actionum, conditioni indebiti et sine causa ac ex injusta causa et ob turpem causam, praesertim etiam quibuscumque impetrationibus sive proprio motu concessionibus, apostolicis et imperialibus, seu aliorum quorumcumque principum, et generaliter omnibus et singulis aliis quibus praemissorum effectus impediri posset quomodolibet aut differri, maxime etiam et juridicenti generalem renuntiationem non valere nisi praecesserit specialis etiam et quibuscumque privilegiis, francisiis et libertatibus quorumcumque civitatum et oppidorum, nundinarum Antwerpiensium, Bergensium, Francfordensium et Coloniensium, consentientes expresse quod, illis et illorum libertatibus et francisiis non obstantibus, iidem recognoscentes corporaliter et quaecumque eorum bona in eisdem locis et quibuscumque aliis detineri, capi et arrestari atque finaliter vendi possint et valeant. Super quibus praemissis omnibus et singulis antefati venerabiles domini mei vicedecanus et capitulum Leodienses, ipsis pro se et eorum successoribus singulisque ipsorum confratribus interesse in hac parte habentibus, a me notario publico infrascripto vivae vocis oraculo venerabilis domini et magistri Johannis de Quercu eorum vicedecani fieri petierunt instrumentum unum publicum sive plura publica instrumenta. Acta fuerunt haec in majori capitulo dictae insignis ecclesiae Leodiensis, versus palatium episcopale, ad sinistrum latus chori ejusdem ecclesiae situato, sub anno indictione, mense, die, hora loco et pontificatu praescriptis, praesentibus ibidem discretis viris et honestis domino Nicolao de Graez, presbytero, magistris Theodorico de Brouheze, notario publico, Johanne Paren, artium, magistris Petro de Halloes et Johanne Isembaert, ac pluribus aliis notabilibus civibus Leodiensibus, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, *E* 111, *case* 2e, *f^o* 546.

CVI.

COLLATIONES CANONICATUS ET PRAEBENDAE ECCLESIAE LEODIENSIS, FACTAE DIE 15 OCTOBRIS 1483 EVRARDO FILIO ROBERTI DE MARCKA, ET PHILIPPO FILIO LUDOVICI DE MARCKA.

Decima quinta octobris, feria scilicet post Dionysii, hora capitulari de mane consueta, praesentibus in capitulo retro chorum dominis Rasone de Hollengnoul, claustrario, presbytero, Martino de Fexhe, et Johanne Mantels, clerico, Leodiensis dioecesis, testibus, venerabiles domini mei vicedecanus, scilicet Johannes de Quercu et capitulum Leodiense contulerunt canonicatum et praebendam ecclesiae Leodiensis, vacantes per mortem seu liberam resignationem venerabilis domini quondam Johannis de Humires, canonici, dum viveret, et decani Leodiensis noviter defuncti, generoso viro domino Evrardo de Marcka, filio generosi viri domini Roberti de Marcka, clerico Leodiensis dioecesis, tanquam ad illos obtinendos habili et idoneo.

Eisdem die, hora, loco et praesentibus testibus, antedicti venerabiles domini mei vicedecanus et capitulum contulerunt, sede episcopali vacante, eorum ipsis in ea parte competenti jure utendo, canonicatum et praebendam dictae eorum ecclesiae Leodiensis, vacantes ad praesens per mortem seu liberam resignationem venerabilis domini et magistri quondam Anthonii Asteruel[1], eorum, dum viveret, confratris illorum ultimo possessoris, extra romanam curiam et in partibus defuncti, generoso domino Philippo de Marcka, filio domicelli Ludovici de Marcka, domini de Agimont, etc., tanquam ad illos obtinendum habili et idoneo[2].

Archives de la province de Liége, registre de la cathédrale, nº 112.

[1] Alias *Astournel*.

[2] Die 11 junii 1484, Philippus de Marcka, canonicatus et praebendae possessionem coepit per procuratorem Henricum de Monte, ecclesiae S. Pauli canonicum, prout constat ex instrumento quod legitur in citato registro cathedralis ecclesiae Leodiensis, nº 112 Archivii provincialis.

CVII.

SIXTI IV CONSTITUTIO CONTRA ARENBERGIOS CIRCA ANNUM 1484, UT VIDETUR, LATA [1].

Ad futuram rei memoriam.

Ad reprimendas insolentias transgressorum et transgressiones insolentium refraenendas si nervus ecclesiasticae disciplinae tepescat, eorum ad peccandum voluntas fit proclivior, et impunitatis exemplum periculosius in alios derivatur. Propter quod ad praesidentis officium pertinet, sic debitam executionem adhibere justitiae, quod commissa causa puniat et committendorum imposterum audaciam interdicat. Sane ad nostrum relatione veridica non sine magna mentis amaritudine pervenit auditum, quod Everardus et Robertus ac Johannes de Marcha, alias de Aremberch, et Johannottus, bastardus de Scadous, ac nonnulli alii iniquitatis filii et perditionis alumni, a quorum oculis Dei timor abcessit, in civitate, patria et dioecesi Leodiensibus ac etiam extra illas constituti, non attendentes quod subditis in principem ac laïcis in clericos et personas et res ecclesiasticas nulla est attributa potestas, praetextu guerrarum, quibus proh dolor! civitas, patria et dioecesis praedictae illarumque incolae jamdiu multipliciter afflictae fuere, continue affliguntur; ac alias non contenti nefanda, detestabili, horredaeque crudelitatis nece bonae memoriae Ludovici episcopi Leodiensis, quem quondam iniquitatis filius Wilhelmus de Aremberch [2], dictorum Johannis de Marcha genitor et Everardi frater, ac Roberti patruus, et Johannotti socer ejusque complices adhaerentes, satellites et sequaces, sacrilega manu apud civitatem ipsam nequiter interimere non formidarunt, et sparso sanguine tanti praesulis sacrati ab eodem tempore citra in clericos et ecclesiasticas personas saeculares et regulares, etiam in dignitatibus constitutas civitatis, patriae et dioecesis praedictarum, eorum sacrilegas et violentas manus injicere, easque capere, detinere, carceribus man-

[1] Codex ex quo hoc descriptum est documentum, non est omnino integer.

[2] Ex hoc aliisque pontificiae constitutionis locis deduci posset eam datam fuisse, postquam Wilhelmus Arenbergius mortis suppliciam subierat in civitate Trajectensi.

cipare, tormentis subjicere, verberibus caedere, vulnerare, morti tradere et crudelibus afflictionibus ad redemptiones indebitas personaliter cohercere, eisque tallias, subsidia et alia onera indebita imponere, ecclesias quoque, monasteria, hospitalia et alia pia loca secularia et regularia dictarum civitatis et dioecesis capere, frangere, violare, profanare, occupare, occupata detinere, diruere et incendio concremare, ecclesias quoque monasteria et loca ipsa libris, calicibus, vasis sacris, crucibus, sanctorum reliquiis, jocalibus, paramentis et ornamentis aliis divino cultui et usui deputatis spoliare, ac hujus modi libros, calices, vasa sacra, cruces, sanctorum reliquias, jocalia, paramenta et ornamenta usu sacrilego, necnon fructus, redditus, proventus, res et bona alia personarum ecclesiasticarum, ecclesiarum quoque et monasteriorum, hospitalium et aliorum locorum piorum hujusmodi tam in ipsis ecclesiis quam etiam extra illas existentia, fructus etiam, redditus et proventus et bona peculiaria mensae episcopalis Leodiensis violenter rapere, depraedari ac in praedam abducere seu asportare, vendere, impignorare, alienare, manibus pollutis contractare; insuper et civitatem ac patriam Leodienses eorumque oppida, castra, arces, villas et loca hostiliter invadere ac illa, erecta in principem suum cervice rebelli, per tyrannidem occupare, civitatemque, patriam, dominia, castra, oppida, arces, villas, loca patriae et dioecesis praedictae eorumque incolas subditos et res et bona capere et in praedam abducere, partim populari et partim suae tyrannidi subjicere; ac etiam venerabili fratri nostro Johanni episcopo Leodiensi fideles subditos familiares et devotos quam plurimos in eadem patria seu extra eam capere et comprehensos similiter detinere, carceribus mancipare, quaestionibus subjicere, verberibus caedere, vulnerare, morti tradere, illisque tallias et alia onera indebita etiam imponere, stupra, adulteria et alia crudelia ac enormia dictu quoque horrenda et sacrilegia in ecclesias, in ecclesiasticas personas religiosas et seculares, monasteria, sacra et pia loca ac sacramenta ecclesiastica, subditos quoque et homines ac incolas utriusque sexus dictarum civitatis, patriae et dioecesis ac dominiorum ecclesiae Leodiensis et dicti Johannis episcopi committere, exercere et perpetrare; ac in eisdem civitate, patria et dominiis jurisdictionem et superioritatem ad praefatum Johannem et pro tempore existentem episcopum Leodiensem spectantia et pertinentia, tyrannice sibi usurpare: ipsi Johanni episcopo ac suis officialibus et officiariis ac judicibus, tam ecclesiasticis quam secularibus in spiritualibus et temporalibus, propria sua temeritate nullius ad

hoc potestatem habentis legitimi superioris auctoritate suffulti, inhibere eorumque summas et processus retractare et annullare ac alias multipliciter jurisdictionem tam spiritualem et ecclesiasticam quam temporalem dicti episcopi ejusque liberum exercitium necnon eumdem Johannem episcopum in assecutione et perceptione fructuum, reddituum et proventuum mensae suae episcopalis ac aliorum emolumentorum, rerum et bonorum ipsi competentium et debitorum impedire, laedere, perturbare et molestare, edicta et proclamata facere, proponere et promulgare, decreta, sententias et mandata facere et emittere ac judicare, monetam cudere et publice expendere et expendi facere praeter et contra consensum et voluntatem dicti Johannis episcopi, collegia quoque et congregationes illicita ac conjurationes et conspirationes in vitam et statum ejusdem Johannis episcopi facere, commovere et concitare, et insuper mala malis accumulando, nunc proxime effluxis diebus, procurantibus et cooperantibus perditionis et factionis filio nefandissimo Gilekinetto, cive Leodiensi, proditore, et nonnullis aliis tam civitatis quam illi adjacentium locorum incolis ejus sequacibus, civitatem Leodiensem praefatam violenter denuo occupare ac dilectum filium nobilem virum Jacobum comitem de Hoerne, episcopi fratrem germanum, aliosque multos ex proceribus ac nobilibus et subditis ipsius Johannis episcopi, quos pro dictae civitatis custodia dictus Johannes episcopus ad eamdem miserat, ac alios nonnullos tam ecclesiasticos quam seculares eidem Johanni episcopo fideles subditos familiares et devotos capere, captivare, detinere et carceribus mancipare, ac diversis poenis, injuriis, molestiis, exactionibus et oppressionibus afficere, multos etiam ex eisdem crudeliter et impie trucidare et occidere. Nonnulli etiam seculares judices ac temporalem jurisdictionem habentes clericos et ecclesiasticas personas, eorumque ac mensae episcopalis Leodiensis fructus, redditus, proventus, res et bona saeculari potestate sua arrestare, distrahere, personis saecularibus et ecclesiasticis eis gratis assignare, eosque clericos et ecclesiasticas personas ad standum juri coram eis judicatoque ab eis parendum realiter et personaliter cohercere praesumpserunt. Hactenus et eorum aliqui adhuc continuare ac nonnulla praedictis similia in dies committere non verentur. Propter quod clerici et personae ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum ea coacti deseruerunt, unde ecclesiae, monasteria et alia pia loca hujusmodi obsequiis divinis et Christi fideles sacramentis ecclesiasticis ac pauperes et infirmi piae hospitalitatis subventione fraudati fuerunt et fraudantur; pariter

ac civitatis, dioecesis et patriae Leodiensis incolae, homines et vasalli maximam sustinuerunt et sustinent jacturam; quodque nonnulli, qui gloriantur cum malefecerint, hujusmodi criminum patratores, necnon clericos et personas ecclesiasticas, ut praefertur, captas, ac insuper bona et res hujusmodi per eos in praedam abducta seu asportata scienter in civitatibus, oppidis, castris, villis, fortalitiis, terris et aliis locis receptaverunt et receptant; aliqui vero praemissa omnia seu nonnulla ex eis fieri seu committi fecerunt ac etiam mandaverunt, seu eorum nomine aut mandato facta seu commissa rata habuerunt et habent, alii etiam eisdem praedictorum criminum patratoribus in committendis ac prosequendis eisdem ac aliis similibus excessibus per se vel alium seu alios praestiterunt et praestant auxilium, consilium et favorem; et quod dolenter etiam referimus, nonnulli ecclesiarum praelati ecclesiasticaeque personae trepidantes et plus timentes temporalem quam aeternam offendere majestatem, talibus non tam temere quam periculose acquiesciverunt et assistiverunt; eaque omnia quae in gravem etiam divinae majestatis offensam, animarum periculum, ecclesiasticae libertatis contemptum et plurimorum scandalum cedere dinoscuntur, in civitate, patria et dioecesi Leodiensi praedictis sic sunt notoria, sic ea fama divulgat, sicque notoria experientia manifestat, quod tergiversatione aliqua nequeant occultari. Nos igitur ad quos spectat similia cohercere, et ne grege dominico per quempiam injuria irrogetur providere, ac talibus et tantis iniquitatibus debitis remediis obviare cupientes, praemissis omnibus debita meditatione pensatis, adversus temeritatem ipsam occurrere ac huic morbo, ne per moras temporum factus chronicus fomenta respuat medicinae, oportunam et congruam adhibere medelam, motu proprio non ad dicti Johannis episcopi vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex nostra scientia et auctoritate apostolica Everardum, Robertum, Johannem de Marcha, Johannottum, Gilekinettum ac alios omnes et singulos praefati Johannis episcopi et suae episcopalis jurisdictionis ac superioritatis usurpatores, perturbatores, molestatores, monetarios, conjuratores, conspiratores, concitatores ac Jacobi comitis et aliarum personarum ecclesiasticarum et secularium utriusque sexus praedictorum captores, detentores, carceratores, tortores, verberatores, vulneratores, injuriatores, exactores, oppressores, oneris impositores, interfectores, occisores, trucidatores, stupratores ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et piorum ac aliorum locorum civitatis, dioece-

sis et dominiorum praedictorum ecclesiae Leodiensis, ac rerum, bonorum et fructuum eorumdem effractores, violatores, profanatores, detentores, incendiarios, spoliatores, raptores, depraedatores, invasores, depopulatores, arrestatores, distractores, alienatores, sacrilegos, mandatores, auxiliatores, consultores, fautores, complices, sequaces, adhaerentes et receptatores eorum ac alios quoscumque, tam qui nunc sunt quam quos in futurum, quod absit, esse continget in praemissis quomodocumque culpabiles et delinquentes, tam ecclesiasticos quam seculares et ordinum quorumcumque regulares, quam etiam laïcos ubilibet consistentes, cujuscumque status, gradus vel conditionis existant et quacumque ecclesiastica etiam archiepiscopali, episcopali et mundana, etiam ducali, marchionali et comitali seu quavis alia dignitate et auctoritate praefulgeant, tam praemissorum occasione ac canone, vel per provinciales et synodales constitutiones seu alias excommunicatos, quorum nomina et cognomina ac si specialiter exprimerentur hic pro expressis haberi et in praesentium publicatione exprimi posse volumus auctoritate apostolica praesentium tenore requirimus et monemus, ac mandanus eisdem, quatenus omnibus excusationibus cessantibus, semotisque oppositionibus et appellationibus quibuscumque per praedictos aut aliquem eorum seu alios quoscumque in contrarium praemissorum et infrascriptorum forsan antepositis, vel in futurum interponendis, qualescumque sint aut fuerint, duas ex nunc prout ex tunc et e converso, nullas et frivolas ac illis nullatenus per quoscumque differendum fore, tenore praesentium decernimus et declaramus, quatenus infra novem dies post habitam per eos praesentium notitiam immediate sequentium, quorum tres primos pro primo et tres secundos pro secundo et alios tres ultimos dies pro tertio, ultimo et peremptis termino. eis et cuilibet eorum canonica monitione praemissa ad hoc assignamus. Everardus, Robertus, Johannes de Marcha, Johannottus, Gilckinettus ac alii omnes et singuli usurpatores, perturbatores molestatores, monetarii, conjuratores, conspiratores, concitatores, captores, detentores, carceratores, tortores, verberatores, vulneratores, injuriatores, exactores, oppressores, onerum impositores, interfectores, occisores, trucidatores, stupratores, effractores, violatores, profanatores, detentores, incendiarii, spoliatores, raptores, depraedatores, invasores, depopulatores, arrestatores, distractores, alienatores et sacrilegi supradicti praefatum Jacobum comitem et captos quoslibet alios supradictos relaxent, ipsosque pristinae eorum libertati restituant, et quo illi voluerint, tute

libere et secure sine ullo impedimento ire et stare, pari modo quo poterant ante captivitatem praedictam, permittant; spoliata quoque rapta et depraedata, abducta et asportata quaecumque restituant realiter et cum effectu, ac de ipsis et aliis hujusmodi per eos commissis et perpetratis, tam dicto Johanni episcopo quam ecclesiis monasteriis et aliis locis clericis quoque et ecclesiasticis ac aliis quibuscumque quibus restitutio facienda et satisfactio impendenda existit, realem et debitam satisfactionem et restitutionem faciant et impendant, aut cum eisdem alias desuper concordent et componant, arrestaque per eos posita supradicta tollant et amoveant, nec non ab hujusmodi arrestationibus, detentionibus distractionibus assignationibus, compulsionibus et aliis ac similibus per eos commissis et perpetratis excessibus et facinoribus supradictis omnino abstineant; mandatores vero, auxiliatores, consultores, fautores, complices, sequaces, adhaerentes et receptores praefati a mandatis, auxiliis, consiliis, favoribus, sequelis, adhaesionibus et receptationibus hujusmodi penitus cessent atque desistant, dictumque Johannem episcopum et quosvis alios spoliatos supradictos in et ad pristinam et debitam suam possessionem realiter et cum effectu reducant, reponant et restituant, et tam ipsi quam alii quicumque tam praesentes quam futuri similia de caetero committere seu attentare non praesumant. Et si Everardus, Robertus, Johannes de Marcha, Johannottus, Gilekinettus, ac alii omnes et singuli moniti praefati monitioni, requisitioni et mandato nostris hujusmodi infra dictos novem dies non paruerunt, nos in eosdem Everardum Robertum Johannem de Marcha, Johannottum, Gilekinettum ac alios omnes et singulos usurpatores, perturbatores, molestatores, monetarios, conjuratores, conspiratores, concitatores, captores, detentores, carceratores, tortores, verberatores, vulneratores, injuriatores, exactores oppressores, onerum impositores, interfectores, occisores, trucidatores, stupratores, effractores, violatores, profanatores, detentores, incendiarios, spoliatores, raptores, depraedatores, invasores, depopulatores, arrestatores, distractores, alienatores, sacrilegos, mandatores, auxiliatores, consultores, fautores, complices, sequaces, adhaerentes et receptatores et alios monitos et quemlibet eorum qui sic non paruerint, aut ut non pareatur, seu quod pareri differatur consuluerint, suaserint, fecerint, dixerint vel procuraverint seu alias, qualitercumque in hoc culpabiles fuerint, directe vel indirecte, tacite vel expresse ex nunc prout ex tunc et e contra majoris excommunicationis sententiam promulgamus ac eos et quemlibet eorum incurrere

volumus, eo ipso a qua praeter quam in mortis articulo constituti ab alio quam romano pontifice, etiam praetextu cujusvis facultatis cuiquam pro tempore desuper concessae, nequeant absolutionis beneficium obtinere, ita ut si quempiam eorum tanquam in tali articulo constitutum absolvi contingat, qui postmodum convaluerit in eamdem excommunicationis sententiam reincidat eo ipso, nisi post convalescentiam monitioni requisitioni et mandato nostris praedictis paruerit cum effectu. Et si Everardus et alii moniti et excommunicati praedicti dictam excommunicationis sententiam per alios quatuor dies dictos novem dies immediate sequentes animo, quod absit, sustinuerint indomito, ex nunc prout ex tunc et e converso civitatem praedictam Leodiensem et quaecumque oppida, terras, castra, villas et loca dioecesis et patriae ac dominiorum praedictorum, quorum universitates eisdem Everardo ac aliis monitis et excommunicatis supradictis parent vel adhaerent aut in futurum parere vel adhaerere contingat in praemissis, necnon alia quaecumque, civitates, terras, castra, villas, oppida et loca tam in dictis dioecesi et patria ac dominiis quam extra illa consistentia ad quae aliquem eorumdem monitorum et excommunicatorum declinari, in quibusve captivos et res ac bona hujusmodi detineri contigerit, quamdiu in illis permanserint ibive fuerint, et triduo post recessum ejusdem seu eorumdem, et quae in eisdem sunt, ecclesias, monasteria religiosa ac pia loca quaecumque, praefata auctoritate ecclesiastico subjicimus interdicto, ita ut illo durante, in illis etiam praetextu cujusvis etiam apostolici indulti, personis, ordinibus vel locis concessi, praeterquam in casibus a jure permissis et in illis aliter quam clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, et submissa voce nequeant missae et alia divina officia celebrari. Si vero moniti, excommunicati et interdicti praefati per alios duos dies dictos quatuor dies immediate sequentes ad cor reverti et dictum Jacobum comitem ac alios captos quoslibet et detentos, spoliata quoque rapta, depraedata, abducta et asportata quaecumque supradicta realiter et cum effectu relaxare et restituere ac de ipsis et aliis hujusmodi per eos commissis realem ac debitam satisfactionem et restitutionem, ut praemittitur, facere et impendere, aut alias, ut praefertur, desuper concordare et componere, arrestaque per eos posita supradicta tollere et amovere, necnon ab hujusmodi arrestationibus, detentionibus, distractionibus, assignationibus, compulsionibus, mandatis, auxiliis, consiliis, favoribus, sequelis, adhaesionibus, receptationibus et aliis ac similibus per eos commissis et perpetratis excessibus et facinoribus

supradictis penitus et omnino cessare atque desistere et abstinere, praefatumque Johannem episcopum et alios quosvis spoliatos peaedictos in et ad pristinam et debitam suam possessionem realiter et cum effectu reducere, reponere et restituere, ac nostris monitioni, requisitioni et mandato praedictis obtemperare distulerint, et in sua voluerint cordis duritia et perversa obstinatione permanere, eosdem Everardum, Robertum, Johannem de Marcha, Johanottum, Gilekinettum et alios omnes singulos dicti Johannis episcopi et suae episcopalis jurisdictionis ac superioritatis usurpatores, perturbatores, molestatores, monetarios, conjuratores, conspiratores, concitatores ac Jacobi comitis et aliarum personarum ecclesiasticum et secularium utriusque praedictorum captores, detentores, carceratores, tortores, verberatores, vulneratores, injuriatores, exactores, oppressores, onerum impositores, interfectores, occisores, trucidatores, stupratores ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et piorum ac aliorum locorum civitatis, dioecesis et dominiorum praedictorum ecclesiae Leodiensis ac rerum bonorum et fructuum eorumdem effractores, violatores, profanatores, detentores, incendiarios, spoliatores, raptores, depraedatores, invasores, depopulatores, arrestatores, distractores, alienatores, sacrilegos, mandatores, auxiliatores, consultores, fautores, complices, sequaces, adhaerentes et receptatores eorum ac alios quoscumque, tam qui nunc sunt quam quos in futurum, quod absit, esse contingat in praemissis quomodocumque culpabiles et delinquentes, tam ecclesiasticos quam seculares et ordinum quorumcumque regulares, quam etiam laïcos ubilibet consistentes cujuscumque status, gradus vel conditionis existant et quacumque ecclesiastica etiam archiepiscopali, episcopali et mundana, etiam ducali, marchionali et comitali seu quavis alia dignitate et auctoritate praefulgeant anathematis et aeternae maledictionis ac perpetuae damnationis, cum Dathan et Abiron quos terra vivos absorbuit, mucrone ligamus, ac eosdem in eorum iniquo proposito perseverantes, si ecclesiasticae personae tam seculares quam regulares fuerint, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis, etiam curatis et electivis, nec non aliis cum cura et sine cura secularibus et quorumcumque ordinum regularibus beneficiis ecclesiasticis per eos in titulum vel commendam, et easdem ac alias laïcales personas omnibus et singulis privilegiis, concessionibus, gratiis et indultis, juribusque et bonis omnibus quae in feudum vel emphiteosim aut alio quovis titulo a Romana seu Leodiensi vel aliis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis quibuscum-

que, obtinent, tenent et recognoscant, seu obtinebunt, tenebunt et recognoscent, ita ut illi ad quos pertinent hujusmodi feudorum et aliorum jurium et bonorum proprietates et directa dominia possint de illis utpote ad eos reversis pro eorum libera voluntate disponere, necnon jure patronatus, si quoad et super quaevis ecclesiastica beneficia habent et in posterum forsan habebunt, ac aliis eorum bonis omnibus, ita ut ex illis nil transmittant ad posteros eorumdem, eisdem motu, scientia et auctoritate privamus, destituimus et ab illis amovemus ac ad illa et quaevis alia ecclesias, monasteria, beneficia, dignitates, honores, administrationes, et officia tam ecclesiastica quam secularia, juraque et bona hujusmodi inposterum obtinendum inhabilitamus, et tam eosdem quam universitates praedictas, sic excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, interdictos, anathematizatos, maledictos et damnatos, ac ligatos et irretitos, privatosque et destitutos, amotos et inhabiles esse, ecclesias quoque, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia et alia beneficia eorum eo ipso vacare et ecclesiasticis idoneis etiam quaecumque, quoscumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica quovis modo obtinentibus conferri et de illis etiam provideri, necnon feuda, privilegia emphiteotica caeteraque bona et jura praedicta aliis laïcalibus seu ecclesiasticis personis juxta eorum et eorumdem statum merita et exigentiam perpetuo vel ad tempus concedi seu alias de illis disponi et ordinari posse ac debere tam per sedem apostolicam quam alios ad quos spectat, volumus atque decernimus et declaramus. Et ut alii eorum exemplo perterriti similia in posterum non attentent, ex tunc infames existant et ad testimonium non admittantur, testamenta et codicillos condere et aliis ex testamento vel ab intestato succedere et quoscumque legitimos actus facere non possint. Et si jurisdictionem obtinent, illa privati existant nec valeant eorum sententiae, neque alia quae illius praetextu jurisdictionis fierent ab eisdem. Nullus pro eis, nec ipsi pro aliis procurare possint, et si qui eorum notarii existant, instrumenta per eos confecta non valeant, sed cum auctore damnato damnentur, debitores eorum ab iis quae eis debent liberati sint. Nullus eis, sed bene ipsi aliis super quocumque negotio de jure respondere teneantur; filii quoque et nepotes ac alii descendentes eorum, usque ad quartam generationem, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis caeterisque beneficiis tam ecclesiasticis quam saecularibus, quae nunc obtinent vel eos in futurum jure obtinere contigerit, sine spe restitutionis eo ipso sint privati, et ipsis ac aliis natis nunc et qui postmo-

dum nascentur usque in generationem praedictam ad illa, quibus sic privati forent, et alia ecclesiastica beneficia et quoscumque ordines, dignitates et honores ecclesiasticos et mundanos sit aditus et ascensus omnino praeclusus. Et nihilominus [1]. . . . . ac aliis quibuscumque etiam metropolitanarum et cathedralium, collegiatarum et aliarum quarumcumque ecclesiarum praelatis et capitulis canonicis et rectoribus monasteriorum et prioratuum, abbatibus, prioribus, conventibus, monachis et religiosis, necnon domorum et conventuum etiam mendicantium ordinum guardianis, prioribus, fratribus et verbi Dei praedicatoribus ac aliis saecularibus et regularibus ecclesiasticis personis, qui desuper fuerant requisiti, per apostolica scripta ac sub similibus poenis et pari modo, ut praefertur, incurrendis, motuque scientia et auctoritate praedictis mandamus quatenus ipsi vel plures aut unus eorum per se vel alium seu alios aliquibus diebus dominicis aut aliis festivis in eorum ecclesiis, monasteriis, capellis et locis, dum ibi major populi multitudo convenerit ad divina, pulsatis campanis et accensis candelis ac demum extinctis et in terram projectis et conculcatis cum crucis vexillo et trina lapidum projectione, Everardum, Robertum, Johannem de Marcha, Johannotum, Gilikinettum ac alios omnes et singulos usurpatores, perturbatores, molestatores, monetarios, conjuratores, conspiratores, concitatores, captores, detentores, carceratores, tortores, verberatores, vulneratores, injuriatores, exactores, oppressores, onerum impositores, interfectores, occisores, trucidatores, stupratores, effractores, violatores, profanatores, detentores, incendiarios, spoliatores, raptores, depraedatores, invasores, depopulatores, arrestatores, distractores, alienatores, sacrilegos, mandatores, auxiliatores, consultores, fautores, complices, sequaces, adhaerentes et receptatores ac alios quoscumque monitos, excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, interdictos, anathematizatos, maledictos, damnatos, privatos, destitutos, amotos ac inhabiles supradictos et quemlibet eorum qui infra decem dictos duos ultimos dies immediate sequentes eorum praedictos [2] . . . . seu altero eorumdem si dictis nostris monitioni, requisitioni et mandato plene et integre in omnibus et per omnia cum effectu, prout unumquemque eorum respective concernunt, paruisse et obedivisse legitime non docuerint, excom-

[1] Verba quaedam desunt.

[2] Alia hic quoque desiderantur.

municatos, aggravatos, reaggravatos, interdictos, anathematizatos, maledictos, damnatos, privatos, destitutos, amotos et inhabiles ac aliis censuris et poenis praedictis ligatos et irretitos publice denuntient, et ut tales publicent faciantque et mandent ab aliis publice nuntiari et ab omnibus arctius evitari, ita ut omnes alii Christi fideles eos evitent et eisdem cuncta alimenta denegent ministrare, donec compuncti corde spiritum assumentes consilii sanioris monitioni, requisitioni et mandato hujusmodi nostris plenarie et integre realiter et cum effectu in omnibus et per omnia paruerint, aut desuper cum iis quorum interest concordaverint, necnon ab excommunicationis et aliis poenis et censuris praedictis absolutionis et interdicti hujusmodi relaxationis beneficium a nobis vel successoribus nostris romanis pontificibus quibus tantummodo, ne sub spe veniae consequendae occasio forte delinquendi aliquibus praebeatur, absolutionem et relaxationem hujusmodi reservamus, meruerint obtinere. Et insuper carissimos in Christo filios nostros Fredericum imperatorem et Maximilianum regem Romanorum, semper Augustos, et quoscumque archiepiscopos, episcopos, praelatos, principes, duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et alios temporales dominos tam Gallicanae quam Germanicae nationis ac aliarum circa adjacentium partium eorumque officiales, et gentium armorum capitaneos pro reverentia, quam ad sedem apostolicam gerere quotidiana experientia comprobantur, hortamur et requirimus, eisdemque archiepiscopis, episcopis et praelatis sub interdicti ingressus ecclesiae et a suarum ecclesiarum regimine et administratione suspensionis, principalibus vero ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, dominis, officialibus et capitaneis sub similibus censuris et poenis, quos si non paruerint eo ipso incurrant, districte praecipientes praefata auctoritate injungimus, ut eidem Johanni episcopo in recuperanda possessione civitatis Leodiensis et locorum aliorum ad eum et mensam suam episcopalem et ecclesiam Leodiensem pertinentium occupatorum, et consequenda liberatione dicti comitis et aliorum captorum, detentorum et arrestatorum eorumque ad pristinam libertatem, repositionem et ablatorum omnium sibi et mensae ac aliis personis et ecclesiis praedictis bonorum et fructuum integrali restitutione cum damnorum et interesse, quae ipse et suae Leodiensis et aliae ecclesiae, monasteria, hospitalia et pia loca aliaeque personae praedictae ecclesiasticae et seculares praemissorum occasione pertulerunt, plenaria refectione pro posse eorum assistant, et oportunos favores ac quae ipse Johannes episcopus petierit auxilia

praestare non omittant. Et quia ad dictum Everardum et alios supradictos in eorum propriis personis tutus non patet accessus, difficileque foret praesentes litteras ad singula loca in quibus expediens foret deferre, volumus quod earumdem praesentium litterarum vel illarum transsumpti authentici seu copiae collationatae et manu alicujus publici notarii subscripti publicatio in duobus aut tribus locis praedictae civitati Leodiensi vicinis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod litterarum earumdem nostrarum tenor possit ad eorumdem monitorum notitiam pervenire, perinde eosdem sic monitos arctet ac si litterae apostolicae praesentes eis personaliter praesentatae et insinuatae, ac lectae de verbo ad verbum exstitissent, quodque earumdem litterarum transsumpto sigillo alicujus praelati ecclesiastici munito et manu notarii publici subscripto eadem prorsus detur et adhibeatur fides, illique stetur in judicio et extra, quae daretur et prout staretur ipsis praesentibus litteris originalibus, si exhibitae essent vel ostensae. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque seu si eisdem monitis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut suis beneficiis, feudis, privilegiis sive bonis privari vel destitui, seu ab aliis amoveri non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae quoad hoc eis nolumus aliquatenus suffragari. Nulli ergo, etc..... Si quis autem, etc.... Datum [1].....

Bibl. royale de Belgique, MS. nº 10919.

[1] Desiderantur illa in ms.

CVIII.

INSTRUCTIO ANNO 1484 (UT VIDETUR) AB ARCHIDUCE MAXIMILIANO PROBATA, AD OBTINENDUM A SEDE APOSTOLICA SUPPRESSIONEM CATHEDRALIS ECCLESIAE LEODIENSIS ET ERECTIONEM NOVORUM EPISCOPATUUM LOVANII ET NAMURCI SEU TRAJECTI AD MOSAM [1].

Primo, quod ad ipsum sanctissimum Dominum nostrum sanctamque ejus sedem apostolicam pertinet dividere et unire episcopatus, ad quod Sanctitas

[1] In fronte hujus documenti, quod a viro cl. Leglay accepimus, legitur haec annotatio ab uno Godefredorum scripta : « Instruction » originale, signée *Maximilianus*, contenant » (un projet) les raisons et motifs avec les moyens » et expédiens du démembrement et division » de l'éveschè de Liége, afin d'en faire et com- » poser deux éveschez, l'un à Louvain et l'autre » à, etc. »

De hac episcopatus Leodiensis translatione mentio est apud Johannem de Los, supra p. 91, et in codice Hermanni de Wachtendonck : « Joannes Chapeaville (inquit) in Joanne de Horne dicit, quod in chartis publicis civitatis Leodiensis habeatur quod per quosdam Romae actum fuerit, ut in detestationem caedis commissae in personam Borbonii, sedes Leodiensis et clerus alio transferrentur ; et quibus mediis negotium impeditum fuerit. Sed illa subticet, quae ad longum debuisset enarrare. Videtur impeditum fuisse per oratores et legatos Romam missos per status ecclesiae, patriarumque Leodiensis, Lossensis et Bulloniensis, uti copia sequens in scriptis Dni Langii reperta fidem faciet : — « Beatissime et clementissime pater. Post pe- » dum oscula beatorum. Proficiscuntur in prae- » sentiarum ad pedes V. B. nostra parte et no- » mine R^{dus} in Christo pater et D. D. Hubertus » episcopus Dariensis, sacrae theologiae pro- » fessor ac ecclesiae Leodiensis suffraganeus, » nobilesque sagaces ac prudentes viri Walthe- » rus de Corswarem et Urbanus de Villari, ar- » migeri ; quibus nonnulla restaurationem, » praeservationem et statum ecclesiae, civitatis, » patriarumque Leodiensis, Lossensis et Bul- » lonensis concernentia vestrae Sanctitati humil- » lime exponenda pariter et supplicanda commi- » simus. Quas ob res eisdem vestris Sanctitati » et Beatitudini quam devotissime supplicamus, » quatenus ob reverentiam Dei et ecclesiae Leo- » diensis, devotissimae et peculiaris filiae ves- » trae Beatitudinis et sanctae sedis apostolicae, » praedictos nostros missos (imo potius nos) pro » consueta suae Beatitudinis clementia benigne » audire et exaudire dignetur. Quae, ut indubie » credimus, ad honorem Dei, laudesque innu- » meras dictae vestrae Beatitudinis cessura » sunt, et effectus praedictos productura, nos- » cat Altissimus, qui vestram sanctitatem pro » ecclesiae universalis honore et statu conser- » vare dignetur ad tempora longiora. Scriptum » Leodii, die 24 mensis novembris anno 1483.— » E. V. E. et S. — Devotissimi oratores eccle- » siae, civitatis et status repraesentantes pa- » triarum. »

sua potest et debet moveri, quoties commoditas seu utilitas rei id expostulat.

Item, quod ecclesia Leodiensis habet magnam et amplam dioecesim, continentem in longitudine quinquaginta leucas, et in latitudine triginta vel circiter, ratione cujus multa onera incumbunt episcopo seu praelato ipsius ecclesiae, quae non possunt per eum solum expediri. Ideo duos cogitur habere suffraganeos, illosque habet de praesenti.

Item et eo maxime, quia dicta dioecesis se extendit ad diversa dominia temporalia diversosque ducatus et comitatus, quorum aliqui habent linguam gallicam et alii theutonicam.

Cum hoc, tam ipsa civitas Leodiensis quam multa magna oppida castraque et arces aliaque fortalitia subjiciuntur ipsi ecclesiae et episcopo ejus temporaliter, ita quod in eis haereat omne dominium temporale, prout et quemadmodum principes et domini temporales habent et habere possunt in suis dominiis et ditionibus temporalibus.

Item, quod fructus et proventus ecclesiae, pertinentes ad mensam episcopalem ascendunt in summam triginta millium florenorum annui redditus vel circiter, qui fructus et proventus sufficerent et sufficere possent pro dote et fundatione duarum magnarum et amplissimarum ecclesiarum cathedralium.

Item, quod ista duo, videlicet amplitudo dioecesis et magnitudo reddituum et proventuum ejus secundum juris dispositionem sunt causae sufficientes, ut dividatur ipsa dioecesis in duas, et quod cuilibet episcopo assignetur dimidia pars ipsius dominii et dioecesis, tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Item, et licet duae praedictae causae videantur sufficere ad hoc, quod ipsa dioecesis et dominium dividantur in duas, subest tamen alia causa quae magis stringit, debetque et potest movere ipsum sanctissimum dominum nostrum, videlicet petulantia et insolentia populi existentis sub dominio temporali ipsius ecclesiae. Ipse enim populus adeo est et ab aevo fuit petulans et insolens, ut facile insurrexerit contra proprios episcopos et dominos, et frequenter sumpserit arma, ut eos depelleret.

Item et non solum insurrexit ipse populus contra proprium episcopum, sed etiam contra sibi vicinos principes maxime contra duces Brabantiae et comites Namurcenses, quibus et patriis eorum intulerunt multiplicia damna, propter quae orta fuerunt bella successive xvii, excepto praesenti, et multa alia exorbitantia contigerunt.

Item, quod haec petulantia, insolentia seu promptitudo arma sumendi et cornua contra superiores et vicinos erigendi, populo Leodiensi innata esse creditur, eo potissimum quod, cum ipse populus est multus et magnus, simul adunatus et unitus, ideo cito superbit et confidit in viribus et feritatibus propriis, et in fortalitiis episcopi, quibus ut plurimum majores natu ejusdem populi praesunt, quo sic ut quaecumque cupiant seu cogitent, conentur adimplere.

Item, pro evidentia et demonstratione praemissorum, primo proponetur quod in anno Domini *millesimo quadringentesimo octavo,* incolae dominiorum temporalium ipsius episcopatus se commoverunt et crexerunt contra et adversus quondam dominum Johannem de Bavaria, tunc episcopum Leodiensem, ut eum vi et armis dejicerent de episcopatu suo.

Secundo, ut id adimplerent, congregaverunt magnum et copiosum exercitum, quo mediante fuerunt ausi confligere tam cum dicto domino Johanne de Bavaria, eorum episcopo et domino, quam cum quondam bonae memoriae domino Johanne de Burgundia, et domino Guillelmo, comite Hannoniae, dicti domini episcopi auxiliatoribus, in quo conflictu dicti Leodienses victi, fracti et prostrati usque ad xx^{m}, petierunt pacem, quam obtinuerunt, mediantibus certis conditionibus in litteris dictae pacis contentis, sed post aliquos annos infregerunt dictam pacem, nihil aut parum de promissis per eos observando.

Tertio, quod non solum infregerunt dictam pacem sed iterum insurrexerunt contra et adversus quondam bonae memoriae dominum Philippum, ducem Burgundiae et Brabantiae, filium, haeredem et successorem dicti domini Johannis Burgundiae ducis, a quo similiter obtinuerunt nova foedera pacis, sed eis non observatis, idem erexerunt cervices suas contra et adversus reverendum in Christo patrem illustremque principem dominum Ludovicum de Borbonio, novissimum eorum episcopum et dominum, quem non solum aliquandiu captivum tenuerunt, sed et toto conatu voluerunt de propria sede depellere.

Quarto, quod ipsum de sede expulissent, nisi adventasset illustrissimus princeps primo Philippus et deinde dominus Carolus, dux Burgundiae et Brabantiae, unacum rege Franciae moderno, qui ad requisitionem sedis apostolicae, congregata magna manu copiosoque exercitu, conflixit bis cum dictis Leodiensibus, quos in utroque praelio fregit et devicit, et dictum dominum Ludovicum episcopum in jus et possessionem dicti sui episcopatus manute-

nuit atque defendit; propter quod Leodienses ineffabilia terris ducum praedictorum intulerunt damna.

Quinto, quod licet ipse dominus dux Carolus in vindictam et ultionem priorum foederum toties et tantis vicibus per dictos Leodienses infractorum potuisset et jure merito totam patriam Leodiensem delere, misericordia tamen motus et ad humillimas preces ipsorum Leodiensium, concessit eis novam pacem sub certis conditionibus, pactis et promissionibus in litteris dictae pacis contentis et declaratis.

Sexto, quod licet ipsae promissiones, vivente dicto domino duce Carolo, fuerunt observatae, ipso tamen vita functo, dicti Leodienses non solum resilierunt ab ipsis promissionibus, quin imo multas molestias intulerunt patriis et subditis ipsius domini ducis, prout faciunt et inferunt de praesenti.

Septimo, quod plus est. licet ipse quondam dominus Ludovicus de Borbonio, episcopus Leodiensis, toto tempore sui regiminis tractaverit dictos Leodienses subditos suos in omni justitia et mansuetudine, sicut decet bonum praelatum et dominum, ipsi tamen erexerunt cervices suas contra eum, et ut ei magis ac magis nocerent, inierunt foedera cum quodam Guillelmo de Arenberch, ejus inimico, exule et interfectore quorumdam sacerdotum et ministrorum Dei.

Octavo, nec sunt veriti assumere sibi arma et cum dicto Guillelmo de Arenberch invadere dictum dominum Ludovicum episcopum eorum et principem, quem impie et crudeliter trucidaverunt, propter quod se privarunt et reddiderunt indignos sede episcopali, et insuper inciderunt in alias graves et multiplices poenas a jure introductas.

Nono, ducatus Brabantiae insignitas, qui inter caeteros imperii principatus pollens clarusque habetur, multum debet movere sanctissimum dominum nostrum ad decorandum tantum ducatum una episcopali sede, cum multi, nedum inferiores ducatus, verum etiam comitatus, marchionatus et pleraeque longe minores provinciae, hac praerogativa radient.

Item, ex praedictis patet dictos Leodienses esse et ab aevo fuisse homines insolentes et seditiosos, qui saepius rebellarunt contra proprium dominum et ecclesiam, cui subjiciuntur, quodque seditio, rebellio et insolentia eorum provenit habetque fundamentum ex fiducia quam sibi assumunt, tam et numerositate populi sui quam fortalitiorum quorum regimen sibi semper usurpaverunt, prout et usurpant.

Item, et ad tollendum fundamentum ipsius insolentiae, ut cessent opera sua seu scelera, quae hactenus inde provenerunt, nihil melius aut consultius videtur quam dividere ipsum episcopatum in duos, et assignare cuilibet ipsorum duorum episcoporum medietatem dominii et patrimonii ipsius ecclesiae; per hoc enim diminuentur vires et superbia ipsius populi, et insuper providebitur securitati episcoporum et ecclesiarum.

Item, et quia, ut dictum est, civitas Leodiensis per trucidationem proprii episcopi reddidit se indignam sede episcopali, supplicatur serenissimus Dominus noster quod placeat Sanctitati suae erigere in dicta dioecesi duas ecclesias cathedrales, unam videlicet in oppido Lovaniensi, eo quod sit insigne et amplum oppidum, habens universitatem scholarum multasque ecclesias tam seculares quam regulares et alia multa insignia, ubi nuper episcopus defunctus suum consistorium transtulit, ibique in honore et reverentia et quiete viguit aliquandiu, et aliam in oppido Namurcensi vel Trajectensi, quae similiter sunt oppida insignia et habentia multas ecclesias tam collegiatas quam parochiales.

Item, et quod ad divisionem ipsius dioecesis patrimoniique ejus placeat Sanctitati suae committere aliquos providos, graves et expertos viros qui aequaliter dividant dictum patrimonium et assignent cuilibet ipsorum episcoporum id quod eis magis conveniet. His rationibus possunt et alia addi ad suadendum hanc divisionem, videmus enim quod est necessarium episcopo Leodiensi habere, ut praefertur, duos suffraganeos qui vix cum ipso possunt sufficere muneribus et oneribus ipsius episcopatus. Quare melius salubriusque videtur tantam dioecesim committere duobus qui partis sibi commissae curam habere possint, quam uni soli qui non facile tantae rei sufficiat.

Haec faciendo augetur cultus, erunt enim duae insignes ecclesiae cathedrales loco unius, et in earum qualibet sufficientissimus numerus canonicorum, puta triginta unus, dividendo lxii canonicatus qui sunt in ecclesia Leodiensi aequaliter.

Nec obstat praedictis, si quispiam eorum qui postulati sunt ad dictam ecclesiam Leodiensem vellet contradicere divisioni ipsius dioecesis, nam cum postulatus nullum jus habeat nec in re nec ad rem, potest sedes apostolica, maxime cum causa subest, procedere ad ipsam divisionem, quocumque postulato reluctante seu contradicente.

Item, et nimis debet attendi contradictio filii praefati Guillelmi de Arenberch, qui se postulatum ad dictam ecclesiam praetendit, quum illius postulatio,

si qua fuit, fuit notorie violenta, et sic ex hoc capite nulla. Praeterea ipse non solum fructu hujus postulationis, sed etiam quovis alio minimo beneficio in Leodiensi existente inhabilis atque incapax ea ratione dinoscitur esse, quia dominus de Arenberch, pater ejus, novissimum episcopum jugulavit.

Quod dictus Guillelmus et Leodienses, post praefati domini episcopi caedem, etiam ducales invaserunt agros hostiliter atque occuparunt castra et arces de Phalays ducatus Brabantiae, et de Durbu ducatus Luxemburgiae, moliebanturque pejora, nisi eis a serenissimo domino duce occursum fuisset, qui non solum agros suos strenuissime tutatus est et praefatas recepit arces, sed etiam oppida Sancti Trudonis, Tongris, Hasselt et omnia oppida in comitatu Lossensi existentia universumque ipsum comitatum manu militari in suam ditionem brevi spatio redegit.

Item, et quod nisi fuisset spes, quam ducalis celsitudo habet in divisione episcopatus obtinenda, praefatum comitatum omnemque Leodiensem agrum ferro atque igne funditus evertisset, quod adhuc non tam libenter quam necessario sibi faciendum erit pro suarum patriarum tutela et securitate, nisi ipsa divisio fiat, cum nullum aliud sibi relictum sit securitatis remedium, attentis insolentia et recidivatione Leodiensium, qui toties violato jurejurando atque pace et religione contempta, Brabantiam, Limburgiam, Lucemburgiam, Namurcum et Hannoniam hostiliter aggressi sunt. Quare ut provideatur indemnitati principum subditorumque suorum, aut episcopatus ipse est dividendus aut tota patria Leodiensis funditus necessario delenda.

et producta; necnon una cum eodem nobilibus et generosis dominis Olivero de Marcka, Wilhelmo Doubelstein, Johanne Maschereel, militibus, Renero Bormans, Sancti Petri decano, magistro Petro de Cortenbach, Sancti Pauli Leodiensis ecclesiarum collegiatarum canonico ac sigillifero Leodiensi, ac pluribus aliis antedicti reverendi patris domini electi ambaciatoribus illic propterea missis, antefatus venerabilis et circumspectus dominus et magister Tilmannus Slecht, habens et suis in manibus tenens certas apostolicas ac felicis recordationis sanctissimi domini nostri domini Sixti, divina providentia papae quarti, litteras pergameneas ejus, dum viveret, bulla plumbea in cordulis canapis more romanae curiae impendenti, bullatas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas non abrasas nec in aliqua earum parte suspectas, sed omnibus prorsus vitio et suspicione carentes, illas coram antedictis venerabilibus dominis meis decano et capitulo exhibuit in medium et produxit, quarum tenores subscribuntur : dixitque ulterius et subjunxit antedicto reverendissimo patri et domino domino Johanni de Hoerne de hujusmodi insigni ecclesia et episcopatu Leodiensi, certis modo et forma in eisdem litteris apostolicis contentis pridem vacantibus ejusque sanctam sedem apostolicam per praelibatum recolendae memoriae sanctissimum dominum nostrum dominum Sixtum papam quartum canonice fuisse et esse provisum, petens eapropter quatenus praefati venerabiles et circumspecti domini decanus et capitulum ipsius insignis ecclesiae Leodiensis hujusmodi procurationem sive mandatum et litteras easdem apostolicas per eum exhibitas coram ipsis legi facerent et audirentur, et post hoc suum ulterius continuaret sermonem. Ad cujus siquidem ipsius domini et magistri Tilmanni Slecht instantem petitionem, ego notarius subscriptus hujusmodi tam procurationis mandatum quam litteras apostolicas exhibitas in manibus meis recepi, ac de mandato speciali dictorum meorum venerabilium dominorum, publice alta et intelligibili voce coram eisdem legi et publicavi, quarum quidem apostolicarum litterarum tenores sequuntur et sunt tales : « Sixtus episcopus, servus servorum Dei, etc. », ut in bulla. Quibus quidem mandato procurationis et apostolicis litteris exhibitis sic per me lectis et publicatis ac per dictos venerabiles dominos meos auditis sane et intellectis, iidem venerabiles domini volentes, ut asseruerunt, sese super praemissis deliberare, commonuerunt antedictos venerabilem dominum et magistrum Tilmannum, quo supra nomine procuratorem, aliosque nobiles et generosos viros secum ibidem existentes praetactum eorum capitularem locum exire. Quibus egressis

et post aliquantulum temporis intervallum, in et ad illum revocatis ac eumdem locum reingressis, antefati venerabiles domini mei decanus et capitulum supradictis venerabilibus nobilibusque et generosis dominis Tilmanno Slecht procuratori et aliis ambaciatoribus praedictis ibidem secum existentibus, vivae vocis oraculo venerabilis domini Petri de Hollengnoul canonici et cantoris Leodiensis eorum confratris, responderunt super praemissis per haec aut similia in effectu verba : « Venerabiles domini, procurator nobilesque et generosi viri domini ambaciatores, domini mei audiverunt litteras reverendi patris et domini nostri domini electi confirmati Leodiensis sibi a sanctissimo recolendae memoriae domino Sixto papa praedicto et sancta apostolica sede concessas, ac sane intellexerunt, et quia [1] in illis narratur nos ipsi reverendo patri domino Johanni de Hoerne, obidientiam praestare debere, salva nobis protestatione de non consentiendo, in hoc quod ei obedire teneremur, ipseque in nos sententias aliquas ferre poterit, quum tantummodo sanctissimo in Christo patri et domino nostro domino papae ejusque sanctae apostolicae sedi subesse dinoscimur, iidem domini mei, tanquam obedientes filii sanctissimi in Christo patris et domini domini papae ejusque sanctae apostolicae sedis mandatis parere volentes semper et obedire, eumdem reverendum in Christo patrem et

[1] In registro e quo hoc documentum descriptum est, foliolum additur, in quo haec leguntur : « Et quia ex illarum tenore videtur sanctissimum bonae memoriae dominum Sixtum papam praedictum nobis mandare inter alia, quatenus dicto domino Johanni electo obedientiam et reverentiam exhiberemus ac monita et mandata ejusdem susciperemus devote et adimplere curaremus, Domini mei et ego protestamur quod per receptionem earumdem litterarum et suae reverendissimae paternitatis non volumus aut intendimus eidem reverendissimo domino nostro aliquam recognoscere obedientiam, aut nos ad illum sibi subjici, nosque in aliquo suis monitis parere teneri aut obedire, quoniam omnino sanctae sedi apostolicae et reverendissimo domino nostro papae subsumus et ab episcopi nostri seu electi omnimoda jurisdictione exempti penitus et privilegiati, libertatibus, privilegiis, et exemptionibus apostolicis nobis et ecclesiae nostrae hactenus concessis attentis et causantibus. Qua protestatione eisdem venerabilibus dominis meis salva et mediante, antedicti venerabiles domini mei de tanti nobilis viri nobis praefecti promotione multifarie gaudentes, ac sperantes quod, dirigente Domino actus suos, ecclesia nostra sub ejus felici regimine, divina sibi assistente gratia, utiliter regetur et prospere dirigetur, apostolicis litteris pariter et mandatis tanquam obedientiae filii parere semper et obedire volentes, antedictum reverendissimum dominum nostrum et illustrissimum principem in personam vestram et vos illius procuratorio nomine in ecclesiae nostrae Leodiensis electum confirmatum et futurum episcopum recipiunt et admittunt, juribus, juramento, statutis et consuetudinibus ecclesiae nostrae, pro quibus Robertus de Momalia, ecclesiae subcomputator, respondit, salvis. Quibus sic factis, illico, etc. »

dominum nostrum dominum Johannem de Hoerne, in personam vestram et vos illius procuratorio nomine in et ad episcopatum ecclesiae nostrae Leodiensis tanquam illius electum confirmatum admittentes duximus et admisimus, ac per praesentes in Dei nomine, juribus, juramentis, statutis et consuetudinibus ejusdem nostrae ecclesiae salvis, admittimus. » Et mox ex tunc antefatus dominus et magister Tilmannus Slecht, procuratoris nomine quo supra, juramentum per episcopos Leodienses seu illius electos confirmatos praestari solitum, manu tactis per eum ob hoc sacrosanctis Dei et imagine crucifixi, ut moris est, praestitit modo et forma in primo libro cartarum ipsius ecclesiae Leodiensis de magna sive rotunda littera descriptum, et ulterius ultra illud in sequentem formam juramenti per bonae memoriae dominum quondam Ludovicum de Bourbon, episcopum, dum viveret, Leodiensem, ut asserebatur, in ejus introïtu praestiti et per dominos decanum et capitulum ejusdem ecclesiae Leodiensis tunc ordinati, juravit etiam quod impedimenta facta contra judicium pacis Leodiensis et pacis regis Philippi Franciae tollet et amovebit, similiter et contra jurisdictionem ecclesiasticam, non solum in Brabantia et in patria Namurcensi, imo et in aliis domaniis infra dioecesim, et etiam in patria, per barones, milites et militares, ac bonas villas, et quod faciet in curia Leodiensi statuta tam synodalia cum suis modificationibus quam etiam curiae Leodiensis per suos praedecessores facta observari, et transgressores puniri. Quodque se promoveri faciet in sacerdotem infra unum annum proximum, nec in contrarium utetur quavis dispensatione obtenta vel obtinenda: et quod non faciet nec acceptabit guerram contra aliquem principem aut dominum, seu etiam colligantiam aut confoederationem sine consilio et consensu trium statuum patriae suae Leodiensis; et si in posterum peti contingat decima per romanorum regem seu imperatorem a clero, ecclesia seu ecclesiis ac toti clero dioecesis Leodiensis eisdem assistet et adhaerebit rationabiliter resistendo et clerum in jure et consuetudine defendendo; quodque castra ipsius ecclesiae ruiinosa in suis defectibus ruiinosis faciet debite reparari; et quod in feudis ecclesiae Leodiensis relevandis prosequeretur vasallos, (qui) illa relevabant.

Sed super reliquis aliquibus punctis per venerabiles dominos capituli Leodiensis ad jurandum ordinatos, videlicet quod ipse reverendus pater dominus dominus Johannes de Hoerne, electus confirmatus Leodiensis praedictus deinceps ponet et deputabit suos sigilliferum officialem, et cancellarium in

ecclesia sua Leodiensi, et quod officia curiae Leodiensis non vendet aut impensionabit, et quod idiotas et minus sufficientes in officiis existentes destituet, ac litteratos et honestos viros ad ipsa officia deputabit, et quod amodo diaetas tenendas tenebit et servabit suis expensis, et expensas ministrabit praesertim iis quos per capitulum mitti continget; quodque non sustinebit quod ecclesia et patria onerentur seu graventur pensione aliqua, seu tributaria fierent, atque capitulo assistet et adhaerebit, si ipsum desuper appellare contigerit, se retulit dictus procurator, quo supra nomine, ad reverendum dominum electum confirmatum Leodiensem et illius per eum tempore oportuno praestandum juramentum, id jurare aliter recusans. Quo sic per dictum procuratorem praestito juramento, supradictus dominus Petrus de Hollengnoul, canonicus et cantor Leodiensis, illico ad antefatum dominum et magistrum Tilmannum Slecht, quo supra nomine procuratorem, in et ad chorum ejusdem ecclesiae adduxit, et in episcopali sede ad dexterum latus ejusdem chori solito more installavit, ac deinde in et ad capitulum ejusdem ecclesiae retro summum altare illius situatum reduxit, dictoque reverendo patri domino domino Johanni de Hoerne, electo confirmato Leodiensi, in ejus personam et sibi, procuratorio nomine quo supra, episcopalem sive superiorem locum assignavit.

Super quibus omnibus et singulis praemissis, dictus dominus et magister Tilmannus, nomine quo supra, sibi a me notario publico infrascripto fieri petivit instrumentum unum publicum sive plura publica instrumenta. Acta fuerunt haec praemissa in locis praetactis, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu praescriptis, praesentibus ibidem honorabilibus viris dominis Gerardo de Hauchie, Rasone de Hollengnoul, presbyteris, ejusdem ecclesiae claustrariis, Petro de Bodeur, Martino de Fexhe et David de Fontemailhe, ejusdem ecclesiae virgiferis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de Saint-Lambert, n° 112.

CXIV.

INTRONISATIO ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMIQUE PATRIS DOMINI DOMINI JOHANNIS DE HOERNE, ELECTI CONFIRMATI LEODIENSIS, DIE 7 NOVEMBRIS 1484 [1].

Deinde, anno, indictione et pontificatu praescriptis, mensis tamen novembris die septima, hora quarta post vesperas aut circiter, dictus reverendus in Christo pater et dominus dominus Johannes de Hoerne, Dei et apostolicae sedis gratia electus confirmatus Leodiensis, per suos populum, ministeriales, subditos, ac cives Leodienses, in arma, cum magna comitiva, carthisiis cereis ardentibus, et eorum vexillis ex earum cameris extensis, ac diu desideratus et exspectatus, unacum illustribus nobilibus, generosis comitibus dominis Vincentio de Morsa, suo avenculo, Jacobo de Hoerne, suo fratre, Frederico domino de Montengis de Hoerne, etiam ejus fratre, Olivero de Marcka, Everardo et Wilhelmo de Marcka, fratribus, Wilhelmo Doubelstein, Johanne Maschereel, pluribusque aliis in maximo numero militibus nobilibus et armigeris, inter generosos viros dominum Johannem le Polleyn, militem, ab ejus dextro, et Walterum de Coerswarem, armigerum, magistros civium pro tempore civitatis Leodiensis, ab ejus sinistro lateribus equitantes, suam civitatem Leodiensem intravit, jocundumque suum introïtum notabilissime fecit et usque ad gradus ecclesiae Leodiensis equitans venit, ibidemque a suo equo valde notabili, quem dominus Petrus de Hollengnoul, cantor Leodiensis, tanquam sibi ratione suae cantariae competentem ad se recepit et habuit, tabardo uno de rubeo veluto indutus, descendit et statim gradus domus dictae *delle destroit,* quo scabini Leodienses pro tribunali sedere solent, ad insignem Leodiensem ecclesiam, prout ex recognitionis instrumento eorumdem scabinorum desuper confecto et in archivis ejusdem ecclesiae deposito spectandum et pertinendum, ascendit, atque tabardum praetactum, quem dominus Gerardus de Hauchie, supremus claustrarius ejusdem ecclesiae Leodiensis tanquam sibi ratione sui officii praetacti debitum habuit, ibidem exuit, et alium longum notabilem

[1] Vide supra, p. 762.

tabardum cum superpellicio notabili induit, sicque gradus ejusdem domus descendens per venerabiles dominos decanum et capitulum praedictos processionaliter ibidem expectantes receptus, ac in et ad ecclesiam Leodiensem et illius chorum usque ad et ante illius summum altare notabiliter introductus fuit, ubi flexis genibus, inter venerabiles nobilesque et generosos viros dominos, Walterum de Coerswarem, decanum, et Gilbertum de Seranio, praepositum Huyensem, canonicos Leodienses, suas devote per modicum temporis spatium effudit orationes, post quas surgens dictum summum altare accessit, et ibidem, manu tactis per eum sacrosanctis Dei et imagine crucifixi, juramentum in primo libro cartarum ipsius ecclesiae scriptum praetactum, illud proprio suo ore legens, solemniter praestitit sub hac verborum forma : « Ego Johan-
» nes de Hoerne, electus confirmatus, juro quod canonice sum adeptus episco-
» patum, quod clerum, terram et patriam ac jura Sanctae Mariae sanctique
» Lamberti defendam pro viribus contra omnes homines; quod fidelis ero
» ecclesiae et patriae; quod nihil alienabo de bonis episcopatus, nec infeu-
» dabo de novo, sine consensu capituli; quod alienata pro viribus repetam et
» hoc amore, odio, prece vel pretio non dimittam; quod privilegia, statuta
» ecclesiae beati Lamberti et consuetudines bonas conservabo pro viribus; quod
» scabinatus, maiorias civitatis Leodiensis, oppidorum Hoyensis et Dyonan-
» tensis non vendam alicui, cum vacaverint. Item, juro quod praeter con-
» sensum et voluntatem praepositi, decani et archiadiaconi et capituli Leo-
» diensis, castra, oppida, villas firmatas seu munitiones vel jurisdictiones non
» alienabo nec obligabo pro aliqua summa pecuniae vel alia re. Item, et quod
» pacem, quae dicitur de Fexhe, inter dominum Adulphum de Marcka,
» Leodiensem episcopum, capitulum, cives Leodienses et alios de patria
» factam observabo. » Quo sic per ipsum reverendissimum patrem dominum dominum electum solemniter praestito juramento, et cum reliqua puncta per dictos venerabiles dominos decanum et capitulum ad jurandum nuper ordinata atque per bonae memoriae dominum Ludovicum de Bourbon, episcopum dum viveret Leodiensem, in suo primo introïtu ibidem jurata, etiam superius descripta eidem reverendo patri ad jurandum praeponerentur legique per dictum venerabilem dominum decanum inciperentur, idem reverendus dominus electus illa pro sibi lectis habens ac expositis, in theutonico idiomate dixit se illa per omnia vidisse, scire et audivisse, sese ea per omnia jurare, quemodmodum dictus quondam reverendus dominus Ludovicus, ejus praede-

cessor, juraverat, praenarratis sacrosanctis per eum tactis et osculatis. Et illico dictus dominus Petrus cantor eumdem reverendum dominum Johannem episcopum ad locum suum in choro sive sede episcopali superiori ad dexterum latus stantem duxit et installavit. Quo sic facto, idem reverendus dominus episcopus ab hujusmodi loco recedens, turrim majorem, ad dexterum latus chori ejusdem ecclesiae stantem, accessit, et ibidem praestita prius per eum cautione pro tabardo quo indutus fuerat et juribus feodalium matriculariorum et aliorum in ea parte interesse habentium, cordam unam de turri praetacta pendenti ad majorem campanam alligatam, in signum verae possessionis episcopatus et dominii Leodiensis, sonantibus unacum pluribus aliis personis, ipsum in ea parte propter illius gravitatem seu ponderositatem juvantibus, traxit [1]. Sed illius sonum propter magnos illius populi rumores audire non valui. Et sic ab ipsa ecclesia palatium episcopale unacum dictis venerabilibus dominis accessit.

Acta fuerunt haec omnia praemissa immediate praescripta Leodii, in locis praetactis, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu suprascriptis, praesentibus ibidem antefatis dominis Gerardo de Hauchie, Rasone de Hollengnoul, ejusdem ecclesiae claustrariis, Petro Bodeur, Martino de Fexhe, David de Fontemailhe, ejusdem ecclesiae virgiferis, ac pluribus aliis testibus, ad praemissa vocatis specialiter et rogatis. — *Joh. Spirinc,* quoad praemissa notarius.

Archives de la province de Liège, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 112.

[1] Huc spectant quae in eodem codice ecclesiae cath. Leodiensis leguntur. — « Item, dictus reverendissimus dominus Johannes de Hoerne, electus confirmatus Leodiensis, adepta prius per eum antetacti episcopatus possessione, ut proxime suprascribitur, misit in et ad ecclesiam Leodiensem pallium unum sive vestem notabilissimam deauratam circumsutam nigro panno de veluto pretioso, supra sepulcrum reverendissimi quondam in Christo patris et domini domini felicis recordationis domini domini Ludovici de Bourbon, episcopi dum viveret Leodiensis, ejus praedecessoris, ponendum, prout ad id, sicuti dicebatur, obligatus exstitit et sunt singuli de novo electi aut episcopi facere eorum praedecessoribus, quemadmodum vestis ipsa posita fuit supra quamdam quadripedem mensam illic supra ejus sepulcro, ante summum altare ecclesiae Leodiensis et ad illius dexterum latus stanti, positam. »

CXV.

QUIBUS MEDIIS DOMINUS WILHELMUS A MARCKA, DOMINUS D'AIGREMONT, CIRCUMVENTUS, CAPTUS ET MORTI TRADITUS FUIT (18 JUNII 1485).

—

Quamvis jam antea pax fuisset facta inter dominum de Horne, episcopum Leodiensem et fratres ipsius, videlicet dominos Jacobum, secundum comitem de Horne, dominum de Altena, Fredericum de Horne, dominum de Montigny in Ostrevant, nec non parentes et amicos ex una; et dominum Wilhelmum de Marca, fratres ipsius, nec non parentes et amicos ipsius, ex altera [1]. Et ut magis firma et rata haberetur, eadem per tres status patriae confirmata et omnium et singulorum sigillis roborata fuerat, prout uberius patet ex ipso tractatu pacis [2]. Quam postmodum praedictus dominus episcopus in suo jucundo introïtu (1484 inter caetera), eamdem pacem cum juramento super sacrosancta evangelia praestito promiserat se servaturum. Qua pace facta, non fuerunt postmodum visa tanta signa amicitiae spatio unius anni, quam episcopus et fratres sui simulabant se habere erga dominum Wilhelmum et suos fratres, ita quod populus Leodiensis exultaret et laetaretur, sperans quod in posterum ea de causa rixae et bella cessarent, et exularent ab eis. Quid mirum? tanto fictitio amore prosequebantur praedictum dominum Wilhelmum nocte dieque, ut simul in uno lecto decumberent, biberent, comederent, luderent, et ostenderent maxima amicitiae, electissima xenia sibi mutuo transmitterent, quae longum esset omnia recensere : ita ut propter praedicta dominus Wilhelmus nullo modo dedisset fidem informationibus contrariis, nec putasset eas fore tam versipelles, uti postea ipso facto declararunt. Putabat siquidem eos fore ejusdem conditionis uti ipse erat, qui potius elegisset mortem suam propriam, quam talia perpetrare, ne dicam cogitare. Unde

[1] *Partibus.*

[2] *Paix et accord faits à Tongres, le 22 mai* 1484. Supra p. 745.

ut ipsum magis illaquearent, si quando episcopus (solus vel cum fratribus) proficisceretur aliquo, ut puta versus S. Trudonem, Curinghen, Hasselt vel alio, subito vocabatur dominus Wilhelmus pro comite et socio, ita ut per illam nimiam familiaritatem et amicitiam omnino fidebat ipsis, nulloque modo praecavebat insidias eorum. Tandem cum esset praedictus dominus episcopus una cum fratre suo domino Jacobo comite de Horne in S. Trudone, mandavit domino Wilhelmo veniret ad eos, ut simul cum aliquibus amicis, qui apud se venerant gratia solatii, hilares essent. Qui nihil mali suspicans venit eo cum septem aut octo equitibus, ubi per tres aut quatuor dies in maxima hilaritate fuerunt, ita quod dominus comes de Horne et dominus Wilhelmus in eodem decumberent lecto, jucundissimumque convivium habuit episcopus in monasterio S. Trudonis, praesente etiam domino abbate ejus loci cum aliis domicellis et domicellabus. Post plurima igitur laetitiae signa exhibita tympanizando, fistulando, choreas ducendo, praedicti duo germani episcopi facto prandio se simulabant velle Lovanium adequitare, etc. Egressi itaque oppidum S. Trudonis, iter versus Hamaliam jocando, ludendo, etc., dirigunt.

Tandem cum ibi per aliquot dies fuissent, applicuit et eo dominus de Montigny, frater episcopi, cum majori comitativa quam ordinaria. De cujus adventu dominus Wilhelmus certior factus, idem notificavit dominis episcopo et comiti de Horne, qui simul procedendo ei obviam, post consuetas salutationes et amplexus, idem de Montigny amicabiliter (ut prae se ferebat) salutans dominum Wilhelmum. Inquit dominus Wilhelmus : « Res est magni » momenti, domine Montigny, nepos charissime, quod huc tam festinanter » appuleris? » Cui alter : « Verum quidem; et gaudeo te hic esse, nam opto » tecum esse hilarem et jucundum. » — « Et ego tecum vice versa, » inquit dominus Wilhelmus.

Vix credendum in quanta laetitia simul fuerint, comedendo, bibendo, tripudiando, pila ludendo et in aliis diversimodis jocis. Ita ut eodem die dominus de Montigny iret coenatum apud dominum Wilhelmum in aedibus suis propriis, et summo mane veniens ad eosdem, simulans se ulterius proficisci velle, excitavit dominum Wilhelmum, cupiens ante discessum suum cum eo sumere jentaculum; qui surgens et cum caeteris audita missa, simul sumpserunt jentaculum, hilariter bibendo uni ad alterum. Tandem dominus de Montigny aït domino Wilhelmo : « Habeo pallium coccineum, novo more

» factum, quem precor bono animo a me accipias [1]. » Cui dominus Wilhelmus : « Ex animo accipio, inquit, et si quid alias a me petieris, tuum » erit. » — « Intelligo, inquit Montigny, te habere tam velocem equum; » vellem videre an nostros praecurreret. » Cui dominus episcopus : « Puto » me habere similem, qui velocitate ipsum excedat; et certabo tecum, do» mine Wilhelme, pro una sella (cupiens educere ipsum extra oppidum in » campis); qui velocitate tuum superabit. » Igitur sumpto prandio, ibant cum equis ad campos, ubi videlicet certarent de cursu equorum, dominus episcopus et dominus Wilhelmus. Interim dominus de Montigny instruxerat suos, ut inter se certarent balistis, jaculando versus unum caputium, in locum termini ab ipsis positum, et quod lente tenderent et emitterent suas sagittas. Interim dominus episcopus colloquendo cum domino Wilhelmo, tam longe eum abduxit ab oppido, quod essent inter Brusthem et praedictum oppidum, et ibi ab omnibus supradictis circumseptus capitur 18 junii 1485 [2]. Cui tunc dominus de Montigny aït : « Tandem, domine Wilhelme, te captivum » habeo, quem a longo tempore desideraveram, et pluries in vanum labora» veram. » Cui dominus Wilhelmus : « Montigny, si te pro proditore habuis» sem, facile fugissem tuas insidias. Sed heu! a longo tempore debueram » illud providisse, quando frater tuus episcopus dixerat mihi, se maximo odio » prosequi dominum protonotarium Croy [3], eo quod proponi fecerat Romae, » quod non esset dignus ad administrandam ecclesiam Leodiensem, eo quod » ipse et omnes sui essent proditores. Putabam tunc ipsum male locutum » fuisse, sed heu! te melius et tuos cognoverat quam egomet ipse. » Et tunc ipsum ligatum et vili equo impositum (quem etiam aliquo tempore pedes ire fecerunt), et per obliquas vias, per saltus et arbusta, circum pagos euntes, ne forte rustici vel alii ipsum succurrerent. Tandem cum Tungris venissent, timentes ne introïtus et exitus ipsis denegaretur, detecto facto, barbam domini Wilhelmi absconserunt, et capite cum magno cucullo (vulgo *chaperon*) Allemaniae tecto, ita per Tungrim et alias vias processerunt, quousque venientes Trajecti, ipsum ablato cucullo detexerunt, sciebant enim quod odio esset Trajectensibus. Venerunt ibidem de sero, duxeruntque eumdem in pa-

[1] Ad calcem paginae in cod. MS. notatur hujus pallii mentionem fieri in appellatione per dominos de Marca eorumque adhaerentes facta. Vid. infra N. CXVII.

[2] In margine notatur : « Alias 17 junii. — » Maxime per commissarios domini Maximiliani, » archiducis Austriae. »

[3] Vid. supra apud Johannem de Los, p. 91.

latio episcopi, in ipsa camera in qua alias episcopus dormiebat, ibique compedibus ligatum famuli domini de Montigny custodierunt eum; et circa medium noctis, congregatis scabinis, Trajectenses eum morti condemnaverunt.

Cumque in itinere consanguinitatis vocabulo nepotes compellaret, ne quoquo modo Trajectum adveheretur, sciebat enim se illius oppidi hostem proscriptum, vix responsis ■ consolatione illum dignati sunt. Vespere ergo (ut praedictum est), adequitantibus lanceariis, consilio (ut fertur) Maximiliani, avidae genti exhibitus est, postridieque jussu antistitis eductus, quum illum e fenestella respicientem intendere suae neci advertisset, perfidiae et inhumanitatis insimulabat. Deinde mortem magni constituram praedicens, quum barbam in ore involvisset, et verbis carnifici animum addidisset, cervicem tetendit, gladioque supposuit, cum sonitu campanae, cunctis coram hominibus [1]. Qua statim amputata, in coenobio Dominicalium, quum ejus confessionem Prior recepisset, sepulturae ad aram summam traditus est tertio decimo calendas julias, ipso die SS. Gervasii et Prothasii martyrum [2].

[1] Hujus supplicii meminit Molinet :

J'ay veu la fière barbe
Qui tant se rebarba,
Doux comme saincte Barbe
Quand on le desbarba,
Sans couvrechief qui bue
A Trecht fut débarbé
De sa barbe barbue,
Car il vent à jubé.

Cfr. *Chronique métrique de Chastellain et Molinet, avec des notices sur ces auteurs et des remarques sur le texte corrigé, par le baron de Reiffenberg*; p. 100.

[2] « Notandum, inquit de Wachtendonck, errorem per historicos factum in numero dierum mensis junii anni 1485, in quibus captus et decapitatus fuit Wilhelmus a Marcka. Placentius dicit eum fuisse necatum 13 kal. julias, id est 19 junii; aliud vero chronicon Jacobi Chabot refert apprehensum fuisse 18 junii et altera die 19, scilicet die sabbati, fuisse decapitatum; altera die, quae erat dies dominica, fuisse ea de causa magnum disturbium Leodii; in quibus errat, quia si altera die (uti debuit esse, quia die praecedenti juxta textum erat dies sabbati) in quo dominus Wilhelmus decapitatus fuit, erat dies dominica, ergo debuit esse decapitatus 18 junii et non 19, quia litera dominicalis illius anni 1485 erat B, et 19 junii erat et est semper B. Quod adhuc probatur per aliud chronicon Henrici Masson, quod dicit ipsum fuisse captum 18 junii (et male), et altera die mane in festo SS. Marci et Marcellini decapitatum, quod festum semper incidit in 18 diem junii, et sic debuit esse captus 17 junii. Quod ulterius probatur per certam appellationem factam per fratres praedicti domini et eorum complices ratione certi homicidii perpetrati in personam Gerardi Vanden Laer, ubi inter alia narratur praefatum dominum Wilhelmum captum fuisse feria sexta ante festum nativitatis Joannis Baptistae (quae incidebat illo anno in 17 diem junii), et die immediate sequenti fuisse detruncatum. Et sic verisimiliter juxta rationes praedictas fuisse captum 17 et detruncatum die 18 junii 1485. » Supra p. 92 supplicii dies etiam die 19 junii notatur apud Joannem de Los.

Eodem tempore, quo vinctum ducebant dominum Wilhelmum, venit eis obviam in Ryckel Gisbertus de Ryckel (alias Einsbrouck), scultetus oppidi Lossensis, quem etiam captivum duxerunt, eo quod esset in omnibus praedicti domini Wilhelmi fautor et assecla, et maxime causa de caede unius civis Trajectensis: qui et eodem die decollatus est, et in quatuor partes divisus.

Bibl. royale de Brux., MS. de Wachtendonck.

CXVI.

EVERARDI DE MARCKA PROTESTATIO ET APPELLATIO FACTA DIE 9 JULII 1485, OCCASIONE MORTIS FRATRIS SUI WILHELMI.

—

In nomine Domini, amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno a nativitate ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, indictione tertia, mensis Julii die nona, hora summae missae in ecclesia Leodiensi, aut circiter, pontificatus sanctissimi in Christo patris, et domini nostri domini Innocentii, divina Providentia papae octavi, anno primo, in mei notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum praesentia personaliter constitutus illustris et strenuus vir dominus Everardus de Marcka, miles, dominus temporalis castri et dominii de Arberch, etc., dixit viva voce et exposuit ad ejus novissime pervenisse notitiam illustrissimum et praepotentissimum principem et dominum dominum Maximilianum, Austriae, Burgondiae, Brabantiae, etc., ducem, nonnullas venerabilibus dominis decano et capitulo burgimagistrisque juratis et consulibus civitatis Leodiensis misisse litteras et scripta, eum et ejus honorem concernentes, seu concernentia, et ea propter melioribus via, jure, modo, causa et forma, quibus scivit, potuit et debuit, ac sic potest et debet, ut dixit, se de et super omnibus et singulis sibi per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Johannem de Hoerne, electum confirmatum Leodiensem impositis seu quomodolibet imponendis occasione seu ex causa mortis illustris domini quondam Wilhelmi

de Marcka, sui dum viveret fratris, obtulit et expresse protestatus fuit se contra et adversus antedictum reverendissimum in Christo patrem ac dominum dominum electum confirmatum Leodiensem ac illius fratres et quoscumque alios eum desuper impetere volentes, juri stare velle coram sanctissimo in Christo patre et domino domino nostro papa praedicto ejusque sancta sede apostolica, necnon reverendissimorum patrum dominorum sacrosanctae romanae ecclesiae cardinalium collegio, reverendissimoque in Christo patre Coloniensi archiepiscopo et quibuscumque aliis episcopis, necnon serenissimo principe domino domino Frederico Romanorum imperatore semper augusto, dictove illustrissimo et praepotentissimo principe Austriae, Burgondiae, Brabantiae duce, atque Juliacensi duce ac quibuscumque aliis principibus, ducibus, comitibus, marchionibus, aut insuper coram tribus statibus civitatis et patriarum Leodiensium, Bullonensium et Lossensium, submittens se eisdem conjunctim et divisim et eorum cuilibet eorumve dictis, arbitrio et ordinationibus, atque ulterius eapropter renuntians omnibus et singulis viis facti et violentiarum, ac francigiis, privilegiis, libertatibus et indultis civitatum, oppidorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum et dominiorum, necnon omnibus et singulis aliis exceptionibus doli, mali, fraudis, laesionis, circumventionis, rei aliter gestae quam scriptae jurique dicenti generalem renuntiationem non valere nisi praecesserit specialis, aliisque singulis quibus praemissorum effectus impediri posset seu valeret. Super quibus praemissis omnibus et singulis antefatus nobilis et generosus dominus Everardus sibi a me notario publico infrascripto fieri petivit instrumentum unum publicum sive plura publica instrumenta. Acta fuerunt haec in capitulari loco insignis ecclesiae Leodiensis, retro illius summum altare situato, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu praescriptis, praesentibus ibidem..... [1].

Archives de la province de Liége, registre de l'ancienne cathédrale de St-Lambert, n° 111, fol. 417.

[1] La pièce n'est point achevée, et il est à remarquer que le notaire a écrit en marge au commencement et à la fin les mots *non factis*.

CXVII.

APPELLATIO PER DOMINOS A MARCKA EORUMQUE ADHAERENTES FACTA ANNO 1485, AD SUMMUM PONTIFICEM INNOCENTIUM VIII ET AD METROPOLITANUM COLONIENSEM, CONTRA LEODIENSEM EPISCOPUM [1].

—

Coram te notario publico et testibus hic adstantibus, nos Everardus a Marca, Robertus de Marca senior, Robertus de Marca junior, Guido de Kanne, milites, Nicolaus de Marca, Joannes de Marca, Johannes dictus Jenot *le bastard*, Godefridus de Ayedrenich, Gerardus Overlender, Andreas de Bell, quidam dictus Slosberch, nec non Petrus Rouckairt, Rosseer de Wandres, Collardus le Heure, olim gubernator ministerii hullariorum civitatis Leodiensis, Egidius dictus Gilkinet, Egidius de Bearewais, Henricus de Kock, Joannes del Hee, Godefridus de Cyney et Theodoricus dictus Thirion de Tylo, tam conjunctim quam divisim, pro nobis nostrisque complicibus et fautoribus ac nobis adhaerentibus, in ea parte adhaesuris, animo et intentione provocandi, appellandi, apostolosque petendi, ac alia quae sequuntur faciendi, omnibus melioribus via, modo, jure causa et forma, quibus melius possumus et debemus, in his scriptis dicimus et proponimus. Quod licet constari valeat dominos Petrum Duys, et Johannem Haller presbyteros et quemdam Gerardum Van den Laer praetensum clericum, in oppido Trajectensi Leodiensis dioecesis pro tunc moram suam habentes, et infra inclytam insignemque civitatem Leodiensem praetactam pro suis negotiis peragendis existentes, per nonnullas particulares personas invasos, laesos et vulneratos fuisse, et antedictum Gerardum praetensum clericum ex laesionibus sibi illatis vitam humanam finisse, uti praetenditur : quod tamen fateri non intendimus per nos aut aliquem nostrum fuisse aut esse commissum; nec non dominum Johannem

[1] Notat de Wachtendonck in hoc documento plura occurrere notatu digna, quae per historicos Leodienses omissa sunt. Ipsa autem appellatio facta fuit paulo post mortem Guillielmi Arenbergii, eodem anno 1485 aut saltem initio anni sequentis, quod facile eruitur ex iis quae appellantes in medium proferunt.

de Horne, venerabilis et insignis ecclesiae Leodiensis episcopum, de et a civitate Leodiensi praetacta ac nonnullis aliis locis patriarum ipsius ecclesiae Leodiensis et comitatus Lossensis absentem et seclusum, ac dominio ac superioritate inibi sibi competentibus quoad regimen et exercitium impeditum fore; nosque Everardum, Robertum et Robertum de Marca, Guidonem de Kanne, milites, et alios praenominatos seu nostros aliquos gentes armorum in eisdem civitate et patria Leodiensibus ac comitatu Lossensi, penes nos pro nostra ac dictorum civitatis et patriarum defensione tenere et habere; ob hoc tamen per antedictum dominum Johannem de Horne episcopum Leodiensem seu ejus in ea parte commissarium aut officialem deputatum excommunicari, anathematizari seu de et a sanctae matris ecclesiae gremio excludi, tam de jure quam etiam statutorum provincialium Coloniensium ac synodalium Leodiensium auctoritate, non debuimus neque potuimus prout nec possumus neque debemus : nec etiam in dicta inclyta civitate ac tam insigni loco, ubi tantus clerus, cultusque divinus solemnissimus viguit ac vigere solet, existentibus etiam specialissimis et antiquissimis praerogativis et libertatibus inibi inconcusse observatis, propter factum particulare et per particulares personas commissum, ecclesiasticum interdictum seu cessus a divinis poni, declararique seu servari debuit neque potuit, causis etiam et rationibus infrascriptis, atque lucidius suis loco et tempore in processu causae appellationis infratactae declarandis attentis. Cum fuerit et sit verum publicum atque notorium praeter et absque eo, quod nos Everardus, Robertus et Robertus de Marca, Guido de Kanne milites, et alii praenominati tam conjunctim quam divisim, praetensos excessus, crimina et delicta antetactos nobis impositos commiserimus aut de praesenti commisimus, uti praetenditur, seu ad hoc consilium, auxilium, vel favorem praestiterimus aut alter nostrorum praestitit. Quin imo fuit et est verum, publicum atque notorium, praeter etiam et absque eo, quod praefatus dominus Joannes de Horne, modernus Leodiensis episcopus, tam ante quam post ejus promotionem et provisionem, citra injuriam de quo protestamur, se in regimine et administratione antedictae pontificalis dignitatis, potissime adversus suam ecclesiam et sponsam, nec non subditos civitatis et patriae ejusdem suae ecclesiae, quemadmodum bono et pio pastore atque pontifici de jure, ratione que, et equitate, sanctorumque patrum et pontificum sanctiones facere et exhibere interest et decuit, ac ipse ex juramento per eum in receptione et admissione ad hujusmodi pon-

tificalem dignitatem solemniter praestito adstringebatur, gesserit et rexerit. Imo quod deterius est, fama publica et rei evidentia quamplurimum attestantibus, ipse dominus Johannes episcopus sanctorum patrum ac piorum pontificum vestigia postponens et vilipendens, quadam naturali inclinatione ad crudelitatem vindictamque et oppressionem in suos proprios subditos civitatis et patriae Leodiensis comitatusque Lossensis, jam pluribus annis per diversas ferocissimas guerras proch dolor! multipliciter oppressos et fere ex toto desolatos continuandas, multifarie accensus, nullaque pietate motus, in eosdem continue saevire scelestissimus ac crudelissimus suis persecutionibus, per quas se penitus inhabilem et incompetentem atque suspectum subditorum suorum hujusmodi judicem et rectorem reddit, ipsos suos et ecclesiae subditos affligere non cessat. Nec saniorum atque seniorum suorum parentum et amicorum maturo consilio, sed proprio suae voluntati, ac si in minoribus adhuc constitutus esset, utens, in eisdem severitate et crudelitate continue insistit, in maximum ipsius suae ecclesiae et subditorum ejusdem praejudicium, detrimentum et gravamen. Nam pridem ante apostolicam provisionem sibi domino Johanni de dicta pontificali dignitate factam, idem dominus Johannes tunc canonicus Leodiensis eidem ecclesiae et illius subditus ad fidelitatem merito adstrictus, cum Brabantigenis et aliis antedictae Leodiensis ecclesiae civitatisque et patriae Leodiensis et comitatus Lossensis hostibus in totalem lem ruinam et desolationem eorumdem ecclesiae civitatisque et provinciae Leodiensis ac comitatus Lossensis pro tunc anhelantibus et tendentibus, se partem faciens, multiplices crudelitatis et ferocitatis invasiones, rapinas, depraedationes, occisiones, incendia, agrorumque depopulationes, nec non oppidorum et villarum ruinas, devastationes, depopulationes, concremationes et exterminia nefanda, in eorumdem ecclesiae civitatisque et patriae Leodiensis ac comitatus Lossensis illorumque vassallos, cives, incolas et inhabitatores tam ecclesiasticos quam seculares, eorum demeritis minime exigentibus, temere et absque causa multifarie commiserat, et ad illas committendas auxilium, consilium, favorem et assistentiam possibilem adhibuerat. Super quibus tandem gravibus damnis et dispendiis eorumdem ecclesiae, civitatisque et patriae Leodiensis ac comitatus Lossensis eorumdemque vasallorum, civium, incolarum, et inhabitatorum pax per et inter illustrissimum dominum Maximilianum, Austriae, Brabantiae, etc. archiducem, ac tres status provinciae Brabantiae eorumque complices, de quorum numero ipse

dominus Johannes de Horne tunc unus exstitit ex una, nec non eosdem ecclesiam civitatem et provinciam Leodienses ac comitatum Lossensem illorumque vassallos, cives, incolas et complices ex alia partibus, facta et inita atque gravibus pecuniarum poenis vallata et firmata exstitit. Sic et paulo post hujusmodi pacis tractatum, atque provisionem apostolicam sibi domino Johanni de Horne de eadem pontificali dignitate factam, idem dominus Johannes de Horne episcopus in divinae majestatis offensam citra injuriam, praetactas graves poenarum in hujusmodi pacis tractatu appositas poenas non formidans, in eorumdem ecclesiae, civitatis et patriae Leodiensis comitatusque Lossensis vassallos, cives, incolas et inhabitatores sese eumdem dominum Johannem in pontificem eorum dominum quam cito literas apostolicas super provisione apostolica sibi facta oportunas et necessarias afferret et ostenderet, mediante solito et consueto juramento per pontifices Leodienses praestari solito, sponte recipere et eumdem in omnibus licitis et honestis obedire velle offerentes, infraenata ferocitate iterum exasperans, quadam iniquissimae temeritatis audacia, una cum domino de Montigny suo fratre, quem generalem in suum ad hoc capitaneum deputavit, et comite de Horne etiam suo fratre, multisque aliis ac diversis gentibus armorum secum adductis, praetactos ecclesiam, civitatem et patriam Leodiensem comitatumque Lossensem et illorum vassallos, cives, incolas et inhabitatores hostiliter invasit, crudelesque depraedationes, incendia, rapinas, occisiones, aliaque quamplurima tyrannica crimina committere, ac totam fere patriam iterum devastare, terrasque arabiles et agros ad depopulationem et sterilitatem reducere, ac plurimos ipsarum civitatis et provinciae subditos per captivitates et incarcerationes durissimas et arctissimas, ad graves et magnas pecuniarum summas componere et arctare, ac ab eisdem subditis patriae quamplurimas pecuniarum summas et impositiones extorquere, et praesertim a° 1483 venerabiles ac spectabiles viros dominum et magistrum Joannem de Quercu (de Hervia), decretorum doctorem, canonicum Leodiensem, presbyterum, dominum Joannem Le Pollain, militem, et Corbellum de Pousseur, clericum, magistros civium civitatis Leodiensis, earumdemque ecclesiae et civitatis Leodiensis pro tunc ambaciatores de et a certa diaeta in oppido de Valenchyns cum illustrissimo domino domino Maximiliano, Austriae, Brabantiae, etc., archiduce, servata redeuntes et in salvo conductu seu salva gardia ipsius domini archiducis existentes, hiraldumque ejusdem domini archiducis secum habentes, violenter et hostiliter captivare

et in castro de Huyo ad ecclesiam Leodiensem spectante, et eo tunc in manibus et obedientia illustrissimi domini archiducis praescripti existente, captivos ducere ac dirae et strictae captivitatis vinculis mancipatos, inibi plurium mensium septimanarumque et dierum spatio detinere, ac ad crudeles tyrannicasque quaestiones dictos magistros temere et de facto ponere et subjicere, ipsumque magistrum Johannem canonicum et presbyterum, ipsius domini Johannis episcopi confratrem innocentem, indigne nocturno tempore inter duos tortores, saccum ad ipsum submergendum, ut dicebant, ostendentes, extra dictum castrum singulis lacrymantibus, in vilipendium ecclesiae Leodiensis totiusque ordinis clericalis, educere, nulla pietate, compassione aut censurarum metu ductus seu motus, eosdem tres ambaciatores presbyterum et clericos : cum praetactum castrum de Huyo ad manus ipsius domini Johannis episcopi repositum esset, verumque dominium ejusdem idem dominus episcopus haberet, et possessionem, ac in eo personaliter resideret, ipso domino episcopo vidente et cognoscente, non sine gravi Dei offensa, atque ordinis clericalis jactura et contumelia, spretis canonibus, sic captivos detinere seu detinendos permittere et facere, magnasque pecuniarum summas ab eisdem extorquere, ac plurima alia nefandissima crimina et maleficia tam in ecclesiasticos quam seculares personas earumdem civitatis et patriarum committere, devastare et ad desolationem reducere : seu saltem ad hoc consilium, auxilium, favorem, vel consensum et mandatum praestare non abhorruit [1]. Et quamquam ex tunc gravibus damnis et expensis subditorum praetactarum ecclesiae, civitatis et patriae Leodiensis, comitatusque Lossensis, per medium reverendissimi in Christo patris et do-

[1] Hoc loco notat a Wachtendonck quae sequuntur : « Iste praedictus dominus Johannes de Quercu, erat inter primos in capitulo. Leodiensi vir opulentus et magnae auctoritatis, factus Perusii decretorum doctor. Is tempore domini Ludovici de Bourbon episcopi Leodiensis fuerat legatus missus ad Paulum secundum pontificem maximum occasione interdicti et XIm ducatorum eo nomine petitorum. Scribit se in Hoyo (cum magistro civium et milite captum fuisse anno 1483 nulla culpa praecedente, tempore guerrarum, incarceratumque in turri Damiettae, et quod pro liberatione sua extorserint ipsi 1400 florenos rhenenses, uti patet in marginibus chronici Leodiensis propria sua manu scripti, quem habeo. Is fundavit unum altare in Hervia, quod adhuc ejus consanguinei jure patronatus conferunt, et modo 1608 hujus altaris est rector dominus Jaspar de Quercu quem ex sacro fonte baptismatis suscepi. Publicaverat is, pro tunc cancellarius in ecclesia Leodiensi, electionem factam domicelli Joannis de Marca, uti ex praecedentibus constat, et ex hoc praesumendum odium domini de Horne in eum. »

mini domini archiepiscopi Coloniensis dictae ecclesiae Leodiensis metropolitani, illustriumque principis et dominorum ducis Montensis et Juliacensis, comitumque de Nossouwe et Moirse ac plurium aliorum dominorum per et inter antedictos dominum Joannem de Horne, tunc electum confirmatum Leodiensem suosque fratres, videlicet comitem de Horne, et dominum de Montigny, ac alios eorum complices ex una, necnon venerabiles dominos decanum et capitulum praetactae venerabilis et insignis ecclesiae Leodiensis, nos quoque Everardum, Robertum, et Robertum ac quondam Wilhelmum et Adulphum de Marca, nostrosque complices et amicos necnon tres status civitatis et patriae Leodiensis comitatusque Lossensis ex alia partibus, pax iterato fuerit in oppido de Tongris inita, firmata et conclusa, necnon per eosdem dominum Joannem de Horne, et suos fratres solemniter jurata, sigillisque eorum et caeterorum aliorum principum et dominorum preatactorum sigillata, ac magnis pecuniarum poenis vallata, in qua inter alia iidem dominus Joannes de Horne, electus, et sui fratres, praefatum quondam dominum Wilhelmum de Marca et suos fratres atque adhaerentes, una cum eorum servitoribus in patria ecclesiae Leodiensis, de et pro quibuscumque causis seu factis in antea habitis et commissis, de et a violentia contra quoscumque eosdem invadere, seu damna in corpore et bonis eisdem via facti violenter inferre, volenter defendere et eisdem assissentiam omnimodam praestare, et se ad hoc una cum tribus statibus civitatis et patriarum praetactarum obligarunt. Promisitque similiter et se obligavit idem dominus Joannes de Horne tunc electus nuncque episcopus Leodiensis, etc., quascumque alligationes et confoederationes, cum quocumque principe aut domino, civitate, provincia aut oppido per eum in antea factas, revocare et eisdem renuntiare, et se deinceps cum quocumque principe, aut provincia quacumque, sine consensu trium statuum civitatis et patriae Leodiensis et Lóssensis praetactarum non obligare seu confoederare deberet quoquomodo : praemissisque mediantibus et salvis, antefatus dominus Joannes de Horne, tunc electus nuncque episcopus Leodiensis, cum solito per eum solemniter praestito juramento, in quo inter alia juravit inviolabiliter observare pacem quae dicitur de Fexhe, qua cavetur, quod ipse dominus electus episcopus Leodiensis omnes et singulos ipsius civitatis et patriarum praetactarum vassallos, cives, incolas, subditos et inhabitatores quoscumque juridice aut legidice per suos judices competentes, sub quibus degunt et subesse dignoscuntur, tractare,

ac francisias et privilegia atque libertates civitatis et patriarum hujusmodi servare illaesas deberet, ad realem et actualem possessionem ipsius pontificalis dignitatis admissus, receptus et intronizatus fuerit : et post haec et a subditis civitatis et patriarum praetactarum ex gratia speciali magnam subventionem bene ad quinquaginta millia florenorum rhenensium ascendentem (sub spe quod vassallos et subdictos suos sic gratiose et benigne regere et tractare deberet) habuerit et receperit : sicque etiam antefatus quondam dominus Wilhelmus de Marca, miles vassallusque ipsius ecclesiae Leodiensis et ejusdem domini episcopi non mediocris, ac clericus et civis antetactae inclytae civitatis Leodiensis, cum unica et virgine conjugatus, et ut talis privilegiatus, in praemissis omnibus plenarie confisus, praefatum dominum Joannem de Horne, episcopum, et ejus fratres de Horne et Montigny, cum omni reverentia, honore et benevolentia, atque familiaritate, cum eisdem comedendo, bibendo, ludendo et quandoque dormiendo, pecuniamque suam eisdem mutui amicabilis titulo concedendo, fraternalique amore conversando, usque ad diem amaram infractatam prosecutus fuit, adeo etiam et in tantum, quod ipsi dominus Joannes episcopus et sui fratres nullam penitus causam odii vel rancoris adversus eumdem dominum Wilhelmum assumere poterant. Nihilominus tamen antedicti domini Joannes episcopus et sui fratres de Horne et Montigny, alias diabolica suggestione ducti, quadam feria sexta ante festum nativitatis beati Joannis Baptistae jam novissime praeteriti [1], qua insimul cum ipso domino Wilhelmo infra domum habitationis suae propriam, in oppido S. Trudonis, eo tunc de mane jentaculum fecerant, et plures mutuas amicabiles (licet dolosas et confictas) conversationes et festivaciones habuerant, et qua etiam die ipse dominus de Montigny eodem domino Wilhelmo (quem nepotem suum nuntiavit) mantellum unum de rubro scarlato ficte et dolose amicitiae titulo propinaverat, in mortem et sanguinem ejusdem domini Wilhelmi militis famosissimi conspirantes et sitientes, eumdem dominum Wilhelmum suis fictis et dolosis blanditiis exhortarunt, quatenus ad conducendum et associandum ipsum dominum episcopum, se versus Brabantiam accessurum dolose asserentem, extra praetactum oppidum S. Trudonis usque ad campum, ad videndum cursum certorem equorum, venire vellet. Et cum extunc idem dominus Wilhelmus precibus seu exhortationibus antetactis obtemperando,

[1] Vide supra, p. 772 not. 2.

cum eisdem domino Joanne episcopo et suis fratribus causa honoris et amicitiae impendentis veniret, ipsi domini Joannes episcopus et sui fratres, una cum pluribus balistariis in quodam loco absconso in ipso campo latitantibus et ad hoc subornatis, balistas tensas et sagittas suppositas et aliorum armorum genera secum habentibus, eumdem dominum Wilhelmum, ipsius domini episcopi et ecclesiae Leodiensis, ut praemittitur, vassallum nobilem, clericumque ac civem Leodiensem, communiter moram faciendis, cum una et virgine conjugatum, ac in habitu et tonsura clericalibus pro tunc constitutum, tanquam agnum ad occisionem ductum, et dolo seu fere osculo traditum, ausu detestabili atque sacrilego hostiliter crudeliterque ac tyrannide et traditorie citra injuriam de quo protestamur, invaserant, circumvallarunt in mortem ejus clamando, et ad hoc omnimodam dispositionem faciendis, iisque mediantibus manus suas temere violentas in eumdem injecerunt, atque eumdem invitum et quantum potuit renitentem per vim ac violenter captivarunt, atque captivum non quidem juridice aut legidice impetitum seu convictum, de et a dominio praetacti oppidi S. Trudonis per patriam Leodiensem et comitatum Lossensem, in et ad oppidum Trajectense, ubi lex patriae Leodiensis nequaquam cursum habet, duxerunt invitum, et inibi die immediate sequenti de mane..... die praemeditatis crudeliter detruncarunt, necaruntque et decapitarunt, seu id fieri fecerunt, mandarunt et procurarunt, aut id facientibus consilium praestiteruut, auxilium et favorem, suspensionis a divinis et excommunicationis, ac alias poenas et censusas de jure et statutaria dispositione inflictas ipso facto damnabiliter incurrentes; nec non perjurii iniquaeque traditionis atque perfidiae et clericidii crimina committendo, et praemissis traditoriis, perfidissimisque ac detestabilibus criminibus et delictis in personam antefati quondam domini Wilhelmi de Marca commissis; praefatus dominus de Montigny, ipsius domini Joannis episcopi frater, et capitaneus per ipsum dominum episcopum deputatus, non satiatus, sed per amplius in sanguinem filiorum ejusdem domini quondam Wilhelmi de Marca sitiens, ac ad majorem crudelitatem et traditionem committendam accensus, diabolicaque suggestione ductus, nonnullos viros armorum, videlicet Joannem dictum *Grand Johan, le capitaine borgne, Pierre de Mealx Poulet, et L'Angelo de Rens,* eorumque complices pro tunc in servicio nobilis viri et domicelli Joannis de Marca, filii legitimi et primogeniti quondam domini Wilhelmi de Marca, ut praefertur, crudeliter traditi et interempti, seu ejus amicorum existentes et

proprietatem eorumdem tenentes, ad hoc ut ipsi viri et servitores ejusdem domicelli Joannis seu amicorum ejusdem, antedictum domicellum Joannem eorum dominum seu magistrum traditorie caperent, atque captivum una cum castro de Franchimont sibi domicello Joanni pro certa magna pecuniae summa impignorato et obligato [1], ac in manibus ejusdem domicelli Joannis legitime loco pignoris deposito, in et ad ipsorum dominorum Joannis episcopi, de Montigny sui fratris, seu alterius eorumdem, vel saltem certorum balistariorum et armatorum eorundem dominorum episcopi et de Montigny, ad hoc in certo propinquo loco illic transmissorum, ad opus eorumdem dominorum episcopi et manus tradentes et deliberarent, cum et mediante certa magna pecuniarum summa in parte praefatis Johan, le Grant Johan et Petro, dicto *Piere de Mealx,* servitoribus ipsius domicelli Joannis, pro arris ad finem praetactum soluta, et pro residuo eisdem promissa, jam noviter atque recenter conduxit et subornavit seu conducere et subornare, seu conduci et subornari facere non adhorruit, literas suas obligatorias patentes sigillo suo sigillatas, eisdem viris desuper tradendo et deliberando, prout nonnulli ex eisdem viris sic conductis seu eorum complicibus ad quaestionem positi, idipsum factum expresse recognoverunt, ut attestati fuerunt, ac in hoc constanter decesserunt. Quodque per dictos dominos episcopum seu Montigny ac eorum balistarios ad praemissa missos non stetit, quominus haec facta et perpetrata fuerunt, falsae traditionis crimen denuo committentes et graviter delinquentes. Et quamvis praenarratis flagitiosis perfidissimisque ac detestabilibus ipsius domini episcopi et suorum fratrum traditionibus criminibusque et delictis in personam quondam antedicti domini Wilhelmi de Marca famosissimi militis ut praefertur commissis, ad civitatem Leodiensem ubi nos antedicti Robertus de Marca, ejusdem quondam domini Wilhelmi frater, ac Nicolaus, ejusdem Roberti filius, et plures alii nostri consanguinei, fautores, amici et servitores pro tunc fuimus, et extiterunt delata et perventa ex tanta iniquisissima perfidia in tantum famosissimum virum commissa, in eadem civitate et non immerito eo tunc illico gravissimus excitatus existens insultus et populi commotio; adeo et in tantum quod culpa ipsius domini episcopi de maxima seditione propterea in populo tam intraneo quam extraneo committendo videbatur in hujusmodi insultus et populi commotionis primis motibus valde ferventibus.

[1] Vide supra 636.

Et postea de ac nostri Roberti de Marca, Guidonis de Kanne, militum, Nicolai de Marca et Petri Rocquart ac aliorum nostrorum amicorum et servitorum adjutorio seu assistentia gratiose extinctis, ipsius domini Joannis episcopi et suorum fratrum culpa per aliquas particulares personas, ex arrupta furia praenominati domini, Petrus Duys et Joannes presbyter et quondam Gerardus Vanden Lare, ut praetenditur, clericus de oppido Trajectensi, ubi praetactum nefandum scelus in personam antedicti domini Wilhelmi de Marca eo tunc recenter perpetratum extitit, oriundi seu inibi moram facientes; pro tunc in eadem civitate pro suis peragendis negotiis existentes, ex eo quod de Trajecto essedicebantur, invasi, laesi et vulnerati exstiterunt, uti praetenditur, adeo etiam quod ipse quondam Gerardus ex laesione sibi illata vitam finierit humanam. Dumque Godenolus de Eldris, canonicus et scolasticus Leodiensis cancellarius, Renerus Bormans, Sancti Petri, Egidius de Lapide, S. Crucis decani, et Petrus Coelensoen, S. Dionysii ecclesiarum canonicus, et in eorum domibus recepti captivi seu se et bona sua de vi abscondere aut fugitivos reddere compulsi fuerunt : praefatusque dominus Joannes de Horne, episcopus Leodiensis, de et a civitate Leodiensi praeterita ac nonnullis aliis locis patriarum ipsius ecclesiae Leodiensis absens seu seclusus ac dominio et superioritate inibi sibi competentibus quoad regimen et exercitium illarum impeditus fuerit et existat; nosque nonnullos servitores et socios armorum, pro nostra et dictarum civitatis et patriarum defensione, in eisdem civitate et patria penes nos habuerimus et tenuerimus et ad hoc collectam aliquam receperimus. Tamen propter praetensa praenarrata crimina, ad falsam suggestionem cujusdam Arnoldi Alberti praetensi procuratoris fiscalis ipsius domini Joannis, episcopi, nobis imposita, in quibus nullam penitus habuimus aut habemus culpam, neque consilium, auxilium, favorem seu assistentiam ad hoc, sed potius pro defensione et praeservatione praefatorum dominorum et servitorum ipsius domini Joannis episcopi, et ne laederentur seu afficerentur, assistentiam nobis possibilem adhibuimus, per antefatum dominum Joannem episcopum, judicem in ea parte suspectum et partialem, excommunicari, anathematizari, aggravari et reaggravari nequaquam debuimus neque debemus, prout nec ecclesiasticum interdictum et cessus a divinis per eumdem dominum episcopum seu ejus officialem in dicta civitate Leodiensi aut aliis locis, ubi nos dominos Everardum, Robertum de Marca, Guidonem de Kanne, milites, et alios eorum complices, declinare seu stare, comedere, potare aut pernoctare con-

tigerit, poni aut declarari debuit neque debet; presertim viso et attento quod nos et alii ad hoc interesse habentes ad videndum tales declarationes ac censurarum fulminationes fieri seu informationem debitam aut summariam desuper recipi ad allegandum causam rationabilem, quare fieri ea non debeant, uti deberemus legitime vocati non fuimus neque fuerunt. Praefatusque dominus Joannes de Horne episcopus uti praenarratur in culpa omnium praemissorum nobis temere impositorum et aliorum praenarratorum extitit et est. Unde damnum, quod sua culpa sentit, sibi, non alteri, imputari debet. Ipseque etiam dominus Joannes episcopus per praenarrata flagitiosa perfidissimaque et detestabilia crimina, per eum et suos fratres atque servitores tam conjunctim quam divisim commissa, et quae in dies ac incessabiliter in subditos suos committuntur et perpetrantur, se penitus inhabilem et inidoneum (citra injuriam) reddidit et reddit: et ob hoc tanquam partialis, suspectus et incompetens judex et executor in ea parte extitit. Nihilominus tamen diebus decem nondum effluxis, prout quadam vaga relatione ad nostrum (seu aliquorum nostrorum) pervenit auditum, antedictus dominus Joannes de Horne episcopus (citra injuriam) praenarratorum crudelium nefandorumque maleficiorum et criminum principalis perpetrator, inhabilis, suspectus et incompetens in ea parte judex et executor, ad praefati Arnoldi Alberti praetensi sui procuratoris fiscalis sinistram injustamque insinuationem seu petitionem, afflictionibus praetactis graviores superaddens afflictiones per certas suas patentes tales quales litteras, in nos Rosseal de Wandres, Collardum le Huere, Egidium, dictum Gilkinet, Egidium de l'Abbaïe, Henricum de Kock, Joannem del Heye, Godefridum de Chiney et Theodoricum, dictum Thirion de Thylo, tanquam praenominati Gerardi de Lare, clerici, uti praetenditur, occisores, et dominorum Petri Duys et et Joannis Haller, presbyterorum, percussores et offensores, in praemissis tamen minime culpabiles ac penitus insontes, sententiam excommunicationis et anathematis per dictum canonem, *Si quis suadente,* etc., ac statuta provincialia Coloniensia et synodalia Leodiensia, desuper uti praetenditur edita latam firmiter observari, innovari et aggravari, singulis dominicis diebus et festivis, candelis accensis extinctis et ad terram projectis, campanisque pulsatis, nos nostrasque familias extra ecclesiam teneri et a divinis vitari fecit, praecepitque et mandavit, nobis ad videndum et audiendum super praetactis criminibus et excessibus seu illorum notorietate debitam aut summariam informationem fieri et recipi, vel ad allegandum causam, qua haec fieri non

debuerint neque debeant, in jus coram eo aut aliquo competenti judice non vocatis, nec auditis neque convictis, quod tamen de jure omnino faciendum extitit. Et nihilominus nos nec non ecclesiasticas personas et cives civitatis Leodiensis, quoad ecclesiasticum interdictum propter praetensa praetacta crimina observandum seu declarandum, coram officiali suo in oppido S. Trudonis residenti, cui vices suas in hujusmodi negotio commisit et committit, in et ad in idem oppidum, ad quem locum obstantibus ferocibus guerris per ipsum dominum episcopum et suos fratres et eorum complices in patria Leodiensi et comitatu Lossensi ac dicto oppido S. Trudonis, ubi dictus de Montigny de praesenti ad incendia et incendiorum exactiones per totam patriam committenda existit et residet, et dietim pendentibus et existentibus, ac etiam vehementem perfidiositatem per eosdem dominum episcopum et suos fratres, ut supra narratur (citra injuriam, de quo protestamur) commissam, nobis nequaquam tutus patet accessus, ad certos diem et horam etiam incompetentes citari fecit et mandavit, contra Arnoldum praetensum procuratorem fiscalem, ad videndum et audiendum per eumdem suum commissarium judicem, nobis ex causis praenarratis suspectum et penitus incompetentem, de et super praemissis summariam informationem sua auctoritate per testes et alia recipi; sicque desuper summarie et de plano informari, ac informatione propria recepta, per eumdem dominum episcopum, seu ejus commissarium antetactum pronuntiari, decerni, et declarari in praetacta inclyta et insigni civitate Leodiensi, ubi, uti praetenditur, praetacta delicta dicuntur seu praetenduntur fore commissa, ecclesiasticum interdictum et cessum a divinis officiis, juxta statutorum synodalium Leodiensium tenores, observandos fore et observari debere. Et consequenter nos Everardum, Robertum et Robertum de Marca, Guidonem de Kanne, milites, et singulos alios praenominatos, qui propter gravissimam perfidiam in antedictum quondam dominum Wilhelmum de Marca, militem, clericumque et vassallum ac civem ecclesiae et civitatis Leodiensis, ut praenarratum est, commissam, et totalem diffidentiam, quam et non immerito, nedum nos, sed totus communis populus civitatis et patriae Leodiensis, adversus ipsum dominum episcopum gerimus et habemus, atque gerit et habet, compulsi fuimus et sumus pro nostra defensione et tutela gentes armorum penes nos habere et tenere, ac civitatem et patriam Leodiensem comitatumque Lossensem illorumque subditos pro viribus nostris contra ipsius domini episcopi et suorum fratrum

continuas invasiones, depraedationes, rapinas et talliarum gravissimarum impositiones, incendiique perpetrationes, exactiones et extorsiones, et ad totalem deplorationem, depopulationem patriarum et terrarum (proh dolor!) tendentes defendere, ad suam nefandam perfidiositatem amplius in nos et fautores nostros communesque subditos ejusdem patriarum praetactarum et civitatis continuando et perficiendo, sub poena excommunicationis latae sententiae, sua praetensa auctoritate per litteras suas antetactas moneri et requiri fecit quatenus infra viginti quatuor horarum spatium post hujusmodi monitionem immediate sequens, civitatem et patriam Leodiensem exiremus, ac eum inibi, juxta suae voluntatis libitum, disponere permitteremus praemissis omnibus non obstantibus. Alioquin hujusmodi viginti quatuor horarum spatio elapso, nos excommunicationis sententiae subjacere et excommunicatos esse, ac palam et publice in ecclesiis denuntiari decrevit, praecepitque et mandavit. Et nihilominus civitatem Leodiensem praetactam et alia loca quaecumque patriae et dioecesis Leodiensis, quam et nos nostrosque complices et fautores et adhaerentes, auxiliumque consilium et favorem nobis praestantes et exhibentes, ac qui praestiterunt, praestabunt aut praestare conabuntur in futurum, occupamus de praesenti, seu in quibus sumus, ac ad quae et in quibus nos conjunctim vel separatim venire, bibere, comedere, negotiari, pernoctare; seu alias declinare contigerit, ecclesiastico interdicto, atque in singulis ecclesiis civitatis Leodiensis et locorum praetactorum post lapsum viginti quatuor horarum spatii praetacti hujusmodi ecclesiasticum interdictum et cessum a divinis firmiter servari praecepit et mandavit nobis et aliis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis ad ea interesse habentibus, ad praemissa fieri et declarari videndis vel causam, vel causas rationabiles, si quas contra praemissa quare ea fieri non deberent, haberemus, seu alii interesse habentes haberent, allegandis et proponendis, minime vocatis in judicio neque auditis, licet perperam injusteque et de facto; nec non taliter qualiter contra omnem juris ordinem. Et quia per tales quales ipsius domini episcopi fulminatas statutorum litteras et inibi contenta, poenarumque et censurarum declarationes et executiones; illarumque praetensam suspensionem et continuationes, ut asseritur, factas, caeteraque praemissa gravamina omnia et singula contra juris ordinem impetratas et obtentas et factas atque continuatas, ac omni juris, legis et rationis fundamento carentes, prout in deductione causae appellationis, dante Deo, lucidius deducetur. Sentimus nos

nostrosque complices et fautores ac nobis adhaerentes et adhaesuros indebite et injuste fore et esse gravatos, et oppressos. Timeamusque verisimiliter per illos et illorum occasione peramplius in futurum gravari et opprimi posse; idcirco praemissis et aliis causis in futurum clarius declarandis et deducendis attentis, ab hujusmodi praetensarum litterarum statutorum fulminatione impetrationeque et concessione, poenarumque et censurarum inibi tactarum declaratione, monitioneque et singulis aliis inibi contentis, illarumque executione praetensa, contra nos factis decretisque, petitis, concessis et factis ac comminatis; et in quantum quovismodo contra nos factae et concessae sunt, seu factae videntur, tanquam iniquis et injustis, illarum nullitate salva ac ab omnibus et singulis gravaminibus, damnis, molestiis, perturbationibus, praejudiciis et detrimentis, per et propter illas seu illarum occasione nobis tam conjunctim quam divisim comminatis ac inferendis, quod absit, quodlibet in futurum; in his scriptis provocamus atque propterea melioribus via, modo, jure, causa at forma quibus possumus et debemus pro nobis nostrisque complicibus et fautoribus nobisque adhaerentibus et adhaesuris, contra et adversus praelibatos dominum Joannem, episcopum Leodiensem, judicem suspectum et incompetentem, necnon Arnoldum Alberti, ejus procuratorem fiscalem praetensum, impetrandis, ac alios quoscumque factum hujusmodi concernendis seu eis in ea parte adhaerere volentes et adhaesuros; ad sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Innocentium, papam octavum, et ejus sanctam sedem apostolicam seu illius legatum aut nuntium, vel commissarium apostolicum ad hoc potestatem specialem vel generalem habentem et infra suae legationis limites existentem seu saltem reverendissimum in Christro patrem et dominum Hermannum, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopum Coloniensem et ejus sedem metropolitanam, in his scriptis provocamus et appellamus, apostolicosque nobis dari et de illis responderi petimus, iterum petimus et repetimus, instanter, instantius et instantissime, si quis adsit qui nobis illos dare et de eis respondere possit aut velit. Submittentes nos tam conjunctim quam divisim nostrosque complices et fautores ac nobis adhaerentes et adhaesuros, ac causam nostram supratactam protectioni, tuitioni et defensioni antedicti sanctissimi domini nostri domini papae ejusque sanctae sedis apostolicae, seu illius legati, aut nuntii vel commissarii ad hoc potestatem specialem vel generalem habentis, seu saltem antedictum reverendissimum dominum dominum archiepiscopum Colonien-

sem et ejus sedis metropolitanum. Protestantes tam conjunctim quam divisim de hac nostra appellatione et provocatione intimanda et insinuanda, notificanda et prosequenda, addendaque, minuenda, corrigenda, mutanda et in melius, si opus fuerit, ac toties quoties nobis seu alteri nostrum videbitur expedire reformanda. Quodque de praemissis omnibus et singulis, quae citra injuriam ipsius domini episcopi aut cujuscumque alterius pro justificatione nostrae appellationis dicimus et proponimus, nobis valeant ea quae probabimus citra tamen omnis alicujus superfluae probationis ac alias, ut est juris, moris atque styli, super quibus petimus a te notario publico nobis seu alteri nostrum fieri instrumentum unum publicum aut plura.

MS. de Wachtendonck, de la biblioth. royale de Bruxelles, comparé avec une copie de l'époque.

CXVIII.

EX CAUSIS, QUAE INFERIUS NOTANTUR, CONSTAT SATIS LUCULENTER OBERRARE LEODIENSES PLURIMOS, QUI EXCAECATI NON PERTIMESCUNT PROPRIUM EORUM CALUMNIARI ET ACCUSARE DOMINUM, EX QUO DIEBUS ISTIS NOVISSIMIS PERMISIT CUM LEGE ET JUSTITIA DOMINUM WILHELMUM DE MARCKA EAM RECIPERE MERCEDEM QUAM PECCATA IPSIUS MERUERUNT SAEPISSIME [1].

—

Prima causa. Si spatio longiori potuisset supervivere dominus Wilhelmus, brevissime et infallibiliter praestolabatur reverendissimus dominus Leodiensis sui ipsius ab administratione destitutionem scandalosissimam et fortasse totius episcopatus privationem abhominandam. Quomodo autem hoc fieri potuisset taliter ostenditur : nam efficiente domino Wilhelmo, fuit hucusque fallaciter retardata solutio illius pecuniae, ad quam juxta tractatum et promissa Leodienses se obnoxios alias constituerant. Nec etiam sensit dominus Leodiensis

[1] Talis est in MS. codice inscriptio hujus documenti, quod Episcopi Leodiensis justificationem seu apologiam, quoad supplicium Wilhelmi a Marcka, continet. Res ipsa declarat documentum eodem anno 1485 fuisse exaratum.

quod ipsi Leodienses de proximo cum a debito redimere quovismodo intenderent, cum eorum voluntates erant suasu praefati domini Wilhelmi omnino depravatae. Optime enim cognovit dominus Wilhelmus quod ob defectum solutionis antedictae mercatores Lumbardi censuras fulminatas, infatigabili mora, contra dominum et singulos ejus fidejustores nequaquam exequi destitissent, unde mox ipso jure oportuisset dominum ab exercitio pontificalis dignitatis et omni administratione penitus cessare. Et in praefato casu dominus Wilhelmus jam caute disposuerat suffragio aliquorum in capitulo, in civitate suum efficere filium administratorem patriae et dioecesis. Pensato quippe eventu supradicto, deberent merito Leodienses usque ad ruborem confundi qui suum calumniantur et mordent principem, propter eam justitiam quam recte jussit fieri contra delinquentem, cum scriptum sit *Proverbiorum xvii°* : « Non est bonum percutere principem, *scilicet lingua*, qui recte judicat, etc. » Mirabilis horum conditio hominum in Leodio. Non enim commemorant episcopi eorum, sacerdotis cujusdam et innocentum plurimorum trucidationem, sed bene auctorem necis, qui occubuit per legem, luctuose deplangunt, in hoc satis demonstrantes quo cultu et quali affectione illos semper prosequantur qui propriis eorum dominis solent infesti esse et obsistere. Rem profecto non novam, imo veterem notam et usitatam, quoniam ultra memoriam hominum nemo unquam episcopus cum pace et gaudio diem clausit novissimum in Leodio. Quid vero mali nunc egit dominus reverendissimus Leodiensis per justitiam quae facta est, nisi quod suae utilitati et patriae cum jactura domini Wilhelmi consuluit, prout juris equitas suadet atque permittit in hujusmodi casu. Ad hunc nempe finem suffragatur optime illud Innocentii papae ad honorem de auctoritate et usu pallii, ubi sic scribit cuidam legato cardinali videlicet : « Si oporteat ut vel nos vel tu ex hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quam laedamus sedis apostolicae dignitatem. » De multis namque millibus hominum vix est unus episcopus qui non maluisset per justitiam virum dictis confundi quam suo episcopatu tam ignominiose et confusibiliter privari. O quam contumeliosa et insatiabilis fuisset laesio reverendissimo domino Leodiensi ejusque lineae consanguinitatis, fidejussoribus et amicis suis, si, velut statuerat dominus Wilhelmus, ipsum expellendo tam enormiter sauciasset, unde incunctanter novum bellum, strages et innumerabilium advenisset excidium. Levent idcirco oculos in directum Leodienses ut videant qualiter prostrati fuerunt et abducti, laetenturque de ea justitia,

per quam redemptus est eorum episcopus ab intolerabili confusione, quam alias verisimiliter nunquam evassisset nisi per alterius laesionem.

Secunda causa. Nisi in tempore migrasset ab hoc saeculo dominus Wilhelmus, nunquam solus et insolidus reverendissimus dominus Leodiensis suum potuisset regere episcopatum, quemadmodum faciunt alii episcopi per universum, sed habuisset semper competitorem et correctorem dominum Wilhelmum, necnon et omnes de benda illius. Ostenditur haec propositio: nam per tractatum Tongrensem omni iniquitate et multiplici dolo suffultum ac divinae legi contrarium, quem perplexus atque in extrema fere necessitudine constrictus iniit, dominus reverendissimus Leodiensis taliter seductus erat quod dominia majoris importantiae et uberiora patriae officia remanserunt in manibus domini Wilhelmi et suorum, ita ut vix licuit aliquid facere domino, nisi quod fuit illi et suis placitum. Primo posthaec vidit talem negotiorum habitudinem dominus reverendissimus Leodiensis quod suum majus concilium integraret ex illis etiam qui consulendi nullam vel ad minus insufficientem habuerunt aptitudinem, nisi duntaxat quod in singulis agendis vices gesserunt fidelissimos domini Wilhelmi cum intuitu eos dominus elegit invitus consiliarios. Et ultra hanc largam dominandi auctoritatem, quid non fuit satiatus dominus Wilhelmus? semper tetendit industriose ad ampliorem, utpote docet sati experientia. Num praeter Stockhem, Francemont, Sarraneum, Boelyon et Longe-Castrum satagebat consequi Grevenbroeck, necnon quaedam alia magna loca, etc. In sancto Trudone pedem taliter fixit et per liberaturas, vestes ac suasus versipellis ibidem sibi invisceravit homines, quod in aliquo casu periculoso fuisset dicto oppido usus, non solum contra dominum Leodiensem, sed etiam ducem et vicinas patrias. Ipse Rocha, actor domini Wilhelmi, astutissimus inventor, jam Montfort, castrum valde forte, accumulavit, quod etiam fortificat in dies. Dominus Robertus fuit plurimum intentus ad emendum Kiekenpoes cum intentione fortificandi illud. Item subtili providentia acquisivit per matrimonium filii sui dominus Wilhelmus dominium et fortalitium de Keyken nec fuit alia intentio hujus latae acquisitionis, nisi quod dominum reverendissimum Leodiensem et ejus successores in futurum Arenbergenses per hujusmodi dominia arctius constrinxissent. Item quoad officia est idem quasi sermo. Nam praeter villicatus Leodiensem, Huyensem, Montenakensem, et balliviatus Hasbaniae, Condroes ac alia pulchra officia per quae dominabatur votive Arenberch, disposuit ad-

huc circa instans festum Jacobi legem pro libito suo habere in Leodio, videlicet burgimagistrum . . . . Rocha cujus nutu et consilio cuncta fuerunt hucusque gesta, necnon etiam et similes ministeriorum gubernatores, quorum ope et corrupta voluntate omnia fuissent acta juxta vota domini Wilhelmi. Item, ne tandem fuisset aliqua reservata domino jurisdictio, tantum egit dominus Wilhelmus sub specie cujusdam simulatae aequitatis, quod fuerunt constituti nonnulli commissarii, omnes de liga ejus, qui singula negotia ex bello descendentia judicarent, dans intelligere populo levi in Leodio quod tale judicium esset ad tollendum multas lites in patria. Placuit haec seditiosa inventio multitudini, quae non modicum formidabat, quod per justitiam ordinariam plures fuissent coherciti ad restitutionem injuste ablatorum. Hi profecto commissarii omnis justitiae immemores non solum contra bonos et pro suis judicabant, verum etiam omnes causas ad officialem et scabinos hinc inde pertinentes cognoscere voluerunt. Horum revera adeo in immensum excrevit auctoritas praesumpta, quod evolutis aliquot diebus, tota pene fuisset extincta domini jurisdictio temporalis et spiritualis. Praeterea ut nunquam deficeret in attentatis suis et regimine dominus Wilhelmus, seditiosum et conspiratorium percussit foedus Leodii cum his qui vulgo decem homines nuncupantur, et sunt isti pars insigniorum civitatis ac bannalis leucae, quibus solum pertinuit juxta usus veteres et primaevam institutionem domino et legi per arma in arduis assistere. Sed nunc proh dolor! aliter persuasi obligaverunt forte se, ut interteneant dominum Wilhelmum et singulos de sanguine ejus, quodque etiam illi qui tempore malo et rebellionis extra Leodium fuerunt et de adhaerentia domini Leodiensis arma et officia gerere nunquam permitterentur in civitate, quasi bene agentibus poena deberetur Leodii atque peccatores laudandi forent in desideriis eorum et iniqui benedicendi. Quantum, inquam, militet istud contra dominum Leodiensem et quorsum perrexit hujusmodi conspiratio, crimen laesae majestatis aperte sonans non posset levi sermone exprimi. Quis igitur miretur et stupeat, si dominus reverendissimus Leodiensis non voluerit hunc hominem et tantarum iniquitatum auctorem habere concurrentem, attenta sedis apostolicae sententia quae episcopo Leodiensi soli et non alteri mixtum et merum imperium adjudicat, ac per cujus efficaciam continentia praefati tractatus Tongrensis penitus mortificanda venit. Quomodo tamen in malis praemissis fides restringitur et juramentum non sit semper observandum, quod minus caute factum vergit in pejo-

rem exitum habetur 22, q. 4ª per totum; ut utinam Leodienses non tam frequenter suorum episcoporum juramenta commemorent, sed magis propria, quum ab armis multis eorumdem transgressores salva honestate probabiliter argui possent, maxime quando intuitu diligenti considerabitur C. de forma fidelitatis 22 q. v., in quo capitulo sic dicitur: « Qui domino fidelitatem jurat ista sex semper debet in memoria habere, videlicet incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, ne sit in damnum domino de corpore ejus; tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo vel de munitionibus suis, per quas tutus esse potest; honestum, ne sit ei in damnum de justitia sua vel de aliis causis ejus, quae ad honestatem ejus pertinere videntur; utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus; facile, vel possibile ne illud bonum, quod dominus suus leviter facere poterat, faciat ei difficile, ne vi illud quod possibile erat reddat ei impossibile. » Haec ibidem. Per hanc utique obligationem qua tenetur subditus domino suo manifeste satis apparet, quod nunquam tam miserabiliter obiisset eorum episcopus, si unam ex sex clausulis aliquando observassent. Sermo, inquam, eorum fuit et semper est, quod vivere et mori volunt cum episcopo, raro tamen correspondent ultima primis. Quomodo enim possent singuli in Leodio a morte tam sacrilega omnino se immunes reddere, cum ipsos necatores contra juramenta, libertates, francisias, post factum triumphabiliter adorando coluerunt, et quod pejus est, adhuc ne tales puniantur totis viribus defendere eos molinutur. Foeda haud dubium atque omni vituperio hominum istorum conditio! Nam alienigenae per universum, et minus obligati, mortem episcopi et mactatores illius detestantur, malum pene eisdem continuo imprecantes. Et hi qui subditi sunt ac in terra ecclesiae nati nullatenus de tam horrendo facinore contristantur. Imo spretis episcopo et suis adhaerentibus, semper se jungere cupiunt maleficis, in hoc morem per omnia servantes judaeorum, qui maluerunt ut privilegium super dimissionem alicujus malefactoris serviret Barrabae latroni et seditiosissimo hominum quam innocenti Christo, in quo nulla erat macula et qui eos redimere venerat. Quam tamen grave peccatum existat episcopos detinere aut aliquem eorum jugulare patet per constitutionem ecclesiae, unde 23 q. 4 c. In hoc enim capitulo memorabile illud habetur quod Sylvester Dei vicarius in terris usque ad extremum judicii diem eum anathematizavit et excommunicavit, qui aliquem episcopum per detentionem unquam deciperet, sicut et ipse fuit deceptus. Praeterea 26 q. 2 c. Ita nos sillaciorum. In hoc capitulo

Gelasius papa civitatem illam privandam decrevit episcopo et episcopalibus praesidiis, quia cruenta caede episcopus extitit in ea morti traditus. Item extra de pe. c. Siquis suadente, in Cle. Sedes apostolica multis involvit maledictionibus et opprobriis eos qui non pertimescunt detinere vel occidere pontifices. Quid ve generaliter sentiendum sit de his omnibus qui infideliter cum principe suo agunt, clare exprimit c. si 22 q. ultima, sic inquiens : Si quis laïcus juramentum violando profanavit, quod regi et domino suo jurat, et postea perverse et dolose ejus regnum tractaverit et in morte ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit in christum Dei manum mittens, anathema sit, nisi per dignam poenitentiae satisfactionem emendaverit, sicut constitutum a sancta synodo, id est, sanctum relinquat, arma deponat et in monasterium eat et poeniteat omnibus diebus vitae suae haec agens. His nempe juribus seu aliis plerisque rationibus profunda mente et sufficienter perscrutatis, incitantur ubique recti Christiani praeterquam in patria Leodiensi ad obsecrandum vindictam de hujusmodi peccatoribus, qualiter ergo, ut dictum est, ipsi Leodienses non verentur episcoporum suorum juramenta toties recensere, quae extorta et in multis valde illicita non deberent merito vinculum esse iniquitatis, et sua juramenta episcopo praestita ad obediendum humiliter velut sunt obnoxii, nullatenus ponderare volunt; ob cujus tamen defectum ira Dei contra Leodienses invalescit, et ad probandum hanc proponere valet insignis et imaginaria visio Zakariae quinto suo capitulo, ubi spiritus minatur captivates ac peccatoribus de Jherusalem et Juda egredientem super faciem terrae maledictionem; propter haec dico peccata, furtum scilicet et perjurium. Ad propositum : Si contrectatio rei alienae invito patrono furtum dicitur et perjurium existat in aliqua sex conditionum praedictarum, deficere juxta praelibatum capitulum. Quis sanae mentis non concedet ultra memoriam viventium per superhabundantiam in Leodio furtum et perjurium viguisse, quare etiam justo Dei judicio gladius, tempestas, divisiones, scismata, strages, incendium et aliae tribulationes non recesserunt ab eo, nec (timendum est) in sempiternum recedent, nisi duntaxat illi gubernare et dominari cessabunt, quos a sella judicis exterminandos doctrinaliter memorat Ecclesiasticus capitulo 38. In quo capitulo praeclare dicitur, quod licet civitas non aedificetur sine ministerialibus, attamen illi tanquam simplices vel caeci et claudi non debent civitatem regere, quum talium praesidentia et regimine solent insignes et populosae civitates exterminium habere, de quo optimum ha-

betur documentum per litteram 2 re. v, quae declarat qualiter locus Jebuzeorum munitus et fortissimus expugnatus fuit et excidium patiebatur, quia illis custodiam in arce habuerunt caeci et claudi. Sic ad propositum : quando ministeriales suscipiunt curam, qui caeci sunt, propter ignorantiam rerum agendarum, atque etiam claudi propter impotentiam, tunc perit tota multitudo, cui tales praesunt. O quam luculenter patuit istud replicata vice Gandavi, in Leodio et Trajecto inferiori, ubi viliores administrationes et officia occupare voluerunt. Nec praetereundum est silentio de illis traditoribus et conspiratoribus, quorum directione, tempore aliquo ante adventum ducis Maximiliani, omnia fiebant Lovanii, Bruxellis, Antwerpiae et per gyrum Brabantiae, quod tempus appellatur *Mueterie*.

Tertia causa. Si, propitiante Altissimo, non fuisset ablatus de medio dominus Wilhelmus, semper in patria Leodiensi facinorosae et impietates variae ad coelum usque clamantes irremediabiliter et absque correctionis exercitio domini permansissent, unde dominus reverendissimus Leodiensis non resistens vehementer usque ad sanguinem et patriam totam Leodiensem per tolerantiam contra se iram divinae majestatis formidabiliter provocasset. Satis liquet haec propositio. Quoniam ipse dominus Wilhelmus existimans propter commissa piacula sacrilegium, homicidia, depraedationes, stuprum, conspirationes, falsam monetam et alia multa inenarrabilia, de proximo adversitates sibi imminere, pressit et angariavit adeo tractores in pace Tongrensi, quod obcaecata patria Leodiensis universa se obnoxiam effecit, ut adversus omnes et singulos qui in futurum vellent ipsum exturbare, constanter defensabit et tuebitur. Quis unquam talem actam illicitam audivit obligationem, videlicet quod populus qui ecclesiae pertinet contra omnia jura ecclesiae se ad pugnandum constringit pro turbatione libertatis ecclesiasticae, quasi homines isti non scirent alios diligere, nisi eos qui principibus insidiari contendunt et bellandi occasiones ministrant : quam tamen sit iniquum non corrigendo defendere iniquos et utile talibus reniti scripturae plures insinuant. Item.... q. 3 c. non inferenda, ubi dicitur : Qui non repellit a socio injuriam si potest, tam est in vitio sicut ille qui facit. A fortiori, si dominus Leodiensis princeps justitiae diutius permisisset Arenberch opprimere justos, sicut incessanter fecit, non remansisset ipse dominus sine culpa gravi juxta illud 83 dis. c. « Error cui non resistitur approbatur, et veritas cum minime defensatur opprimitur; » negligere quippe, non perturbare perversos, nihil aliud est quam favere, nec caret

scrupulo societatis occultae qui manifesto facinori desinit obviare. Videatur historia ad propositum in judicum xx°, quae exterminium commemorat civitatis Gabaa, quia oppressores aliquos recepit et defensare voluit [1]. Praeclara est etiam historia de viro Belial nomine Seba, 2 regum xx°, qui Israel commovit ad rebellandum contra principem suum David. Hic licet fugeret ad civitatem Obelas, ibidem tamen exstitit tamquam seditiosus decollatus, alias exercitus David in dictam civitatem potenter irruisset. Item ..... Machabaeorum ....Quum videret Machatias, quae fiebant in populo Juda et Jherusalem, dixit: Vae mihi! ut quam natus sum videre contritionem populi mei et civitatis sanctae sequitur et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens quemdam trucidavit super arcam sacrificare idolis volentem et cum periculo vitae suae. Item potest non immerito illud Abacuc primo dici Leodio civitati peccatrici, videlicet : Quare non respicis super inique agentes et taces, devorante impio justiorem se. Item ad sciendum gravitatem peccati eorum qui flagitiosos protegere moliuntur, haec etiam notanda, videlicet c. de his qui. . . . vel aliis . . . reos occul. l. prima et c. 1 de homine libero glossa circa verbum receptarent, etc. Insuper defensato in suis attentatis domino Wilhelmo, ut pradicitur, quos unquam specie potuit habere, quod alii rebelles a domino Leodiensi potuissent aliquando corrigi, quando ipsi omnium iniquitatum auctores maxima gerunt, practicante domino Wilhelmo officia et delicta perpetrant vel ad minus agentes semper in omni loco favorizando defendunt illos. Nec etiam vivente Arenberch sperabat dominus reverendissimus Leodiensis aliqua ex emendis vel compositionibus cessura sibi emolumenta, quia minis aut armatis precibus relaxari per se vel suos impetrare talia non cessavit, maxime quum illi de benda ipsius argui sceleris debebant, quorum numerus copiosior est in patria Leodiensi. Quid namque regnante hac injustitia per eam patriam, quae domino Leodiensi est commissa, ipse dominus respondisset ante tribunal aeterni judicis et coram coetu judicantium in hac valle lacrymarum, cum ad ipsius curam pastoralem peccantium coërtio sub interminatione maledictionis perpetuae spectare omnino dinoscatur. Debuit profecto in exemplum transire domino Leodiensi reverendissimo, quod 1 regum xv° commemoratur de Samuele justo, qui reservatum principem blasphemi gladio extinxit, dicens illi : Sicut fecit absque liberis

[1] In margine additur : *Nota hic utilitatem, quando resistitur malis.*

mulieres gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua. O quam notabile est in hoc passu et optime ad propositum, quod Saul, etc. contra mandatum Domini servavit praefatum Agag peccatorem, et solum interfecit quod vile erat et reprobum, quare etiam Diabolo traditus est. Et utinam dominus Leodiensis piae memoriae non reservasset hunc hominem, cum sacerdotem vicarium ejus necavit immanissime, etc. Quis igitur prudens unquam suasisset domino reverendissimo Leodiensi moderno, quum vitando malum pessimi regis Saul imitatus fuisset Samuelem sanctissimum interfectorem scelerati Agag. Praeterea ultra praetactum onus importabile reverendissimus dominus Leodiensis inevitabiliter expectasset, durante Arenberch, jacturam longaevae persecutionis et hoc propterea quia diu non solent quieti perseverare Leodini, quum bellum moveant eorum episcopo. Certum est, quod in hujusmodi casu paucos inveniet qui opere ferendo adstabunt cordialiter impugnato et periclitanti domino Leodiensi. Nimirum quia hucusque claro lumine singuli didicimus conculcatis melioribus omnes malos esse multipliciter per officia et favores sublimatos, quare, etc. Nemo deinceps volet esse fidelis domino, sed magis inter malos numerari. Sciunt, ni fallor, Huyenses, Trudonenses et plerique boni in patria, quot a Leodiensium et Arenbergensium turma cruciatus sustulerunt, quia felicis recordationis episcopi necem et varia malignorum attentata confirmantes ewangelizare recusarunt, nec potest etiam succincto evolvi sermone quales recepit improperationes reverendissimus dominus Leodiensis, ex quo elevatis viris Belial tam immisericorditer innocentes ac bonos opprimi permisit atque ab omni regimine et honore eosdem semoveri, quod tamen vix unquam remediari valuisset, subsistente duntaxat in suo cursu votivo Arenberch praefato, qui sine dubio contra dominum se opposuisset murum, nec in hujusmodi resistentia sibi defecissent adjutores signanter contra dominum, quoniam raro ante tempora visum est, quando Leodienses pro illis se paratos exhibuerunt, qui adversus eorum episcopum et principem erexerunt, imo talibus inseparabiliter adhaeserunt, atque tales honorifice colendo ad astra usque extulerunt, in hoc typum ac similitudinem gerentes plurimorum veteris legis. Quamvis namque Moyses sanctus et mitissimus nunquam cessasset bene agere erga filios Israel, semper tamen contra illum musitantes insurrexerunt, utpote habetur exo. ix° et 22°, numeri 16 xii°, 14°, 17 xx et xxi. Item Josue 9° murmuravit vulgus contra principes. Item 1 regum 8. Quamvis Deus clementer populum Israel tan-

quam sibi peculiarem regi fecit per judices spirituales, ipsi tamen hac gratia abutentes petierunt amotis judicibus habere regem, quodque in odium eorum fecit eis indulgeri Deus. Sic in proposito : Nec fuerunt Leodienses unquam contenti subesse episcopo. Quare Deus adversus ipsos Leodienses merito exasperatus illis concedit, quod per aliquos viles laïcos fuerunt enormiter recti et spoliati. Item cum Absalon superbissimus contra patrem suum caput elevaret, mox illi adstiterunt filii Israel, ut legitur. R. xvii et 18. Item quam pridem filius quidam Belial, nomine Seba, conspirator seditiosissimus plebem excitare praesumeret contra David principem, illico habuit audientes in populo 2 reg. xx°. Item quando tribus decem commoti erant contra regem suum vocabant Jeroboam profugum, quatenus esset eorum rex qui sua iniquitate populum ita excaecavit, ut spretis Deo et principe eorum facti sunt idolatriae pessimi et rebelles, tamdiu quousque exterminati penitus fuerunt. Nota historiam 3 it. 13. Item quia rex Cyrus permisit draconem et Bel idola vana destrui per Danielem, congregationem fecerunt Babylonii et indignati dixerunt regi eorum, ut traderet eis Danielem, alias regem ipsum interficerent. Nonne haec vox est Leodiensium frequentissima contra eorum episcopum, quando enim considerant proprios seductores per justitiam debere poenam sustinere, omnes simul insurgunt, quatenus tales defendant et viriliter tueantur, allegantes in odium principis eorum et ad favorizandum iniquissimos, libertates, privilegia et franzizias. Quid plura? More Babyloniorum draconis confractionem continuo deflent, nec vel relictum patiuntur quomodolibet exterminari. Dignum est, inquam, nunquam sit Leodium sine nefandis hominibus qui ipsos persequantur, quando tales habere volunt, illos honorant, pro talibus bella capiunt sicut civitas Gabaa. Judicum xx°. Et tandem cum ipsis malis civitas peribit.

Quarta causa. Si in hoc seculo dominus Wilhelmus potuisset suos diutius et votive transigere dies, haud dubium domini archidux Austriae et episcopus Leodiensis discrimine urgentes et infelices occursus aliquo tempore exspectassent, necnon et eorum patriae. Nimirum quando ipse Arenberch frequenter cum illis communicationes et intelligentias habuit, quos per experientiam novit jam ab antiquo dictis principibus adversari, tacito tamen nunc de Francis, Gelrensibus, Coloniensibus, Leodiensibus et Trajectensibus quorum adjutor corde vel opere contra duces Brabantiae et episcopos Leodienses olim fuit. Dicendum est modo de occurrentibus negotiis et praesenti tempore. Dum

vero revolvuntur verba, quae ipse Arenberch in odium ducis Austriae saepius diebus istis novissimis effudit, et considerata nuntiorum frequentia quae apud ipsum brevi est habita ex castris et habitaculis dominorum ducis Lottoringiae Philippi de *Crevecur* necnon et Flamingorum, satis innotescit quo animus ejus detendebat et qualia suo tempore egisset, cum oportunitas sibi dictasset locum. Nec est hic silentio quovis facto praetereundum qualiter infra dies paucos bastardus Lottoringiae cum sua armata habuit quemdam Trudonensem obvium cui dixit : « Cum ad patriam redieris, facies me commendatum Leodiensibus, dicendo illis et unicuique eorum, quod in via et in hoc statu me vidisti. » Quasi voluisset indicare, quod illis brevi et domino Wilhelmo rem faceret gratissimam. Quid plura? homo iste sollicita prosecutione omni tempore ad se studuit trahere homines et plurimorum animos lucrari, imo per vestes, liberaturas, informationes, minarum asperitates ac multas subtiles vias tantum quasi effecerat, ut multi etiam domestici et servitores domini reverendissimi Leodiensis magis gaudebant illi quam magistro proprio complacere. Patet sermo iste, quum nihil tam fuit in domo domini aut camera ejus secretum quum mox palam hoc extiterit domino Wilhelmo. Venenosa est profecto haec pestis et turpissima, quando scilicet domestici alicujus principis efficiuntur secreto inimici ipsius aut fautores inimicorum. Quid plura? cum certum fuit virum praedictum continuo anhelare, ut dominos ducem Leodiensem et patrias vicinas per factores et aliorum suffragia praeter rationem deturbasset, dignum, rationabile et aequissimum erat quatenus princeps ipsius dominus reverendissimus Leodiensis per legem et justitiam eum turbari aliquando permitteret. Verum potuit reverendissimus dominus Leodiensis de Arenberch saepefato illud congementer dicere, quod Josue a iebat contra Achor, scilicet : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus. Indie hac et illico lapidavit omnis populus peccatorem Achor cunctaque illius substantia fuit consumpta. Habetur istud Josue 4°. Denique huic proposito convenit illud 23 q. 4. c. Si ea de quibus Deus vehementer offenditur, insequi vel ulcisci deserimus, ad irascendum utique divinitatis patientiam provocamus. Nonne Achor filius Zarae praeteriit mandatum Domini et super omnem populum Israel ira ejus incubuit, et ille erat unus homo; atque utinam solus periisset in seculo suo.

Quinta causa. Ex fortuna, victoriis, prospero successu et plurimorum applausu tantum dominus Wilhelmus in dies elevabatur, ut sibi omnia, quae voluit, licere penitus existimaret, nec immerito potuisset sibi illud dici quod per

